EPISTOLA

F. F. F.

FRATER FELIX FABRI

Ordinis Praedicatorum, ad Fratres Conventus Ulmensis ejusdem ordinis

De peregrinatione Terrae Sanctae et Iherusalem et sanctorum montium Syon et Synai.

Religiosis ac devotis ac in Christo sibi delectis fratribus Conventus Ulmensis, ordinis Praedicatorum, Frater Felix Fabri, ejusdem ordinis et Conventus, vester confrater, salutem in Domino sempiternam.

Petitioni vestrae, charissimi fratres, satisfacere pro posse conatus sum, qua me a vobis recedentem versus Orientem ad partes transmarinos seriosius propulsastis, exigentes, ut loca transmarina, praecipue tamen terrae sanctae loca, diligentius et accuratius considerarem, et conscriberem, ad vosque, si Deus me reduceret, fideliter referrem.

In peregrinatione ergo existens singula loca, ad quae me contigit divertere, intente perspexi, situmque ac dispositionem scripto mandavi, tam terrae sanctae, quam aliarum terrarum, marium, fluminum, et locorum Syriae, Palaestinae, Deserti, Arabiae, Madian, maris mortui, maris magni, maris rubri, ac Insularum ejus, et terrarum circumjacentium Graeciae, Macedoniae, Atticae, Achajae, Albaniae, Asiae minoris et majoris, Turciae, Illyrici, Dalmatiae, Pannoniae et Histriae, Italiae etiam et loca Germaniae siva Theutoniae, et breviter, omnia quae in tribus principalibus partibus mundi vidi, in Europa, in Asia, et in Africa, notavi et conscripsi. Siquidem has

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tres mundi principales partes attingit haec peregrinatio, ut in processu secundae partis patebit. In super ea, quae mihi et aliis comperegrinis acciderunt prospera et adversa, amara et dulcia, ex proposito et a casu, et quaedam indifferentia, et aliqua singularia, intuitu vestrarum charitatum annotavi, et adeo ad particularia determinate descendi, ut narrandi modum excesserim, ipsamque narrationem intricatam quodammodo reddiderim. Contigit enim mihi sicut multum affectuosis frequenter accidere solet, qui dum ordinate, et de re, cui afficiuntur, aliquid dicere aut proponere debent, mox affectus rationem praeveniens orationem ipsam interruptionibus aut impedit, aut penitus confundit.

Qua in re (B) affectus magis pensatur, gratius acceptatur, liberalius remuneratur, et si quid forte inordinate actum fuerit, aut minus ornate propositum, affectui non effectui ascribitur, quod et mihi, utpote summe affectionato, tam ad vestras charitates, quam ad materiam traditam, oro fieri. Ut ergo clarius et latius possem vobis hanc, quam petivistis, descriptionem tradere, peracta prima peregrinatione in Conventu consistens, laboriose evagatus sum, peneque per omnes Canonicae et Chatolicae Scripturae libros legendo textus et glossas, peregrinalia etiam militum nova et vetera perlegi, et descriptiones terrae sanctae antiquas et modernas perspexi, de quibus omnibus tuli, quidquid deserviebat proposito meo, ex qua collectura grande volumen comportavi. Pro certo autem dico, quod non tantum laborem habui de loco ad locum peregrinando, quantum habui de libro ad librum discurrendo, quae rendo, legendo, et scribendo, scripta corrigendo et concordando. Sed quia post haec omnia in multis dubius remansi et incertus, quia multa legeram et pauca videram, ideo, ut certiores vos redderem, et audentius scribere possem, Iterato mare transivi ad civitatem sanctam Jerusalem, ibique in locis sanctis multis diebus degi; post quos magnum desertum intravi, et per Arabiam ad montem Synai, et inde in Aegyptum descendi per oram maris rubri: Accipiens in omnibus his locis certitudinem, conferens ea, quae prius legeram et collegeram ad ipsa loca, et concordantias sanctarum scripturarum cum locis, et loca cum scripturis quantum potui, investigavi et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

signavi. Inter haec nonnumquam de locis sanctis etiam, in quibus non fui, exactam diligentiam feci, ut earum dispositionem conscriberem, sed non nisi illo addito: ibi non fui, sed auditu aut lectione didici.

De extremis mundi finibus, etsi mentionem faciam, non tamen describam. Si quis autem legere cupit de his, legat Narratorium Fratris Odorici, Ordinis minoris, qui Orientem pervagatus mira sub testimonio jurandi dicit se vidisse. Legat et Diodori antiquas historias. Perscrutetur etiam et videat novas mundi mappas, et inveniet regiones Orientis adeo longe a nobis distantes, quod secundum modernos Geometras et Mathematicos ibi habitantes sunt respectu nostri Antipodes, quod tamen antiqui, ut Aristoteles, et Ptolomaeus, et Augustinus invenire non poterant. Hodie tamen in humanis sunt homines fide digni, qui in insula Zinpanga, illius regionis parte, dicunt se fuisse, et alios polos et stellas affirmant se vidisse, et silvas piperis, et nemora caryophyllorum, et hortos spicanardi, et campos Zinziberis, et agros Cinamomi, et regiones lignorum Sethim, et virgulta aromatum diversorum, et caetera multa asserunt se vidisse oculis, et manibus contrectasse. Illi legantur et interrogentur, et curiosis satisfacient.

De terra sancta, in qua noster polus cernitur, quae solo mediterraneo mari a nostris terris secernitur, locutio mea est, de qua et scripsi. Insuper conscripsi diligenter pericula, quae in mari magno in utraque peregrinatione sustinui, et angustias, quas per desertum perpessus sum, et tribulationes diversas, quibus affectus fui una cum aliis sociis meis peregrinis inter Turcos, Sarracenos, Arabes, et falsos orientales christianos, ut vestrae Charitati magis placere incipiat monastica quies, claustri stabilitas, regularis disciplina et obedientiae labor, discursus et evagatio vilescat.

Testis enim mihi Deus est, quod si scivissem, me ex hac peregrinatione ad tantam evagationem mentis et corporis implicandum fuisse, nequaquam eam, quantumcunque sanctam, aggressus fuissem, (2A) quia, proh dolor, nimis a studio utiliori alienatus et distractus factus sum. Idcirco decrevi, hunc librum non Peregrinatorium, nec Itinerarium, nec Viagium, nec alio quovis nomine intitulare, sed EVAGATORIUM

Fratris Felicis juste dici, nominari, et esse statui. Ex quo titulo, materia confusa et diversa libri, et compositionis indispositio et distractio patesceret.

Accipite ergo, mei desideratissimi, hunc vobis promissum fratris vestri Felicis Evagatorium, et pro solatio duntaxat in eo legite. Nec enim charitatibus vestris libellum hunc offero, tamquam in omnibus authenticam scripturam continentem, examinatam, probatam, auctoritatibus roboratam, aut rationibus firmatam, ut in eo vigilanti studio legendum sit tamquam in scripturis illuminativis. Sed vobis eum tribuo, ut tempore remissionis fructuosioris studii et vacantiarum diebus pro vitando otio et recreatione sumenda, cum hilari jucunditate eum, si vacat, legatis. Spero autem, quod inutilis non erit hujus Evagatorii lectio, cum etiam res prorsus fabulosas et fictiones poëticas ad profectum salutis vestrae sciatis retorquere. Scio enim vestrum tam ordinatum affectum, ut non solum res grandes et gesta sancta sint vobis virtutum materia, sed etiam res parvae et exiguae, et facta puerilia sint vobis aedificatoria. Ideo audentius inter magna et vera, sancta et seriosa, nonnumquam inserui puerilia, apocrypha, et facetica, cum intentione tamen numquam falsa, aut mendacia, aut irrationabilia, aut sacrae scripturae contraria, vel bonis moribus non convenientia. Quin imo non mediocrem intellectum sacrae scripturae, et multarum ambiguitatum dabit hujus evagatorii lectio, et animum admirantem, et mentem curiosam in multis quietabit.

Porro distantias locorum et longitudinem viarum, et numerum milliarium per terras et maria nolui ubique ponere, propter magnas diversitates, quas reperi de hoc in libellis militum, et propter incertitudinem illius mensurationis, et propter inaequalitatem milliarium. Nam per mare non potest haberi certitudo de numero milliarium, nisi essent semper aequales venti, quia cum uno vento potest navis per aliquem locum in tribus diebus attingere, ad quem cum alio vento non possum in tribus septimanis pervenire, sicut ratio dictat.

Nec de quantitate expensarum quiequam posui, quia etiam non aequaliter omnibus temporibus cadit, nec thelanea et curtusiae (B) Ganfragia, Gundagia, et Pedagia semper sunt aequalia, sed nunc plus, nunc minus exigunt, et patroni

quandoque multum, quandoque minus, pro naulo recipiunt. Tantum autem de expensis recipiendum mihi constat, quod bursa plena et manus larga magnam deservit pacem in peregrinatione illa. Multi etiam in suis libellulis peregrinalibus nituntur determinatas directiones dare de diaetis, de expensis, de regimine in mari, de conversatione cum Sarracenis, de provisione per desertum, et de hujusmodi, quae tamen omnia incerta sunt, et singulis momentis mutantur. Ideo etiam transeo de istis, et remitto legere volentes ad alia peregrinalia.

Substantialia et necessaria illius sacrae peregrinationis vobis in hoc Evagatorio late et clare aperui, et ad oculum ostendi. Non solum autem vobis, mihi utique charissimi, sed etiam quibusdam aliis, mihi minus notis communicavi, qui accepto meo processu sibi ad suas personas ex eo libellulos confecerunt, quod tamen mihi non displicet, sed plurimum placet, quia hoc, quod sine fictione didici, sine invidia communico. Eodem modo mihi placet, ut hoc meum Evagatorium communicetis aliis nostri ordinis fratribus; praecipue autem fratribus mihi singularissime dilectis Conventus Basileensis, inter quos a puero educatus, et in religione et sacris literis instructus sum. Demum autem dispositione Praelatorum et Superiorum nostrorum, vobis in confratrem sum datus, et conventui vestro appodiatus. Communicetis etiam rogo Venerabilibus et Religiosis Dominis et Patribus meis in insigni Monasterio Elchingen, sub generoso Patre et Domino, Domino Paulo Kast, Abbate dignissimo degentibus, Ordinis S. Benedicti. Dominis etiam ejusdem ordinis in Wiblingen, et in Blabüren vicinis nostris. Religiosis etiam Dominis et Patribus Cartusiensibus in Bono-Lapide, et in Buchsheim, et in Horto Christi. Idem communicari posco et devotis viris Dominis Canonicis Regularibus vestris Concivibus in monasterio Wengen. Sed et religiosis et reverendis confratribus nostris Minoribus Ulmae, vobiscum commorantibus, quaeso communicetur, ut et juvenes eorum legendo Evagatorium in stabilitate firmentur, et ex descriptione sanctorum locorum scripturam sacram lucidius intelligant, et in devotione et contemplatione magis proficiant. Non enim nisi ad profectum suum poterunt tam maturi et religiosi viri hoc evagatorio uti, et si reprehendibile

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aliquid in eo repererint, pie condonabunt et indulgabunt. Pro quo humiliter supplico Reverentias eorum.

Porro si libellus iste ad manus venerit illorum, de quibus habetur Distinct. XXXVII. Sacerdotes, qui omissis Dei evangeliis et Prophetis comoedias legunt, et amatoria Bucolicorum versuum verba canunt, et Virgilium tenent, et (3A) Carmina poetica student, et in pompa rhetoricorum verborum gaudent, scio, me non posse eorum detrectationes, derisiones, et subsannationes evadere. Qui omnia Scripta, etiam Canonica et Sancta, Rhetoricis floribus non redimita, aut locutionem Tullianam non redolentia dilacerant, et auctores eorum derident. Talibus Evagatorium nostrum fastidiosum erit, quia curiosa amant, Sacram Scripturam vilipendunt, Jerusalem non diligunt, et maxime si Felicem spernunt, quem garrulum et indoctum proclamabunt. Sed licet, inquit Hieronymus exedra sibilet, et victor qui si incendia non jactet, numquam meum Christo juvante silebit eloquium, etiamsi praecisa lingua balbutiet, quae adhaereat opto faucibus meis. Si non meminero tui, o Jerusalem. Legant, qui volunt; qui nolunt, apices eventilent. Ego destinato operi imponam manum, et scyllaeos canes obturata aure transibo.

Vos autem, fratres mei charissimi, Evagatorium accipientes primum eximio Sacrae Theologiae Professori, Magistro Ludwico Fuchs, Priori nostro praedigno, examinandum, corrigendumque praesentate. Quamvis enim ipsum vile opusculum non magnopere aut necessario veniat corrigendum, quasi periculo alicui esse possit: Absque tamen suae Rever. Paternitatis nutu et consensu in publicum prodeat nolo. Et in hoc non modo suae venerandae Paternitati detulisse, sed et ipsi opusculo videar consuluisse. Scio equidem et certus sum, quod ipsum Evagatorium, dum ex cella tanti Doctoris egredi videbitur, auctoritatis et splendoris plurimum accipiet atque valoris. Etiam pro eo habendo laborabunt, qui ante suae Paternitatis inspectionem de luto non levassent. Sic ergo, fratres amantissimi, per omnia quaeso facite, et in vicem laborum meorum Deum misericordem pro me deprecamini, et Reverendo nostro Magistro et Priori, praeceptori meo observantissimo, me recommendate. Valete in aevo felici.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Datum anno MCCCCLXXXIIII. post reversionem meam secundam a locis sanctis Jerusalem, et montibus Sion et Synai.

F. F. F. terrae sanctae peregrinus ordinis Praedicatorum conventus Ulmensis. V. c. confrater.

EVAGATORIUM hoc DUAS principales continet partes, secundum cursum duarum peregrinationum, quae sunt PEREGRINATIO HIEROSOLYMITANA, et PEREGRINATIO SYNAIANA sive CATHERINIANA. Et faciunt istae duae partes duo volumina, et continent hae duae partes has sequentes materias in generali, totque habent tractatus, quot menses; et tot capita quot dies. Et ita prima pars hujus VI. tractatus. Et secunda totidem. Processus incipit folio 25 A.

PROOEMIUM

DIVISIO TOTIUS EVAGATORII.

(B) PRIMA pars continet prooemium, quod complectitur peregrinationis sanctae terrae, et ipsius terrae promissionis laudem, et deinde primam evagationem F.F.F. et reversionem. De post vero continet secundam evagationem usque ad Jerosolymam, cum descriptione omnium sanctorum locorum terrae sanctae, in quibus F. F. F. evagatorii compositor fuit, ut processus demonstrat.

SECUNDA pars continet evagationem a Jerusalem per Palaestinam et per desertum Arabiae ad montem Sinai in terra Madian, et recessum a monte Horeb ad Oram maris rubri in Aegyptum, et reversionem per mare, cum descriptionibus insularum Graeciae, et terrarum usque Venetias, et descriptionem Venetiarum ac alpium Alemanniae et Sueviae. Et ultimo ponitur descriptio civitatis Ulmensis et conventus nostri, cum diversis annexis.

Primae partis primus tractatus continet prooemium, commendationem terrae sanctae, et primam F.F.F. profectionem trans mare, et inchoationem secundae profectionis usque ad mensem Majum. Secundus tractatus continet peregrinationem mensis Maji, cum descriptione maris, et politiae Galearum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tertius tractatus continet navigationem peregrinorum per mensem Junium.

Quartus tractatus continet perventionem peregrinorum in terram sanctam, et visitationem locorum sanctorum in Jerusalem et Judaea per mensem Julium, et remeationem militum in suam regionem.

Quintus tractatus continet acta peregrinorum remanentium in Jerusalem per mensem Augustum. Et

Sextus tractatus continet latam descriptionem Sanctae Jerusalem, ejusque statum ab initio usque ad haec nostra tempora.

Secundae vero partis primus tractatus, qui est septimus totius Evagatorii, continet recessum peregrinorum a Jerusalem in palaestinam, et descriptionem Arabiae et Arabum, et multum laborem peregrinorum per desertum, et descriptionem montis Oreb et Sinai, et sepulchri St. Catharinae, et acta peregrinorum per mensem septembrem.

Octavus tractatus continet perventionem peregrinorum in Aegyptum, et descriptionem ortus Balsami, Chayri, Nili, Alexandriae, et Aegypti, et casus peregrinorum per mensem octobrem.

Nonus tractatus continet recessum peregrinorum de Aegypto per mare, et descriptionem insularum aliquarum, et maritimarum regionum, et casus peregrinorum per mensem novembrem.

Decimus tractatus continet navigationem peregrinorum per mare, et descriptionem multarum regionum, et acta per mensem decembrem.

Undecimus tractatus continet adventum peregrinorum Venetias, et descriptionem latam Venetiarum, et peregrinorum repatriationem in mense Januario.

Duodecimus et ultimus tractatus continet descriptionem Theutoniae et Sueviae, et civitatis Ulmensis, et multa de regibus et principibus Alemanniae, et populis eorum, et de politia civitatis Ulmensis, et de civibus ejus. Sed quia hic tractatus longus est, et proprium facit librum, Evagatorio non adjunxi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Incipit pars prima,

Scilicet prooemium in Evagatorium F. F. F.

De commendatione terrae sanctae et peregrinationis.

EVAGARI incipiam post greges sodalium tuarum. Egredere et abi post vestigia gregum, et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum. Ita habetur paucis interpositis, canticorum 1. Capitulo. Verba optime congruunt ad commendationem sacrae peregrinationis Jerosolymitanae, quae ad Dei laudem suscepta noscitur esse actus nobilissimae virtutis, quam sancti LATRIAM nominant.

Porro ad perfectum virtutis actum exiguntur sex conditiones, quae in verbis propositis continentur. Scilicet propositum boni operis; Desiderium ordinatum opus inchoandi; Libertas vel facultas agendi; Aggressus operationis; Modus debitus faciendi; Consummatio et perfectio actus virtuosi. Haec sex concurrunt ad virtuosam peregrinationem, et continentur in praemissis verbis.

I.) Enim peregrinus terrae sanctae debet habere, et oportet ut habeat, propositum peregrinandi, ut dicere possit: Christo, propter quem concepi tale propositum, incipiam evagari.

II.) Debet habere ordinatum desiderium peregrinationem inchoandi, ad quod infert: Post greges sodalium tuarum.

III.) Habere peregrinum oportet Libertatem et facultatem peregrinandi, (4A) ut sibi dicatur: Egredere.

IV.) Debet peregrinus aggredi ipsam peregrinationem, cum sibi dicitur: et abi.

V.) Habere debet modum debitum exequendi peregrinationem, ut peregrinetur: post vestigia gregum.

VI.) Perficiat et consummet ipsam peregrinationem, ut diligenter impleat hoc, quod ei imperatur, cum dicitur: Et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum. Quod autem virtuosa peregrinatio ab his sex dependeat, patet discurrendo per singula.

Quantum igitur ad primum, manifestum est, quod desiderium quidem videndi civitatem sanctam Jerusalem et alia loca

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sancta terrae promissionis, commune est quasi omnibus Christi fidelibus. Et audenter dico, quod ille non est fidelis Christianus, qui hoc desiderio non est affectus, ex verbis S. Hieronymi in quadam epistola de vita et obitu Paulae, ubi dicit: Ejus gentis homines ad sancta loca non veniunt. Quasi dicat, Nullius.

Non autem propositum peregrinandi est commune. Omnes optant, se in Jerusalem fuisse, et loca sancta vidisse. Sed pauci proponunt hoc velle facere, quia patriae dulcedinem et cellulae quietem, et amicorum vel fratrum solatia magis diligunt, a quibus elongari nolunt. Desiderium ergo videndi Jerusalem nihil facit ad peregrinationem, sed dum quis habet cum desiderio propositum firmum, ut dicere possit: Ecce, Domine Jesu, patriam desero, cellam aut domum relinquo, quietem propter te sperno, fratres et amicos postpono, imo et meipsum abnego, et animam meam odio, crucemque peregrinationis tollo, et sic evagari incipiam.

Quantum ad secundum notandum est, quod vitiose quis evagari potest, si ipsa evagatio etiam ad loca sancta, non fiat ex ordinato affectu; Sicut cujusdam, de quo dicitur Esa. 57. v. 17: Abiit vagus in via cordis sui. Quicumque enim peregrinari vult, ut ex hoc in hoc, et ex hoc in aliud evagetur, ordinem non habet, et virtute caret. Evagatio enim simpliciter sonat vitium, et ideo, qui peregrinatur ut evagetur, vitiosus est; non autem qui evagatur, ut peregrinetur. Plures namque reperiuntur, etiam in quiete regularis vitae degentes, qui minus desiderarent peregrinationem, si non haberent annexam evagationem. Non sic agit virtuosus peregrinus, sed laborem peregrinandi subit, ut incipiat evagari non simpliciter, ut vagabundus in incertum, sed evagari incipit post greges sodalium ejus, propter quod ad peregrinandum motus est. Felix certe ejusmodi peregrini evagatio. Talis enim dignam percipit peregrinationem puerorum Dei, quae tibi omnium charior est (B) terra, Sapi. 12, v. 7. Scimus quod sodalis dicitur socius sessionis. Sodales ergo Christi sunt socii sessionis ejus. Quod optime convenit apostolis, qui cum Christo sponso consederunt in cathedra doctrinae, Matth. V. v. 1. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Consederunt etiam eidem in mensa caelestis alimoniae, Luc. 22. v. 14. Vespere autem facto discubuit, et XII apostoli cum eo. Consedebunt etiam in tribunali extremi judicii, Matth. 19. 18. Cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos judices etc. Et in sessione quietis aeternae consedebunt, Luc. 22. v. 29, 30. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ud edatis et bibatis super mensam meam, in regno meo. Tunc etiam ipsis sedentibus transiens ministrabit illis, Luc. XII. v. 37. Sicut ergo apostoli sunt sodales Christi, ita sunt pastores nostri, qui nobis promissi sunt. Jer. 3. v. 15. Dabo vobis, inquit, pastores juxta cor meum, qui pascent vos scientia et doctrina. Ubi glossa intelligit apostolos et apostolicos viros, quorum unus et praecipuus fuit ille, cui ter dictum fuit. Joh. ult. pasce oves meas. Greges vero sodalium Christi et pastorum nostrorum sunt turmae fidelium, qui per apostolos ad pascua fidei et sacramentorum sunt ducti, ut pascerentur exemplis, doctrinis, et corporalibus nutrimentis.

Dicat ergo verus et virtuosus peregrinus: Evagari incipiam post greges sodalium Christi, quia indignum judico, me inter greges apostolorum incedere, sciens me ovem morbidam, ideo saltim liceat mihi post gregem sodalium ejus pergere. Tali enim humili sui recognitione redditur desiderium peregrinandi ordinatum, cum quis morbos suos cognoscit, nec sanis et sanctis se comparat, sed humiliter post greges sodalium Christi ambulare desiderat.

Quantum ad tertium, quod necessaria sit peregrinandi facultas, notandum, quod licet quis habeat praefata duo, scilicet propositum peregrinandi, et humile desiderium inchoandi, si deest facultas peregrinandi non poterit peregrinus fieri. Quo quaeso ibit ligatus? Quo ambulabit captivus? Necesse est ergo, ut desiderandi evagari post greges sodalium Christi dicatur ab eo, cui subest, egredere. In quo verbo datur licentia et facultas peregrinandi. Multi enim fervidi religiosi et devoti utriusque sexus conjugati desiderium ardens habent videre clarissimam civitatem Ierusalem; sed interim quod non dicitur tali: Egredere, cogitur manere. Multis enim rationabiliter et utiliter non indulgetur egressio, etiam ad loca sancta,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad vitandam talium distractionem. Unde Hieronymus in epistola Bonus homo, si, inquit crucis et resurrectionis loca non essent in urbe celeberrima, in qua curia, in qua aula militum, in qua scorta, mimi, scurrae, et omnia sunt, quae solent esse in coeteris urbibus; vel si monachorum turbis solummodo frequentaretur, expetendum revera hujusmodi cunctis [monachis] esset habitaculum. Nunc vero summae stultitiae est [renuntiare saeculo] dimittere patriam, inter majores populos peregre vivere, melius quum eras victurus in patria. De toto orbe Jerosolymam concurritur, plena est civitas universi generis hominum, et tanta utriusque sexus constipatio, ut non sit quies, nec devotio aut recollectio. Haec Hieronymus [Tom. 1. Fol. 103, A] Verum iam aliam habet civitas sancta faciem. Ibi nunc nec rex, nec miles, imo nec scorta, nec mimi, et quantum ad hoc, securior, sanctior, et devotior est peregrinari modo, quam tempore b. Hieronymi, nec sunt ibi impedimenta singularium devotionum, licet multae sint miseriae. De quibus patebit in sequentibus. (5A)

Porro, si absque licentia quis iter arripiat, nec audit: Egredere, iam egressio talis non esset peregrinatio, sed periculosa damnosaque evagatio, nec iret post greges sodalium Christi, sed post institutum diaboli, sicut enim Salomon 3 Reg. 2 v. 36 sqq. praecepit Semei, ut sibi aedificaret domum in Jerusalem, et non egrederetur huc atque illuc. Quamcumque autem die contrarium fecerit, et trans torrentem Cedron trans ierit, scire se interficiendum. Quod et sibi contigit, dum egressus sine facultate fuit. Sic verus Salomon Christus, et Papa Christi vicarius, praecepit cuilibet fideli Catholico manere in Ierusalem, hoc est, in terminis christianorum, quacumque autem die egressus fuerit aliquis, sine licentia papae, trans torrentem maris magni, scire se interficiendum excommunicatione papali. Est enim prohibitum sub magnis censuris, quod nullus absque Papae licentia vadat in terram sanctam. Et hanc censuram et excommunicationem vidit Dominus Anthonius in libro poenitentiariae summi poenitentiarii. Ut dicit in Tractatu de Excommunicationibus C. 32. Quare autem super hoc sit lata sententia excommunicationis, vide post ea, pag. 82. Ideo nullus Cardinalis et nullus Legatus intromittit se de danda licentia, sed petentes aut ad Papam, aut ad summum Poenitentiarium

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

remittuntur. Prout mihi ipsi contigit. Nam a duobus Legatis a latere in Alemanniam missis licentiam petii, qui dixerunt, neminem habere facultatem, nissi summum papae poenitentiarium, ex singulari commissione domini Papae. Ideo magister generalis ordinis nostri nulli fratri licentiam Jerosolymam (visitandi) tribuit, nisi praesupposita papae licentia, vel habita vel habenda; prout patet in liberis Testimonialibus meis de hac peregrinatione.

Quantum ad quartum, quod sequitur, iam dictum, scilicet aggressio actualis ipsius peregrinationis. Quod innuitur, cum dicitur: Abi. Saepe namque contigit, quod quis omnia praetacta habet, scilicet propositum, ordinatum affectum, licentiam, et tamen non progreditur ad pereginandum. Qui considerat operis arduitatem, et pericula marina, et viarum discrimina, et gravitatem expensarum, et ideireo abire negligit. Tales sunt similes illis, qui cum plurimum audaces sunt, et magna praesumunt, sed in aggressione desistunt, victi timiditate. De illis Aristoteles 3. Ethicorum, quod quidam sunt praevolantes ante bellum. Talem ego vidi, qui cum magnis sollicitudinibus obtinuit licentiam, et congregavit expensas, et fecit sibi fieri vestes peregrinales. Sed dum tempus aggrediendi advenit, formidulosus resiliit, vitae enervationem et bursae suae evacuationem timens.

Vidi etiam quosdam, qui usque ad mare venerunt, sed dum fretum cernerent, et ejus pericula auditu perciperent, redierunt. Et, quod amplius est, vidi quosdam, quasi usque ad medium maris deductos, qui fatigati maris incommodis redierunt. Hi egressi quidem erant, sed non viriliter aggressi, ideo non abierunt. Ideo dicitur: Egredere, et abi.

Quantum ad quintum, de modo debito peregrinandi servando, et qua via pergat, ostenditur, cum subinfertur: Post vestigia gregum. Supple: egredere, et abi. Multo enim minus reperiet peregrinus in terra sancta, quam intendat. Intendit enim evagari post greges sodalium Christi. Sed non poterat. Utinam cum pace et quiete post vestigia gregum sineretur incedere. Iam enim, heu! (B) non possumus sequi sodales Christi, pastores nostros, nec inter greges eorum incedere, sed cum grandi difficultate et cum timida evagatione vestigia gregum

quaerere et sequi necesse est. Apostolica namque fides et vita de terra sancta pene defecit, greges etiam, qui apostolos Christi sodales et nostros pastores in magno numero sequi solebant ad pascua, iam dispersi sunt per orbem, et a Ierusalem migraverunt; quod deplangit Jer. c. X. v. 21. dicens: Omnis grex eorum dispersus est. Et Esai. 17. 2: Derelictae civitates gregibus erunt. Olim enim erant civitates, villae, et etiam nemora terrae sanctae, repleta gregibus, ibi videbantur agni multi per innocentiam, oves per patientiam, boves per maturitatem, aselli per simplicitatem; elephantes per castitatem, cervi per cursum fervoris, vaccae per Praelatorum sollicitudinem post vitulos mugientes, et lac copiose ministrantes. O quam delectabile tunc erat in peregrinatione evagari, egredi, et abire, quando non post vestigia gregum, sed post voces pastorum, ipsi greges et peregrini in gregibus ad pascua sanctorum locorum ducebantur. Tunc enim S. Petrus, princeps pastorum, greges dominicos pavit coelesti sapientia, quando nec caro nec sanguis sibi revelavit, sed pater coelestis infudit; De quo Matth. 16. v. 17. S. Paulus eos pavit vitam angelicam inducendo. Ideo dicit: nostra conversatio in coelis est. Phil. 3. v. 20. S. Andreas eos pavit, crucis mysterium aperiendo, et ejus gloriam ostendendo. Unde dicit cuidam: O si velis nosse mysterium crucis, operietur tibi via salutis. S. Jacobus Major oves dominicas pavit, secreta salutaria eis manifestando. S. Johannes eos pavit, dulcedinem inculcando. S. Thomas, fidei verae alimenta ministrando. S. Jacobus minor, sanctitatis exempla dando. S. Philippus, coelestibus desideriis eas impinguando, et eas his contentari docuit, dicens: Domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Joh. 14. 8. S. Bartholomaeus assidue orare docuit, et ita verum pabulum quaerere. S. Matthaeus poenitentiae cibo saginavit Christianos. S. Simeon ad obedientiae praesepe greges Christi ligavit. S. Thaddaeus, ad jugem confessionem divinae laudis eas induxit. S. Matthias ad humilitatem eas instruxit. S. Lucas, bos laboriosus, ad laborandum animavit Christi oves. S. Marcus, leo terribilis, timorem Domini inculcavit. S. Barnabas sua sollicitudine multos ad salutis pascua induxit. Unde factum est, ut longe post apostolos sanctos tota Syria, Terra sancta, Galilaea,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Palaestina, Mesopotamia, Aegyptus, vastissima Arabiae solitudo, Thebais (6 A) omnia sanctis hominibus fuerint plena. De longinquis etiam mundi partibus ad hanc terram sanctam homines sancti et devoti confluebant, nec reputabant, se alibi posse proficere, et Deo propinquiores fieri, nisi in his locis sanctis morarentur. Et illi, quibus non suppetebat facultas hoc faciendi, reddebantur pusillanimes, quasi Deo alibi non possent accepta servitia exhibere. Contra quod tamen S. Hieronymus ad Paulinum scribens sic inquit: Nolo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, et arctare parvo terrae loco, quasi solum in terra sancta possit inveniri gratia. Nam de Hierosolymis et de Britannia aequaliter patet aula coelestis. Anthonius enim, et cuncta Aegypti, et Mesopotamiae, Ponti et Cappadociae et Armeniae examina monachorum non videre Hierosolymam, et patet illis absque hac urbe paradysi janua. Beatus Hilarion, cum palaestinus esset, et in palaestina viveret, uno tantum die Hierusalem vidit, ut nec contemnere sancta loca, propter viciniam, nec rursum Deum loco concludere videretur. Nec quidquam, frater charissime, fidei tuae deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos, qui ibi fuimus, meliores aestimes; sed sive hic, sive alibi aequalem te pro operibus tuis apud Deum habere mercedem. Haec Hieronymus, uti supra (Tom. 1. Fol. 102. c. D.)

Ex quibus liquet, quod tantus fuit concursus fidelium devotorum ad Ierusalem, et terram sanctam, quod necesse erat Zelum et fervorem reprimere aliorum, ne omnes locis suis derelictis illac confluerent. Unde Hieronymus, a Ierusalem Romam veniens, eamque etiam repletam monasteriis reperiens, dixit, ut in epistola ad Principiam habetur: Gaudeo, Romam factam Ierosolymam. Crebra virginum monasteria, monachorum innumerabilis multitudo (Tom. 1. Fol. 220. C.) Sed quid nunc dicere possumus? Certe nihil aluid: heu! quam, quod terra sancta et civitas sancta Ierusalem iam repleta est vitiosissimis hominibus, qui non gregatim ut greges incedunt, sed sine ordine, sine lege, sine politico regimine dispersim, ut nocivae bestiae, discurunt, et greges dissipant. Contra quos vocat Deus gladium, Zachar. 13. 7: Framea, suscitare adversus eos, qui dispergunt gregem meum. Ibi enim discurrit leo rugiens, per superbiam

quaerens Christi ovem lacerare. Ibi equus effrenis, furore plenus, et mulus intemperatae luxuriae. Currunt ibi innumerabiles vulpes, haeretici dolosi, lupi crudeles et rapaces, ibi saltat hoedus dissolutus, et vacca lasciviens, Sirena deceptione plena, capra ambitiosa, canis rabidus, pulex importunus. Terram illam, vineam quondam Domini Sabaoth, exterminavit caper de silva, Soldanus, abnegatus christianus, et singularis ferus, crudelis et maledictus Machometus depastus est vineam, vineam illam electam. Et borealis terribilis bellua, turcus, cum suo viperino genimine, longe lateque palmites verae vitis pullulantes conculcare, eradicare, et annihilare non cessat, devastans fines fidelium. Evangelium et crucem de terra omni tollere penitus conatur, sicut Soldanus ea abstulit de civitate sancta, et de toto regno Jerosolymitano.

(B) Non ergo re mansit in terra sancta, nec gregum obscura vestigia in memoria, vel signa quaedam praeteritorum, vel imitatio vitae sanctorum.

Cum enim peregrinatio dicitur: Egredere, et abi post vestigia gregum, jubentur imitari sanctorum exempla, humilitatem, disciplinam et devotionem, fidem, et caetera. Quae si non imitatus fuerit, sed post pravitatem cordis sui evagatus fuerit, verus peregrinus non erit, quia post vestigia gregum non incedit.

Quantum ad sextum et ultimum, in quo notatur consummatio actus in eo, quod dicitur: Et pasce hoedos tuos juxta tabernaculum pastorum. In hac clausula notantur duo. Primum qualitas sanctorum locorum, et quaedam proprietas eorum. Secundum, quid peregrinus agere debeat, dum ad illa loca pervenerit.

Quoad 1. considerandum, quod loca sancta, prophetica et evangelica, aliquo singulari et famoso exercitio et miraculo dedicata, vel aliquo actu solennizata, vel a sanctis inhabitata, dicuntur tabernacula pastorum, etiam si nullum ibi sit tabernaculum. Patet hoc ex Genes. C. 28. v. 17. de Jacobo, considerante se in quodam loco sancto sub dio, in quo loco non infuit domicilium; et tamen dixit: Hic non est aliud, nisi Domus Dei. Patet etiam ex locis in deserto magno, quae dicuntur tabernacula ejus in terra salsuginis. Quamvis autem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loca sancta absque superaedificatis aedificiis, et sine murorum ambitu, possint dici tabernacula, tamen sancti, tam veteris quam novi testamenti, super ea erexerunt murata habitacula, in testimonium sanctitatis locorum. Sic legitur fecisse Abraham, qui aedificavit altare Domino, in loco, in quo ei apparuit Deus, Genes. XII. 7. Sic etiam fecit Isaac, Gen. 26, 25. Et Jacob C. 31. v. 1. 3. 7. Sic fecit et Josua, Jos. C. 8. v. 30, 31. Et Gedeon, Judic. 6. v. 24. Et Manoa, Jud. 13. v. 19. David etiam in loco, in quo angelus evaginato gladio apparuit, templum aedificari praecepit 2 Reg. ult. v. 25. Sic etiam cupiebat facere B. Petrus apostolus, in loco, ubi vidit Dominum Jesum transfigurandum in gloria, et Moysen, et Eliam in majestate cum eo. Unde dixit: Domine, si vis, faciamus hic tria tabernabula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum, Matth. XVII. 4. Eadem ergo ratione devotio fidelium aedificavit in locis sanctis Incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, et Spiritus Sancti missionis, et B. Mariae Virginis assumtionis ecclesias et capellas, et dicunt, hic tabernacula pastorum. Et quia terra sancta fuit in valde multis locis miraculis prodigiisque solemnizata, ideo in ea fuerunt valde multa tabernacula, i. e. templa ecclesiae, oracula, et capellae. (7A) Sed, pro dolor! accidit tabernaculis illis, sicut pastoribus et gregibus. Sicut enim jam, ut dictum est, non possumus sequi pastores et greges, sed tantum post gregum vestigia iubemur abire: sic etiam non possumus invenire tabernacula pastorum, nisi in miserandis ruinis. Utinam et illas invenire et cernere liceret! Sunt enim templa, ecclesiae, capellae, quae fuerant locis sanctis superaedificatae, pene dissipatae, ut dicere possimus illud Jerm. IV. v. 20: Tabernacula nostra vastata sunt. Aliquae ecclesiae solemniores sunt Christo dicatae, quae sunt ablatae, et maledicto Machometo datae; Paucae sunt Christo servatae; Major tamen pars sunt penitus destructae, et in multis locis, in quibus scimus stetisse magnas et collegiatas ecclesias, nec ruinae iam deprehenduntur.

Sic ergo loco sancta dicuntur pastorum tabernacula, sive habeant superaedificata aedificia, sive non.

Quoad II. quid scilicet agendum sit peregrino in locis sanctis, dicitur: Et pasce hoedos tuos juxta tabernacula

pastorum. Scimus ex sententia Pastoris Christi S. Salvatoris, Matth. C. XXV. v. 32, 33. Quod justi comparantur ovibus. impii vero hoedis. Defectus ergo nostri et vitia quibus mali vel impii sumus, et peccatores constituimur, sunt hoedi nostri, Hos hoedos jubemur pascere juxta loca sancta; non quidem, ut nutriantur vitia, quia sic in foetidos hircos crescerent hoedi, quia ex hoedis bene nutritis hirci crescunt. Sed sic, ut hoedi in oves et agnos transmutentur. Quod tunc sit, quando peregrinus in locis sanctis suos defectus recognoscit et emendat, seque a vitiis et malis consuetudinibus avertit. Qui enim vadit in Ierusalem, et defectus non emendat, peccata et eorum occasiones non vitat, in vanum prorsus laborat, et hoedos inducit, et foetidos hircos reducit. Unde Hieronymus ad Paulinum: Non Hierosolymae fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. Crucis enim et resurrectionis loca his prosunt, qui portant crucem suam sub Christo, et cum Christo resurgunt cottidie, et qui dignos se exhibent tanto habitaculo. Haec ille. (Tom. 1. Fol. 102. C. D.)

Pascat ergo peregrinus hoedos suos juxta tabernacula, ut verificetur illud Jer. VI. 3. Ad Ierusalem venient pastores et greges eorum, et pascet unus quisque eos, qui sub manu sua sunt, i. e. defectus, qui in ejus potestate consistunt. Nam in his locis debet fieri peccator precator, et precator poenitens, et poenitens justus, justus sanctus, sanctus sanctior. Haec autem grandi conatu et multo labore indigent, quem pauci peregrini aggrediuntur: Imo grave est, suadere alicui hanc peregrinationem, quia pauci ssimi emendantur. Unde Socrates philosophus, a quodam interrogatus: Quare secundum ejus doctrinam peregrinari in alienam terram non prodesset? Ait: Ideo peregrinationes tibi non prosunt, cum Te Tecum circumferas; premit enim te eadem caussa, quae expulit. Quid terrarum novitas mutare potest? Quid cognitio urbium et locorum? Interitum reddit ista jactatio. Quaeris, quare te fuga ista non adjuvet? Tecum fugis, onus cum deponendum est, ipse deponeris. Haec ille Socrates gentilis de gentilium hominum peregrinationibus fugitivis sensit.

Secus autem est de christianorum conantium ex charitate ad meliora peregrinatione ad loca sacra, coelesti virtute infusa, et indulgentiis dotata, et multipliciter sanctificata.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Legitur in Chronicis, quod B. Cletus, Petri successor construxerit Romae B. Petro ecclesiam, et omnibus fidelibus scripsit, invitans eos ad visitatitationem sepulchri S. Petri, dicens: Quod hujusmodi peregrinatio praevalet jejunio duorum annorum, et sub gravi anathemate excommunicationis dissuadentes et impedientes hujusmodi peregrinationem [prohibens]. Si peregrinatio ad sanctorum apostolorum limina tantum valet, quantum valeat peregrinatio ad limina Christi, et ad ejus suaeque matris sepulchra pensare faciliter potest fidelis. Et si dissuadentes romanam visitationem sic excommunicantur, qualiter anathemizentur retrahentes a visitatione Hierosolymitana? Videant, qui inter hoc agunt; Cum illae duae civitates, Ierosolyma et Roma, tantum distent in dignitate, et sanctitate, quantum Christus super apostolos (est.)

COMMENDATIO TERRAE SANCTAE.

et Peregrinationis eius praeconizatio.

MULTIPLEX vox sacrae Scripturae terram sanctam nobis declamat, eam esse commendabilem prae omnibus mundi terris, nominans eam terram sanctam, a Deo benedictam; a Deo singulariter creatam, et fundatam; a Deo respectam; optimam; valde bonam; egregiam; desiderabilem; Deo chariorem omnibus; electam; excelsam, et hujusmodi multa, (B) quibus eam sacra scriptura commendat. Ut Deuteron. C. 8. et 11. laudatur. Et merito. Est enim terra illa sanctitate foecundissima, exemplis virtutum fortissima, nobilitate dignissima, situ sanissima, aere temperatissima, gleba subtilissima, comparatione ad alias terras altissima, montibus excelsa, ad bellandum munitissima, significationibus et figuris aptissima, bonis hujus vitae sufficientissima, propter eam olim inhabitantes dignissima, propter facta in ea mirabilissima, propter sanctos in ea natos spectabilissima, et propter mysteria undiquaque ex ea fulgentia clarissima, cultu divino praecipua, templis et ecclesiis singularissima, medietate sua virtuosissima, aerumnosis et vitiosis durissima, virtuosis

et sanctis clementissima, legibus et praeceptis ordinatissima, ad contemplandum quietissima, ad operandum convenientissima, ad studendum congruentissima, religiosis devotissima, ad influxum divinae gratiae dispositissima, Iudaeis dilectissima, paganis acceptissima, christianis desiderabilis et propriissima. Ideo dicitur lacte et melle manare, vino et oleo fluere, frumento, hordeo, et omnibus fructibus abundare. Quapropter pro hac terra certant universae gentes, et omnes gestiunt totis conatibus et viribus eam possidere. Nec est gens sub caelo, quae non credat et confideatur, eam solam sanctam esse et divinam. Unde ob id peregrinantur ad eam Saraceni, Turci, Arabes, Barbari, Iudaei, Christiani tam orientalas quam occidentales, haeretici, schismatici, et de totius mundi angulis procedunt ad videndam terram illam.

Resultat autem tam immensa terrae hujus dignitas ex eo, quod Deus omnipotens, in cujus manu sunt omnes fines terrae, videtur quodammodo eam singulariter dilexisse, ex qua dilectione ejus singularis sanctitas oritur.

Singularis autem Dei dilectio ad terram illam patet ex multis.

Primo, cum Deus hominem voluit creare ad imaginem et similitudinem suam, singulariter ex limo hujus terrae formavit corpus Ade in agro Damasceno juxta Hebron, ut dicit Magister 2 Sententiarum . . ex verbis Johann. Damma. Et omnes Hebraei et catholici Doctores.

Secundo. Huic terrae Deus primo providit et incolis et habitatoribus. Nam cum Adam creatus esset in agro praedicto, statim translatus fuit in paradysum, sed eo peccante repositus fuit de paradyso cum Eva uxore sua ad agrum, ubi creatus fuerat, ut terra illa primos incolas haberet.

Tertio. Electos et sanctos de aliis terris in hanc venire jussit, ut patet de Abraham Gen. XII. v. 1. Et de filiis Israel. Exodi per totum. Quos cum terribilibus signis induxit in terram istam.

Quarto. Speciales leges filiis Israel praedicit, quomodo in hac terra vivere deberent, ne eam contaminarent et polluerent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quinto. Malos et gentem peccatrinum cemquam diutius in ea morari sustinuit, sed mox completis iniquitatibus ignominiose ejecit. Quod legenti scripturas notum est, usque ad moderna tempora. Nec putet quis, gentem illam, quae nunc eam possidet, diu mansuram, quia et ipsi Sarraceni desperate.(SA) suam exspectant expulsionem.

Sexto. In hac terra ante incarnationem solum templum habere voluit, et in eo solum sacrificia acceptare. Nec erat templum aut sacrificium in mundo sibi placens, nisi in hac terra factum.

Septimo. Familiarius se Deus habuit ad hujus terrae habitatores, quam ad quoscumque alios, ibique frequentius angelos apparere permisit.

Octavo. In illa terra miracula, signa, et prodigia fecit toto orbe stupenda, magis quam in quacumque parte mundi.

Nono. In hac Deus prophetas, patriarchas, sacerdotes, et reges per se ipsum posuit et ordinavit.

Decimo. In hac terra voluit incarnari, matrem sibi dignissimam condere, ex virgine nasci, circumcidi, baptizari, conversari, discipulos eligere, praedicare, miracula facere, sacramenta instituere, pati, crucifigi, et mori, sepeliri, resurgere, hinc in coelum ascendere, hic spiritum Sanctum apostolis mittere, ut ab hinc totus mundus sciret suam salutem effluxisse.

Undecimo. Curiam et Consistorium suum ac tribunal in hac sibi dilecta terra collocavit, ibique judicio disceptabit in fine mundi cum omnibus filiis hominum.

Duodecimo. Deus terram illam singularissime illustravit, ita, quod omnia, quae in ea sunt, sint alicujus magni mysterii significativa, quod non est in aliis terris. Tota enim terra illa est doctrinalis. Nam situs ejus, civitates, villae, castra, domus, montes, colles, campi, valles, maria, flumina, fontes, cisternae, aquae, siccitates, arida, petrae, lapides, aspera et plana, deserta et culta, viae et invia, horti, arbores, nomina locorum, omnia sunt mysteriis plena, et divina quaedam in se continent sacramenta, quae vel sunt de mysteriis divinis, vel de moribus humanis.

Ex his duodecim signis patet, quod Deus prae omnibus mundi terris hanc singulariter dilexit, Ex quibus merito

perpenditur, quanta loca illa sanctissima exundant haud dubio laude et gloria, quanta virtute et dignitate praestant, quanta proinde devotiona, si via ad ea nobis esset aptior, jure meritoque essent tum honoranda, tum visitanda. Quanto colenda affectu, quae et ipsa mater Domini Maria, virgo perpetua, ejus post ascensionem, dictarum rerum ob memoriam non tam incoluit multo post tempore, quam ardentissimis desideriorum insigniis honorabiliora nobis effecit. Ita et reliquae mulieres sanctae loca ipsa saepenumero devotissime exosculantes, atque hunc in modum plerique alii utriusque sexus homines fecere. Inter quos beatissimus fulget Hieronymus, eorundem locorum cultor et inhabitator praecipuus, qui in diversorio Mariae ad praesepe Domini in bethlehemitico tuguriolo latitare atque commorari romanis praetulit deliciis. Ita devotissima Paula et Eustochium cum multis virginibus, et venerabilis Marcella, ex Roma literis iam dictarum advocata. Sic et Melania, mulier urbica, cum multa familia Romam deseruit, Jerosolymam petiit, ibique monasterium construxit, Deo cum quinquaginta virginibus serviens. Haec, ut Jeronymus in epistola ad Paulam consolatoria super dormitione Blessillae dicit, quod una hora virum, et duos liberos amisit, mox cum omni, quam habebat, possessione iam hyeme navigavit, nolens oportunum navigationis tempus exspectare. [Tom. 1. Fol. 160. D.] Sed et Fabiola, ingentibus derelictis opibus, narrat Hieronymus in epitaphio Fabiolae ad Oceanum [Tom. 1. Fol. 197. sqq.] venisse in terram sanctam, ibi moraturam. Sic et sanctae foeminae ad loca sancta transmigrantes Rusticum ad se vocavere, ut habet Hieronymus in epistola ad Rusticum [Tom. 1. Fol. 219.] Sed et Susanna, nobilis virgo, de Roma Bethlehem adiit. Cujus tamen peregrinatio in malum cessit, ut Hieronymus in epistola objurgatoria ad eandem asserit [Tom. 4. Fol. 139. sqq.] Insuper B. Hieronymus multis scribit epistolas invitatorias ad loca sancta. Sicut ad Apronium (Tom. 2. Fol. 130.) Et Theodoram sanctam foeminam; ad Abigaum coecum (Tom. 1. Fol. 203.) Et Desiderium in epistola vocat (Tom. 3. Fol. 198.) Et Marcellam per epistolam, tamquam per Paulam et Eustochium missam, a Roma vocat ad loca sancta, collaudans ultra modum terram sanctam, et

civitatem Jerusalem (Tom. 1. Fol. 123.) Captum Johannem juvenem a Persis, de Perside cum miraculose Jeronymus in Jerusalem transvexit, ut habet Cyrillus. Et quamvis tempore B. Hieronymi oriens inquietissimus esset, propter barbarorum incursus, nullatenus tamen fugit, sed amore locorum sanctorum mansit. Unde in Epitaphio Fabiolae dicit: Nos in oriente iam tenuit fixa fides, et inveteratum locorum sanctorum desiderium, non obstantibus calamitatibus. (Tom. 1. Fol. 200. D.) Et cum vice (B) quadam venisset Romam, celerrime rediit Hierosolymam, vocans Romam Babylonem, et Asellam precatur, dicens: Ora, ut de Babylone regrediar Jerosolymam, et veniat Esdras, et reducat me in patriam. Haec in epistola ad Asallam (Tom. 2. Fol. 364. C.) Sic Ruffinus, etiam italicus vir nobilis, gloriam et divitias contemsit, et in Jerusalem pauper, pauperem Christum imitans, ibi vitam in multa virtute finivit. De his habetur in speculo historiali lib. 18. c. 89. Sed et Origenes derelicta patria loca sancta adiit in Palaestinam, Judaeam, et Syriam, ut Jeronymus habet de viris illustribus (Tom. 1. Fol. 285.) De hoc possemus aliquid altius adducere. Nam Helena, sancta Imperatrix, Jerosolymam ob amorem crucis locorumque sanctorum mare transivit. Sic etiam Eudochia, uxor Theodosii imperatoris, universis deliciis resignavit, et vitam caelibem circa loca sancta in hac terra finivit. Similiter fecit Pelagia, speciosissima femina, et lasciva, et meretrix Antiochena, quae occulte vanitatibus post se relictis in monte Oliveti concludi se in arctissima cellula fecit, et ibi in poenitentia devotissima vitam finivit. Legimus etiam, quod Wilhelmus, ecclesiae persecutor et tyrannus, per sanctum Bernhardum conversus, missus fuit ab Eugenio papa, et a B. Bernhardo Jerosolymam, et ad suscipiendam ibi poenitentiam a Patriarcha. Qui jussa complens tantam gratiam in locis sanctis promeruit, ut maximis postea clareret miraculis, et vitam arctissimam duceret monachalem. Ita clarissimi quique alii ex omni christianismo viri, qui pro sua eximia fide et devotione quantumlibet distarent, minus se habere christianae religionis ab olim putavere, nisi illa loca sanctissima suis perspexissent oculis, osculisque attigissent, atque illic Christum Dominum adorassent, ubi steterunt pedes ejus, et in quibus evangelium primum de

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

patibulo coruscavit, fidesque nostra sumsit exordium. Devota ergo visitatio illorum sanctissimorum locorum ad emendatioris vitae propositum concipiendum, hauriendamque suorum compunctionem criminum multum confert pio et fideli peregrino; ita, ut meo quidem judicio atque plurimorum mecum consentientium censura, nullus pene sit vel perrarus, qui non melior inde regrediatur, quam ante fuerat ingressus. Neque ob id hoc in loco gentili concesserim poetae, dicenti: Coelum non animum mutat, qui trans mare currit.

Esto! in curiosis id locum habeat, qui vanitatis ducti spiritu scrutandorum locorum causa eo pergunt, nullum referentes fructum ex tanto labore et sumtu, nisi quod veterum more exploratorum, quos Moyses miserat, terrae sanctae detrahere non cessant. At non sic in his, qui devotionis venerationisque gratia illo proficiscuntur. Quis enim christicola has ingressus terras sanctissimas non mox solveretur in lacrymas? Quis compunctionis non pie ferret indicia, etiamsi adamantino esset pectore? Quis, inquam, ex his locis, si tamen credat Deo et evangelio, non magnam sibi hauriat devotionem? Quis ibi melioris vitae sibi non imbibat voluntatem, vitaeque veteris poeniteat, ubi tot et tanta ad haec sub oculis habet incitamenta, ubi haud dubium divinia gratia efficacius prae caeteris locis in animas agit devotorum, si obex non ponatur. Sed de his iam satis est.

Explicit prologus et commendatio terrae
Sanctae, et peregrinationis. F. F. F.

(9A) Sequitur Particula primi Tractatus, qui continet cursum primae Evagationis F. F. F. in terram sanctam.

Incipit evagatorium. F. F. F. Lectoris in Ulma, ordinis fratrum Praedicatorum in terrae sanctae peregrinationem.

EVAGARI et discurrere per mundum, quamvis sit contra Monachi et Religiosi rationem, quia Monachus religiosus, quasi manens religatu sdicitur; tamen evagari cum licentia etobedientia suorum superiorum per mundum, per terram et mare, ad loca, ubi intellectus illuminatur, affectus inflammatur, vita in melius emendatur, meritum augmentatur, et experientia rerum utilium acquiritur,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nemo est, qui sentiat, talem evagationem religioso non convenire, maxime tamen si religiosus talis sit in officiis, quae congruenter expedire nequit, nisi multarum rerum experientia sit edoctus: sicut est officium praedicationis, quod utique virum intelligentem scripturas, expertum et imperterritum, requirit. Cum ergo ego F. F. F. ordinis praedicatorum, per superiores meos ad praedicationis officium exercendum sim missus, et per patres nostrae provinciae, more ordinis, praedicator generalis constitutus, ex eo tempore, quo praedicare inchoavi Jesum Christum, natum de virgine, passum et mortuum in cruce, concepi desiderium et propositum videndi loca illa sanctissima nativitatis, vitae, mortisque Jesu Domini nostri Salvatoris. Et quamquam ad scientiam praedicatori necessariam satis conferant documenta evangelica et apostolica, quae sanctorum studiosa lucubratione exornantur in dies, (B) ac per divini verbi declamationes cottidiana explanatione elucidantur: Non parum tamen ad eam ipsam conducit dictorum peragratio, et sub oculis conspectio locorum, in quibus, quamquam per exemplum facta, dicta, aut passa dietim aut legimus aut audivimus. Quam autem multum conferat inspectio illorum locorum sanctorum ad sacra scripturae intellectum, testatur B. Hieronymus in prologo 1. Paralipomenon, ubi sic dicit: Sicut graecorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint; et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leuchatem; et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia tyberis navigaverint: Ita sacram scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est, et antiquarum urbium memorias locorumque cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis hebraeorum hunc laborem subire, ut circummiremus provinciam, quam universae ecclesiae Christi sonant. Haec ille (Tom. 3. praefat. altera ad Domnion, Fol. 20. C.) Si ergo S. Jeronymus, vir illuminatissimus, ingeniosissimus, voluit sancta loca circuire, ut sacras scripturas melius posset intelligere, quid mirum, si ego et mei similes, quibus et ingeniolum rude, intellectus obtusus, conemur per eundem modum aliquantulam sacrarum scripturarum intelligentiam acquirere, praesertim cum etiam nunc ad oculum cernamus, quod puri laici, quibus nulla scripturarum sacrarum consuetudo, postquam peregrinando ad loca sancta migraverint, indeque redierint,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

disputant de evangelio et prophetis, loquuntur de rebus theologicis, et nonnumquam in quibusdam difficultatibus, sacram scripturam concernentibus, doctos et litteratos vincunt et instruunt, quia nullus catholicus ab his locis sanctis redit, nisi melius instructus. Cum ergo indocti seculares theologi a sanctis locis redeunt, nullum dubium est, quin clerici et aliquantulum docti, non mediocriter informati redibunt. Ob hanc ergo causam, et plures alias, quae factae sunt in praefata terrae sanctae commendatione, et quasdam alias, quas enumerare necesse non est, firmavi faciem meam, ut irem in Jerusalem, sicut de Domino Jesu dicitur Luc. 9. v. 51. et quantum Religioso licet, voto me ad hoc constrinxi. Deum autem testor, quod pro illa peregrinatione multis annis tanto desiderio aestuavi, ut pene nihil aliud vigilanti aut dormienti occurreret cogitandum. Et pro certo possum dicere, quod ultra mille noctis et quietis horas insomnes duxi, his cogitationibus insistens.

Porro, grave mihi erat petere licentiam ad tam inconsuetam et longam evagationem, et videbatur mihi quasi impossibile impetrare. Sed et ubi tantas expensas acciperem nec quidquam suspicari poteram. Inquietus tamen eram, et multorum quaesivi consilia, sed remanendi non inveni remedia. Tandem autem contuli me ad Illustrem Principem, comitem Eberhardum de Wurtenberg, seniorem, qui pridem in his sanctis locis fuerat; et in dominico sepulchro, quod est in Ierusalem, sacramentis militaribus constrictus militiae insignia ibi accepit, petens (**10 A**) suae Magnificentiae consilia, de concepta peregrinatione parficienda; pavidus enim fui, et vitae meae timebam, mare etiam, quod numquam prius videram, et multa audieram de eo, aliaque illius peregrinationis pericula, de quibus multa ante legeram, horrebam. Ideo pro consiliis, plus quam necesse fuit, huc illucque discurrebam. Generosus autem Comes, me audito, familiari affatu respondit: Tres, inquit, sunt humani actus, quos nullus debet suadere, aut dissuadere unico. Unus est contrahere matrimonium. Alter est inire bellum. Tertius est visitare sanctum sepulchrum. Hi, inquam tres actus sunt quidem boni, sed faciliter possunt malum finem sortiri. Quod dum fit, consulens tamquam reus mali eventus

venit inculpandus. Addit tamen prudens Comes, illam, de qua quaerebam, peregrinationem fore virtuosam, sanctam, laudabilem ac praeutilem illis duntaxat, qui divinae intuitu laudis eam assumerent, sed nimis fore periculosam illis, qui levitate ducti, aut curiositate, aut seculi pompam, aut quandam vilem ac transitoriam vanitatem finem ejus praestituerint. Haec ergo generosi principis verba non modicum desiderium meum augmentabant.

Alium quendam nobilem senem militem, qui etiam in sancto sepulchro militiam ante plures annos acceperat, adii, inquirens, quid mihi consuleret in hac re? Qui ex magno cordis affectu in haec verba prorupit: Ecce, frater, scias pro certo, si tanto non essem gravatus senio, nemo posset me abiterata peregrinatione agenda retrahere. Nusquam enim tantam Dei gratiam expertus sum, sicut circa loca redemtionis nostrae. Videbatur enim mihi quotiens me ad orationem contuli, coelum aperiri, et quasdam divinas mihi aliàs insuetas dulcedines et consolationes infundi.

Post haec abii ad quoddam monasterium monialium, et postulavi a Priorissa habere colloquium cum una sorore virgine, vulgatae devotionis et singularis, ut plures opinantur, sanctitatis, cum qua antea saepe pro mea aedificatione colloquium habui, vultum tamen ipsius numquam vidi. Huic virgini propositum meum exposui. Quae quadam insolita hilaritate perfusa respondit: Cito, cito, iter conceptum perficite, et nequaquam ultra manete, et Dominus sit comes itineris vestri. Haec virginis verba ita accepi, ac si de caelo sonuissent, et mox inchoavi me ad evagandum disponere. Morabatur autem tunc temporis Romae, in conventu nostro super Minervam, quidam frater provinciae nostrae, mihi notus et familiaris, cui scripsi intentum meum, petens, ut mihi Licentiam a Sanctissimo Domino Papa, Sixto IV. impetraret. Et a reverendissimo nostri ordinis Generali, Magistro Patre Leonhardo de Mansuetis de Perusio, sine quorum primordiali licentia nemo de provincia licentiasset me. Frater autem ille, ut bonus amicus, non segniter egit, sed quantocius quae petieram impetravit, et litteram testimonialem magistri generalis ordinis mihi misit, in

qua omnibus praecepit, ne quis eo inferior me praesumeret impedire in hac peregrinatione.

Hac litera habita accessi (**B**) cum ea ad nostrae provinciae reverendum Patrem Provincialem, et ad venerabilem Sacrae theologiae magistrum, Ludwicum Fuchs, PrioremUlmensum, eisque licentiam Domini papae et magistri Ordinis ostendi, petens, ut et ipsi benevolum consensum praeberent. Qui mea intensa voluntate considerata non tantum consensum praebuerunt, sed et adjutoria et promotiones addiderunt; et ita factum est, quod in paucis diebus in omnibus, quae mihi erant necessaria pro tanto itinere fui optime provisus, et iam ad discessum paratus.

Quod ut audivit vir nobilis et miles strenuus, Dominus Hypolithus vel Apollinaris, vel Pupillus de Lapide, pro tunc Praefectus superioris Bavariae, in Gundelfingen oppido residens, accersiri me fecit, et filium suum, Domicellum Georium de Lapide, quem Hierosolymam pro adipiscenda militia mittere decreverat, mihi commendavit, promittens refusionem et contributionem in expensis, et recognitionem in futuris beneficiis, si in comitem itineris mei filium ejus recipere non recusarem.

Libens autem consensi viro illi et Domicello Georio diem statui certum, quo ipse me in oppido Memmingen inveniret, et in loco illo et die statuto vellemus profectionem inchoare. Istis sic compositis Ulmam redii.

COMPENDIOSA DESCRIPTIO

primae evagationis in terram sanctam.

F. F. F.

SOLEMNITATE PASCHALI A^{o} DOMINI MCCCCLXXX, die IX. mensis aprilis, quae fuit dominica in octavis Paschae, qua cantatur: Quasi modo etc., in qua etiam celebratur ecclesiae fratrum praedicatorum in Ulma annua dedicatio, die eodem post prandium ex more ambonem ascendi, et populo, qui tam propter sermonem, quam propter indulgentias, in magna multidudine aderat, praedicavi. Finito sermone ante generalem confessionem solitam fieri a populo peregrinationem meam iam

jam inchoandum esse cunctis indicavi, hortans, et obsecrans eos, Deum precibus pulsare pro salubri mea reductione, et nunc in praesentiarum cantum dominicae resurrectionis, quem vulgus cantare solet, cum carmine marinae peregrinationis mecum in jubilo decantare. Quo dicto alta voce incepi: Chriſt iſt erſtanden ꝛc. Finito illo versu rursum intonavi; In Gottes Namen fahren wir ſeiner Gnaden ꝛc. Omnis autem populus cantans prosequebatur a me inchoata magnis et jucundis vocibus, et repetitis vicibus. Nec defuerunt ibi lacrymae (**11 A**) et singultus pro cantu eructantes. Multi enim utriusque sexus sollicitabantur et turbabantur timentes, sicut et ego ipse timui, meam in tantis periculis exstinctionem. Finito cantu, et impenso eis beneficio absolutionis generalis Deo eos commendavi, et signo crucis muniens valefeci et descendi.

Die autem decima quarta aprilis, mane, benedictione itinerantium accepta, deosculatis et complexis fratribus ascendimus equos, reverendus Magister Ludwicus et ego, cum famulo civitatis Ulmensis, et venimus in Memmingen, ibique juxta condictum inveni Dominum Pupillum (Apollinarem) de Lapide cum Georio filio suo, et cum multis armigeris. Et statim altera die, mane, aptavimus nos ad recessum, et nobilis juvenis valefecit patri et omnibus famulis suis, equumque ascendit, non absque moerore et metu. Sed et ego in amplexus observantissimi et dilectissimi patris mei rui, licentiam ab eo petens et paternam benedictionem, non sine gravi tristitia et dolore. Testes erant exuberantes lacrymae et singultus utriusque. Nec mirum. Divisio enim violenta filii a patre, amici veri ab amico sincero, naturae molesta est. Ultima autem dulcissimi patris mei monita inter amplexus et singultus sonabant, ut sui memor in locis sanctis essem, et statum meum de mari, si nuncius occurreret, scriptis renunciarem, et citius redire satagerem. Et ita moerens a me recessit, Ulmam cum famulo revertens ad filios suos, confratres meos. Post recessum patris gravis et quasi intolerabilis tentatio me apprehendit, nam delectabilis fervor, quo hactenus aestuaveram, videndi Jerusalem et loca sancta, penitus in me exstinctus est, et taeduit me itineris, et ipsa peregrinatio, quae dulcis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mihi et virtuosa visa fuerat, nunc gravis, amara, otiosa, inanis, et vitiosa videbatur. Et fremui in me ipso, quod ipsam aggressus fui, et omnes, qui mihi eam dissuaserant, iam optimos fautores et veros amicos judicavi; qui vero me induxerant, inimicos vitae meae censui esse. Et plusquam placuit mihi videre Sueviam, quam terram Chanaan; et Ulma melius sapuit mihi, quam Jerosolyma, et timor maris augmentatus est in me, et tantas displicentias accepi contra istam peregrinationem, quod si non verecundatus fuissem, post Magistrum Ludwicum festinassem, et cum eo Ulmam reingressus fuissem, et hoc pro tunc summum gaudium mihi fuisset. Ista autem maledicta tentatio per totam viam in me mansit, eratque mihi (B) molestissima, quia omnem delectationem, et gaudium, et affectum, quibus laborans perseverat et conservatur in opere, mihi abstulit, meque taediosum et pigrum reddidit ad considerandum loca terrarum et marium, et conscribendum, et si quid scripsi, vim mihi intuli, quâ taedium interdum vici, improbo labore.

Igitur Dominus Georius, una cum famulo quem sibi de patris familia elegerat, et ego simul profecti sumus de Memmingen, et infra paucas horas incepit ipse me et ego eum agnoscere, et fuit bona proportio inter nos et conditiones nostras, quod est valde solatiosum peregrinantibus per illam viam. Nam si quis habet socium suae conditionis non proportionatum, vae, vae sibi in ista peregrinatione. Sic ergo cum gaudio alpes penetravimus, usque ad Insprugg, et consequenter cum festinatione equitavimus, ut Venetias citius veniremus. Porro, unum contigit nobis in montanis, quod volo recitare. Cum venissemus usque ad villam, quae dicitur ad Scalam, et ibi a vera et regia via erravimus. Debuissemus enim montem ascendisse, et per ipsum castrum, quod in alto est situm, equitasse. Quod non fecimus, sed montem cum castro ad sinistram dimisimus, et per aulonem desceudimus, via satis trita et longa. Et cum iam extra montana de alto prospiceremus in planum, vidimus ante nos oppidum satis magnum, de quo mirati sumus, quia audivimus de aliquo oppido, ad quod venturi essemus illo die. Cum autem ad oppidum venissemus, deprehendimus, esse Bassunam, et

intelleximus nos a via declinasse, in ipso autem per noctem mansimus, et de vino rubeo, quod ibi praecipuum crescit, ad nutum bibimus. Taedio tamen multo affecti fuimus, quia nemo erat in hospitio, qui theutonicum nobiscum sciret loqui, et nos italicum ignoravimus, et per signa omnia postulavimus.

Altera die equitavimus in Castel Franck, et inde per Tarvisum, ibique venditis equis nostris in mulis Masters venimus, et inde in Margerum. In Margero vero terrae valefecimus, et descendimus ad mare in barcam, in qua usque Venetias ad fonticum Almannorum navigavimus.

In ipso autem Fontico interrogavimus de hospitio militum et peregrinorum. Et ducti sumus per quendam theutonicum ad S. Georium, et est hospitium magnum et honestum. Et invenimus ibi multos nobiles de diversis mundi regionibus, qui eodem voto, quo et nos adstricti intendebant mare transire, et sanctissimum domini Jesu sepulchrum visitare. Erant etiam in aliis hospitiis multi peregrini sacerdotes et religiosi, et seculares, nobiles et ignobiles, de Germania, de Gallia etiam et Francia quam plures erant, praecipue tamen duo episcopi, Dominus Gebennensis, et Dominus Senomanensis, cum copiosa comitativa et familia ibi exspectabant navis recessum, et quaedam etiam (**12 A**) mulieres, vetulae, devotae matronae divites, numero VI. ibi erant nobiscum, transfretare ad loca sancta cupientes. Miratus fui audaciam illarum vetularum, quae se ipsas prae senio ferre vix poterant, et tamen fragilitatis propriae oblitae, amore illius sanctae terrae in consortium militum juvenum se ingerebant, et laborem fortium virorum subibant.

Hoc quidem superbi nobiles aegre ferentes cogitabant navem, in qua transducendae essent illae matronae, non velle ascendere, indignum aestimantes, in vetularum consortio ad militiam suscipiendam pergere. Et ad hoc conabantur superbi illi omnes nos inducere, ne navem illam conduceremus, in quam vetulae venturae erant. Sed alii milites prudentiores et conscientiosi contradicebant superbis illis, et gaudebant de poenitentia illarum matronarum, sperantes, quod propter devotionem earum navigatio nostra salubrior fieret. Unde propter illam causam orta fuit inter nobiles illos implacabilis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inimicitia, et duravit, quousque Deus illos superbos de medio tulit. Manserunt autem devotae matronae illae nobiscum, cum per mare intrando et exeundo.

Porro Dominus Augustinus Conterinus, quod idem est, quam Comes Rheni, nobilis venetus peregrinos transducere intendebat, cum quo omnes convenimus de pretio et de naulo, et suam galêam conduximus, et Stantias, ac cumbas, i. e. loca personalia ab eo accepimus, per galêam, et recessum celerem optavimus; multos enim dies exspectavimus praeparationem galêae. Sed cum iam omnia parata essent, et nihil, nisi recessus optatus instaret, advenit quaedam navis, quae tristia nova adduxit; Quomodo scilicet imperator turcorum, Machumetus magnus, insulam Rhodum obsideret classe magna per mare, et armato exercitu equitum et peditum per terram, et totum mare Aegaeum, Carpaticum, et Malcum infestum haberet, et possibile non esset, hoc anno transducere peregrinos in terram sanctam. Quantam autem tristitiam peregrini de his novis rumoribus acceperint, non facile enarraverim, et quantae turbationes inde emerserint inter peregrinos, et divisiones, et litigia, taedet me scribere. Omnia tamen in quodam alio libello conscripsi, quae contigerunt nobis adversa Venetiis, et quomodo Francigenae fuerint a nobis divisi, cum tamen essent de galêa nostra. Porro nos peregrini de Germania convenimus, et ad Praetorem Senatus Venetorum ascendimus, petentes Dominos, quatenus dignarentur nostram galêam salvo conductu tueri, ne a turcis capi contingeret, et nos cum ea. Ad quod responsum fuit nobis, quod galêa esset quidem libera, et per turcos posset transire sine ejus captione, propter confoederationem turcorum cum venetis; sed de libertate peregrinorum in galea nollent nos (B) certificare, nec transitum maris pro illo anno consulere. Si autem omnino non placeret nobis manere, possemus navigare usque in Corcyram insulam, in qua Capitaneus maris cum classe armata Venetorum erat, et quidquid ille nobis consuleret, possemus secure facere, quia omnia facta turcorum sciret. Hoc cum nobis placuisset, nobis litteras ad praefatum Capitaneum et abire permiserunt, licentiantes patronum, ut nos educeret, cui prius prohibuerant, ne nos quoquam duceret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sic ergo omnes, tam peregrini quam alii, galêam ingressi sumus, et erat numerus peregrinantium centum et decem, omnium vero hominum in galêa simul intrantium CCCXXX. Levatis ergo anchoris et velis expansis in nomine Domini navigare incepimus, sequentes ventum, qui satis prosper erat, ita, quod in duabus horis ab omni terrae aspectu ejecti in altum fuimus. Non tamen diu duravit ventus prosper, et tertio die ad Parentiam, civitatem Histriae, quae est una natio Dalmatiae, applicuimus. Ibi homines terruerunt nos, dicentes nobis terribilia de Turcis; quapropter per aliquot dies ibi mansimus, quia dixerant nobis, quod cum pace in Corcyram insulam non possemus venire, pro eo, quod turci usque in mare Adriaticum se diffudissent, et omne, quod occurreret, captivarent et spoliarent. Hoc tamen non obstante a portu illo recessimus, et tarda navigatione post aliquot dies Jadram (Jaderam, vulgo Zaram) civitatem Dalmatiae applicuimus. Audito autem, quod pestis in ea regnaret, avertimus nos citius a civitate illa, et lenta navigatione ac taediosa processimus, et Lesinam civitatem venimus, ubi, dum in portum intrare vellemus, venit ventus bonus, cui vela commisimus, et dimittentes Lesinam fortiter processimus per aliquot horas. Post hoc surrexit ventus nobis penitus inutilis, et facto euripo incidimus in quaedam solitaria et asperrima loca Croatiae, et coacti fuimus, portum desertum petere, et vela remittere inter alta montana scopulosa. Ad fugiendum autem taedium descendimus in scaphis ad terram. Et ecce, defunctus unus, quem mare ejecerat, jacuit ibi in sabulo, foetens putredine. Galeotae autem, sicut sunt superstitiosi, territi ad mortui inventionem praedicere mala futura nobis coeperunt, et longius a corpore illo nos abduxerunt, nec erat, qui misereretur mortuo et sepulturam praestaret, et forte, si quis eum sepelivisset ipsum corpus mortuum bona futura pronuntiasset. Sicut legimus de Simonide philosopho Poeta, ut narrat Valerius Maximus L. 1. C. VII. exempl. 8, qui mare navigans, et litus petens, invenit mortuum corpus inhumatum, et statim misericordia motus sepelivit, et dum corpus evolveret, mittendum in fossam, vocem emisit defunctus, prohibens suum benefactorem, ne crastina die cum aliis, cum

quibus venerat, navigaret. Sicque aliis recedentibus ille mansit. Non multis autem elapsis horis navis procellis ac fluctibus obruta periit, et omnes in ea existentes.

Porro venti illi inutiles magis ac magis augmentati sunt, et tribus diebus ac noctibus in illis rupibus mansimus et quotiens egressi fuimus, totiens vi ventorum reinjecti fuimus, cum maxima molestia omnium. Veruntamen illa molestia fuit nostra salus. Nam dum triduo post bono vento afflante de illo loco mare altum peteremus, occurrit nobis una galêa praedalis venetiana, et dum juxta nos venisset, interrogaverunt nos gubernatores, an aliquid passi fuissemus in via maris pridie vel nudius tertius? Quibus cum diceremus, nihil, nisi ventos contrarios, qui nos iactassent in montana, dixerunt, benedicti sint venti illi, qui vos ad loca occulta jactaverunt. Si enim in latitudine maris pridie fuissetis, in classem armatam turcicam incidissetis, quae pergit contra Apuliam, ut ibi praedas a christianis sumat. Hoc audito (**13 A**) Deum laudavimus, qui nos eripuit de manibus turcorum hac vice.

Processimus autem et post aliquot dies ad Kursulam in Illyrium venimus, et portum Kursulae civitatis ingressi mane missam ibi audivimus. Est autem Kursula civitas in Illyrico sita, et alio nomine vocatur Prepo in alto, supra montem petrosum sita vel locata, parva quidem sed populosa, sub dominio Venetorum, et muris ac turribus bene munita, et est ibi Episcopatus.

Porro timor magnus invasit omnes inhabitatores ejus, praecaventes, ne forte turci, quos per mare vagari ad praedam viderunt cottidie, etiam eos invaderent, et mirabantur de nobis, quod navigare per mare praesumeremus in tanto periculo. Et prudentes regressum nobis consulebant. Sed ad haec minime intendimus. Navem autem ingressi sumus, emtis in civitate vino, et panibus, et aliis necessariis. Dum vero antemonem sursum traherent, ex cujusdam galeotae negligentia deorsum ruit, et quendam alium galeotam percutiens exstinxit. Huic periculoso casui prope astitit Dominus Senomanensis episcopus, et ego ad latus ejus, cum multis aliis, et parum distabat, quod omnes fuissemus oppressi et exstincti. Juvenem autem exstinctum, involutum linteo,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sacculum cum lapidibus ad pedes ejus appenderunt, sicque eum in mare miserunt.

Nos vero veloci cursu a Kursula rejecti circa medium noctis ad Epidaurum, quae vulgato nomine Ragusium dicitur, venimus, et portum Ragusinum ingressi anchoras ejecimus, et nave stabilita usque ad ortum solis dormivimus. Postea urbem ingressi sumus, sed hospitia non invenimus sicut in partibus nostris. Idcirco ego cum Domino meo Georio de Lapide et quibusdam aliis nobilibus transivimus ad conventum fratrum praedicatorum, petentes, ut pro pecuniis nobis darent aliquid ad manducandum. Et apportaverunt nobis cibaria bona, et vinum optimum Schlavonicum, et laute nos procuraverunt.

Porro Prior loci venit, ducens duos fratres secum, fratrem scilicet Franciscum de Catoro, et fratrem Dominicum, quos mihi commendavit, eosque mihi in socios itineris mei assignavit, volebant et ipsi nobiscum Jerosolymam proficisci. De quo ego plurimum fui laetificatus, quia hactenus sine fratre ordinis nostri fueram, et eorum societas fuit mihi super aurum desiderabilis. Refectis ergo nobis et viso conventu per civitatem ivimus, eam contemplantes. Sic et alii peregrini fecerunt. Vidimus autem munitiones mirabiles illius civitatis, turres, et profundissima fossata, in quibus effodiendis actu multi laborabant, et mirabamur. Et interrogavimus, an et ipsi turcam timerent; cum sint tributarii ejus? Responderunt: utique timemus, et nos contra eum munimus; quia, si hodie amicus est, cras forte erit inimicus. Arguebant autem nos, tamquam imprudentes essemus, quod illo periculoso tempore ausi essemus per mare vagari, quum nec ipsi audebant in mari (B) apparere, suadebant autem nobis ibi manere, quousque meliora nova audirentur. De ista civitate et aliis locis dicam in reversione secundae meae peregrinationis. Cum vero sero factum esset, intravimus omnes galeam, et eadem nocte recessimus a portu ragusino cum bono ventu, et multam viam ea nocte fecimus. Sed facto die validus surrexit ventus et nobis inutilis, qui extra verum maris tramitem nos ejecit contra Apuliam, quam ante nos vidimus; in eamque incidissemus, si naucleri nostri arte navem non retinuissent. Post

longam autem navigationem pervenimus ad insulas Gazapoleos, et ventum non habuimus, nec transivimus, nisi quantum galeotarum pigro tractu remis movebamur paulatim.

Venimus autem ad locum quendam, ubi stat civitas supra mare, in monte, bene murata, sed totaliter desolata per draconis cujusdam flatum, ut postea dicetur, et consequenter inter montana taediosa navigatione transeuntes ad districtum quendam venimus, ubi galêa fixa super aquas stabat, nec remis huc aut illuc moveri poterat; sed, ut dixi, sicut palus stabat, quasi parata in profundum mergi, quia subtus eam erat vorago Abyssâlis, vel terrae hiatus, qui sorbebat ibi magnam maris partem, et aquae in abyssum ibi illabebantur. Ideo stabant ibi superiores aquae, descensum in abyssum exspectantes, et quando mare in illa parte non habet multas aquas, tunc aqua rotatur, et ea, quae superius natant, descensum minantur. Et de facto naves ibi absorberentur, si gubernatores arte non obstiterint. In illo ergo loco stetimus, et galeotae multis clamoribus et laboribus conabantur galêam a faucibus istis removere, sed in vanum laborabant. Quod videntes hi, qui erant in civitate Corcyrae, quia Corcyram insulam et civitatem prae oculis habuimus, descenderunt ad nos de Corcyra, alias Corfun, cum duabus parvis galêis, et funes ad nostram galêam alligantes, connectentes eas ad puppes suas, et remis suas galêas trahentes cum magna violentia galêam nostram de faucibus abyssi extrahebant, ne absorberet nos profundum, et erepti adscendimus ad Corcyram insulam, et post solis occubitum portum civitatis ingressi sumus, qui stabat plenus navibus praedalibus, quia, ut dixerant nobis domini Veneti, Capitaneus maris cum classe armata ibi erat in custodia maris. Dormivimus ergo usque mane. Mane autem facto egressi sumus in barcis ad civitatem, et eam repletam hominibus invenimus, et multi turci ibi inter christianos deambulabant. Missa audita domunculam quandam in suburbio conduximus nos peregrini de Suevia et Bavaria, et ibi coximus, comedimus, bibimus, et dormivimus. Erat autem domuncula parva et lignea, de antiquis et aridissimis lignis. Unde contigit, quod propter excessivum ignem, quem coquendo accendimus, ipsa domuncula bina vice realiter ardere coepit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

semper tamen ignem sopivimus, ita quod clamor nullus fuit factus. (14 A) In secunda tamen vice vicini tectum ardere videntes cum ejulatu et clamore accurrerunt, nos vero cum scalis tectum ascendimus, et materiam flammis detraximus.

In hoc casu non in modico eramus periculo, quia, si ignis invaluisset, omnia concremata fuissent, et ipsi graeci Corcyrenses domus suas cum detrimento vitae nostrae vindicassent; sunt quippe Alemannis multum infesti, et faciliter contra eos insurgunt. Igitur, cum manducassemus, litteram, quam Venetorum Senatus nobis tradiderat, ad Capitaneum maris (tulimus), eidem cum reverentia praesentavimus; petentes ejus consilium et auxilium in causa nostrae peregrinationis. Qui literam legens consuluit nobis, ut cum galêa nostra Venetias reverteremus. Hoc autem cum grave nobis esse perpendisset, cum quadam indignatione dixit: Quae insipientia est in vobis, quod tanto discrimini, corporis et animae, vitae et substantiae, vos vultis exponere? Ecce iam mare repletum est crudelissimis turcis, quorum manus nullatenus poteritis evadere. Revertimini Venetias, aut in aliquo maris portu manete, donec meliores rumores audiantur. Si autem vos omnino vultis in orientem nunc proficisci, provideatis vobis de navigio, galêam istam, in qua venistis, ego non dimittam, quia S. Marci est. Hoc cum audissemus, turbati multum a viro recessimus, tempus deliberandi petentes. Interea verbis capitanei confractae sunt mentes multorum, praesertim illorum episcoporum, qui cum omni familia sua decreverunt remeare Venetias. Aliqui etiam de militibus nostris formidulosi erant, et ad retrocedendum parati; aliqui vero fortes et imperterriti erant, cum quibus et ego steti, et timorosos, quantum potui, animavi et confortavi, praedicando eis et allegando ex sacris scripturis, quae poterant in spem divini auxilii eos erigere. Contigit autem die quadam, me absente, quod domini milites societatis meae colloquebantur de nostra periculosa peregrinatione, et aliqui eam consulebant, aliqui vero dissuadebant formidulosi. Inter quos unus dixit: Non oportet ad verba et hortamenta, quae dicit Frater Felix attendere. Quid sibi de morte aut de vita? Ipse est frater de observantia, et non habet divitias, nec amicos, nec honores nec alia quae in mundo sunt, sicut nos habemus. Facilius

est sibi, compendiose gladio turcorum mortem subire, quam in suo monasterio multis mortibus senescere. Et multa alia dixit, ut posset dominos avertere, ne me audirent. Quae omnia fuerunt mihi relata. Postea eundem militem vice versa confortavi, ita quod non potuit persuaderi ad redeundum. Retinuit autem nos capitaneus VIII. diebus in Corcyra et omni die terribiliora nobis proposuit, sed nos theutonici omnes absolute concordavimus, nolle redire, sed in nomine Domini Jerosolymam pergere. Videns autem (B) Capitaneus nos obstinatos in nostro proposito se amplius non intromisit de nostra peregrinatione, et ita disposuimus nos ad recessum, introferentes in galêam ea, quae emeramus. Et cum omnes navigare volentes essent iam in galêa, et cum gaudio colloquium haberemus, juxta malum supra stantes, unus de prudentioribus petivit silentium fieri. Quo facto dixit: Ecce domini et fratres mei peregrini, rem grandem, difficilem, et arduam aggredimur, peregrinando per mare. Et dico vobis pro certo, quod humanitus loquendo stulte facimus tanto periculo nos exponendo, contra domini capitanei maris et omnium aliorum consilium et persuasiones. Idcirco domini episcopi et confratres nostri nobiliores, potentiores, digniores, et forte prudentiores resignaverunt, et ad propria redire contendunt, sequentes consilia; nos vero in contrarium conamur. Ut ergo conatus noster non sit stulta et vitiosa audacia, necesse erit, ut vitam nostram in galêa reformemus, et crebrius fortissimum Dominum et sanctos ejus invocemus pro coelesti auxilio, ut cuneos inimicorum Christi et classes eorum penetrare valeamus. His dictis communi sententia decrevimus, ut nullus amplius ludus cum taxillis, aut cum chartis in galêa fieret, nec litigia, juramenta et blasphemiae (perpetrarentur), et quod clerici et sacerdotes ad consueta officia singulis diebus litanias adderent. In praedictis enim, ante illam ordinationem, multae exorbitationes fiebant; nam continuo mane, vespere, et meridie ludebant, praecipue episcopus Gebenensis cum suis, et cum hoc pessime jurabant, et quotidie contendebant, Franci enim et nostri theutonici erant in continuo certamine. Unde quidam de famulis domini Gebenensis percussit quendam devotum sacerdotem de nostris, et incidit in excommunicationem. Sunt enim Franci

homines superbi et passionatissimi; ideo divina dispositione actum esse credo, ut separarentur a nobis, et galêa sic repurgaretur. Vix enim cum eis venissemus in Ierusalem sine sanguinis effusione et aliquorum occisione. Mansimus autem per unam noctem in Corcyra, dormientes in navi. Porro eadem nocte valde perterriti fuimus. Nam cum iam tenebrae essent in sero, et adhuc in colloquio juxta malum staremus, deprehendimus unam alienam barcam galêae nostrae adhaerere, in qua erant turci, exploratores, et cupientes audire colloquia nostra. Statim autem ad lapides cucurrimus, post fugientes jactantes. Barca vero prolapsa in mari altum repente petiit, et evasit. Mane autem facto insonuerunt tubicines nostri baccinis, sive trumpetae, insinuantes recessum instare, et soluta galêa cum laetitia et cantu portui dorsum vertimus. Et stabant peregrini remanentes, nosque deridebant, dicentes: nos esse homines desperatos, et Wagheis. Commune enim verbum fuit in Corcyra, quod antequam Metonam veniremus, capti essemus. Sic ergo nos ab aspectu Corcyrae sublati sumus, et cum gaudio et timore (15 A) processimus.

Porro illi XL peregrini, qui remanserant Corcyri, conducta navi reversi sunt Venetias, quo cum venissent, pro certo divulgabant, nos esse captos per turcos. Sic etiam dicebant in caeteris civitatibus Italiae, Galliae, et Germaniae. Hoc autem facientes volebant suam timiditatem palliare cum diffortuniis nostris. Unde in nonnullis locis fuerunt mihi celebratae missae de Requiem per Sueviam. Ipsam enim Sueviam et Bavariam mendaciis illis repleverunt. Interea prospero cursu Metonam venimus, nec vidimus in mari vel parvam naviculam, de quo et Metonenses mirabantur. Omnes enim maritimi timore magno erant perculsi. Cum magno autem serio suadebant nobis theutonici, qui domum ibi habent, ne ulterius progredi perseveremus, et dicebant nobis multa terribilia. Nos vero sicut prius ita et nunc nullo terrore retracti ad iter nostrum perficiendum processimus; et Deo duce cum pace et sine perterrente Cretam venimus, portumque Candiae cum gaudio ingressi sumus. Ad nostrum autem ingressum accurrit quasi tota civitas, videre nos, quia erat monstruosum, imo miraculosum, jam Christianam Galêam

Turcorum saevitiam evadere, quos videbant cottidie in armatis triremibus pro praeda per mare discurrere. Intravimus autem ad quendam Theutonicum, qui licet esset Patronus turpitudinis tamen ad nostrum ingressum mundavit aedem, et scorta removit. Non erat aliud hospitium ibi pro peregrinis. Porro juxta domum illam erat alia domus, hospitium Turcorum mercatorum, et actu erant in ea multi Turci Constantinopolitani mercatores divites, qui, ut nobis referebatur, dicebant: homines isti, si ulterius processerint, perditi sunt. Quidam etiam de Turcis ad nos in domum venerunt, avisantes nos, ne rebus sic stantibus mare intraremus, quia capi nos esset consequens. Insuper dux Candiae et sui consiliarii, volentes nobis misericordiam praestare, miserunt ad nos Oratorem, qui pulcherrima oratione Latina commendabat nostram peregrinationem et plurimis rationibus dissuadebat ulteriorem profectionem, ostendens jam et majus periculum quam hucusque, quia inter Cretam et Cyprum mediaret Rhodus insula, quae erat obsidione Turcorum vallata, nec possemus evadere, quin in hoc medio occurrent nobis Turcorum piratae. Mansimus autem ibi per quinque dies, et omni die pejora nova accepimus. Quibus tamen non obstantibus Galêam ingressi sumus, et ad profectionem nos disposuimus. Cum timore autem navigare incepimus timentes ne forte ventus veniret, et raptam Galêam in exercitum et obsidionem Turcorum nos projiceret. Quam cito autem extra portum in altum venimus; ecce aspiravit ventus fortissimus et optatus, et longe a Cycladum insulis, quarum Rhodus prima est, nos (B) ejecit. Et ferebamur impulsu prosperorum ventorum, qui continue succrescebant, et mare fremebat, et fluctus intumescebant, adeo quod tempestas valida facta fuit. Et omnia superiora navis aquis erant perfusa. Haec autem tempestas erat saluberrima nobis tum quia repente impellebat nos ad portus intentos, tum etiam quia reddidit nos ab invasione Turcorum securos. Quia impossibile erat nostram navem capi in tam rapidissimo cursu existentem. Ex tunc ergo deposuimus omnem apparatum bellicum, bombardas, cuspides, lanceas, scuta et clypeos, balistas et arcus, lapides et jacula, quibus in Corzyra Galêam nostram munivimus contra Turcorum incursum, quia vidimus nos inimicos crucis Christi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

evasisse. Interea die secunda venimus Cyprum et ad portum Limovicensem applicuimus, quia ventus contrarius nos cöegit petere portum. Illo vento quiescente ad portum Nimonicensem navigavimus mansuri ibi per aliquot dies, quia dominus Patronus fratrem habuit cum Regina Cypri Nichosiae, cum quo tractatum habuit, cujus finem expectare nos oportuit. Expedito negotio solvimus triremem et cum magno desiderio proximum portum, in quem venturi eramus, desideravimus citius attingere. Nullum enim portum nisi terrae sanctae amplius habuimus. Tandem vento nos impellente tertia die terram sanctam vidimus, et prae Jubilo: Te Deum laudamus, altisonis vocibus decantavimus, et proram contra portum Joppen, quam Japha vulgares nominant, direximus, et ante scopulos Andromedae, anchoris ejectis, navem stabilivimus. Statim autem Dominus Patronus emisit servum unum ad hoc dispositum, ut curreret in Jerusalem, et Patri Gardiano montis Syon nunciaret adventum nostrum, ut veniens cum Dominis et asinariis ducerent nos in Jerusalem. Et mansimus sic in Galêa expectantes conductores nostros VII. diebus; post quos in barceis educti sumus ad terram, et intrusi in vetustissima habitacula testudinata et ruinosa et foetida, in quibus una duntaxat nocte mansimus: et post hoc ad asinos nobis adductos transivimus, sedentes super eos, et ita a mari cum Sarracenis recessimus et in civitatem Rama venimus; in qua per aliquot dies commorantes inde Jerosolymam ingressi sumus; non in hospitale, sed in quandam domum in Mello locatam ducti fuimus; ibique comedimus et dormivimus etc.

Mansimus autem in terra sancta non plus quam IX. diebus, in quibus circuivimus omnia loca sancta communia, cum maxima festinantia, et die ac nocte in labore peregrinandi eramus occupati; et vix dabatur nobis tempus paululum quiescendi. Visitatis autem sanctis locis perfunctorie et domino meo Georio de Lapide, cum aliis nobilibus insigniis militiae in dominico sepulchro adornatis eduxerunt nos extra civitatem sanctam, per viam, qua veneramus ad mare, ubi nostra Galêa stabat. (**16A**) Porro nemo mansit de Peregrinis in Jerusalem nisi duo Anglici volentes transire ad Sanctam Katharinam, cum quibus libenter mansissem, si Theutonicum

aut latinam linguam novissent, et quia cum eis loqui non potuis, non erat mihi societas apta vel proportionata: verumtamen his non obstantibus cum eis in Jerusalem mansissem, et patientiam de linguae carentia habuissem, si non firmo proposito concepissem iterum redeundi in Jerusalem. Ab ea namque hora, qua tempus nostrum aderat recedendi a civitate sancta, proposui, juravi et statui me quantocyus reversurum, et illam sanctam peregrinationem tanquam praeambulum futurae habui. Sicut studens lectionem aliquam memoriae commendare intendens, primo perfunctorie lectionem praevidet et postea repetit mature et tractim tempus accipiens sufficiens imprimendi; sic et in proposito feci, et nullo modo contentus fui de visis, nec ea, quae videram, memoriae commendaveram, sed servavi futurae peregrinationi.

Igitur cum ad mare venissemus, eramus pene omnes infirmi laboribus, caloribus, vigiliis et penuriis extenuati, et ita infirmi reducti fuimus in Galêam, et facta fuit Galêa tanquam Hospitale repletum miseris et infirmis hominibus. Post multos dies revenimus in Cyprum in felici navigatione reducti in portum qui dicitur: Salina; et ibi debiliores peregrinos in villam quandam prope induximus, saniores vero peregrini cum Domino Patrono conductis equis in Nychosiam profecti sunt, quae est civitus metropolitana Cypriae, et sedes regni, VI. Theutonicis miliaribus distans a mari. Est autem de antiquo more, quod milites sancti sepulchri praesentant se regi Cypri et quoddam pactum cum eo ineunt: qui etiam eos socios suos vocat, et libro nomina eorum intitulat dans eis argenteum gladiolum in vagina cingulo circumligatum, et in fine gladioli pendet argenteus flosculus, violae speciem praeferens, in signum foederatae societatis. Ea ergo de causa dominus meus Georius de Lapide, cui ego semper adhaesi, cum aliis nobilibus Nichosiam urbem intravimus, et per tres dies ibi fuimus. Sed quia jam regnum Cypri caret rege, ideo nobiles a Domina Regina petierunt recipi in societatem Regum Cypri. Quae eos in Caenaculum grande vocavit, et ante se locatis jura illius societatis per Interpretem eis proposuit, quae sunt: ut regnum Cypri in ejus necessitate defensare conentur, cum sit medium inter Sarracenos, Turcos et Tartaros. Qui

manu fide data reginae, tradidit eis gladiolos et abire permisit. Post haec in equis reversi sumus ad mare. Porro in via transivimus ad radices cujusdam altissimi montis, in cujus supercilio Capella est, in qua dixerunt nobis crucem dextri latronis esse locatam, et mirabiliter suspensam, quam libenter vidissem. Sed tempus non habui, ideo etiam hoc ad secundam peregrinationem meam suspendi. Cumque ad mare in Galêam venissemus, reperimus duos peregrinos defunctos, unus erat Sacerdos ordinis Minorum, vir fortis et doctus, alter erat sartor (B) Biccardus, vir probus et bonus. Aliqui vero erant in agonia mortis. Sed et nos, qui de Nichosia venimus in lectulos decidimus aegritudinis magnae: et adeo multiplicati fuerunt infirmi, quod servitores non erant, qui necessaria cupita infirmis ministrarent. Videntes autem antiquae vetulae matronae necessitatem nostram, motae super nos misericordia nobis servierunt; non enim erat aliqua inter eas infirma. In quo facto confudit Deus in robore illarum vetularum fortitudinem illorum militum, qui Venetiis eas spernebant, cum eisque navigare refugiebant. Discurrebant autem per Galêam de uno infirmo ad alterum et suis spretoribus derisoribus in lectulis prostratis serviebant. Praeter infirmitates autem et miserias praefatas renovatus est in nobis Turcorum timor, et jam magis timere incepimus quam prius. Interea gubernatores solverunt Galêam, et mare petentes ventorum adjutorium nullum habuimus; sed inutiliter ad litus Cypri volutabamur. Idcirco iterum ad Cyprum applicuimus in portam sterilem Limonam. In quo cum inpatientia ventos secundos exspectavimus. Post duos dies portum illum egressi sumus ad mare. Sed ecce ventus inutilis venit, nosque in fretum tulit longius a terra et ab itinere nostro, et multis diebus sic inutiliter vagabamur, et incepimus egere in navi, et defectum omnium necessariorum pati. Interea quidam miles miserabili fine diem clausit extremum; quem illigato linteo, et lapidibus gravatum, cum planctu marinis fluctibus exposuimus. Die tertia post haec quidam alius miles, alienatus a sensibus cumamultis clamoribus et doloribus exspiravit. Hunc ad terram in barcca duximus sepeliendum, quia prope ad litus Cypri juxta Paphum eramus. Pessimam inter haec navigationem

habuimus, et defectum aquae, panis et aliorum patiebamur. Ejecti autem sumus per inutilem ventum a conspectu Cypri, et tribus diebus ac noctibus nullam terram vidimus; et post hoc iterum ad latus Cypri delati sumus ad portum Paphum, de quo fit mentio Actor. 13. Et in illo portu necessaria emimus, et citius ab eo recessimus, et inutiliter sine profectu ad latus Cypri ferebamur. Ad haec diffortunia accessit aliud valde triste. Nam eadem nocte gubernatoribus occupatis circa vela et Galêae instrumenta, ecce ex improviso de supremo mali una trochlea decidit, et optimum gubernatorem tangens extinxit, ad cujus nutum universi marinarii Galestreli et Galeotae movebantur. Magnus ultra modum planctus factus est in Galêa de morte illius viri: nec erat sibi similis in Galêa, qui succederet in locum ejus. Multis autem diebus taediosam fecimus navigationem, et Cretensem portum optavimus attingere, et longius a Rhodo recedere, sed parum profecimus. Interea die quadam vidimus a longe super mare contra nos Galêam praedalem properantem, et vehementer timuimus, aestimantes (17 A) Turcos venire: sed dum proximior fieret, cognovimus esse Galêam Venetianam, et dopositis armis, quae produci jusserat Patronus pro defensione contra Turcos, praestolabamur praesentiam illius Galêae ad audiendum rumores novos. Quae cum praesto esset, intelleximus Turcum a Rhodo cum exercitibus suis confusum et victum recessise. Ad haec nova gaudio ineffabili repleti sumus, et rostrum Galêae ab itinere caepto avertimus, et ad Rhodum Insulam nos convertimus. Ad quam tamen propter ventorum inutilium impedimenta in multis diebus non venimus. Imo in terminos Turcorum projecti sumus, et aulonem quendam navigavimus in quo ab utraque parte terram et montana Turciae habuimus. Innovatus est inter haec timor noster, et timebamus, quod Turci nos videntes forte in nos saevirent, propter confusionem, quam in Rhodo acceperant, vindicandam. Nullum etiam ventum habuimus et taediosissima navigatione inter Turcorum montana processimus, pigro remorum tractu. Tandem advenit ventus, quinos liberavit, Galêamque repente ad Insulam Rhodum impulit, longe tamen a Colossensium civitate, ad latus montanorum processimus. Ad locum autem 'quendam

venimus, in quo de pede montis fons vivus emanat, ad quem ejecta barcca Gelêoti cum brillis navigantes recentem aquam ad Galêam tulerunt. Quibus Galêam intrantibus accurrerunt omnes de suis mansiunculis et cumbis cum scutellis, crateribus, ciathis, vialis flasconibus, vitris et boccalibus ad mendicandum aquam a Galêotis et Barcaleris. Et fuit tanta compressio pro aqua, quantam nunquam vidi pro vino aut pro pane. Libenter autem et hilariter aquam diviserunt singulis. Ex aquae ergo recentis gustu refocillati sumus, et quodammodo reviximus, sicut herbae et virgulta Solis ardoribus adusta, et humiliata pluvia et roris perfusione revirescunt. Tota enim Galêa ad aquae gustum exhilarata fuit, et qui prius vix poterant spirare, jam incipiebant cantare. Nam laetitiam, quam vinum bonum temperatè sumptum causat, hanc aqua post longam sitim infert. Quantas tribulationes et defectus sustinuerimus a portu Joppensi terrae sanctae, usque huc, dicere non sufficio. Nam in illis miseriarum nostrarum diebus miratus saepe fui, quod homo est adeo delicatus in terra existens, quod sollicitatur quasi per totum annum ad jejunium quadragesimae et de abstinentia in pane et aqua in Parasceve perficiendo. O si in his diebus habuissemus pro semel tantum in die, non dico cibos quadragesimales in abundantia, sed victum parascevalem in pondere et mensura, libentissime jejunassemus. In Parasceve enim ministratur jejunantibus panis albus recens et bonus, et aqua clara, frigida, dulcis et sapida, quam si habuissemus felices nos fuisse judicassemus. Ibi enim non erat amplius aqua nisi putrida et faetidissima, et si aliquis Galêota habuit aquam nondum foetentem, emebant eam peregrini, (B) majori pretio quam vinum, non obstante etiam, quod erat calida, et albida, non omnino clara. Et quod his magis mirabile est apud non expertum, et miserabile apud expertos, in tanta eramus miseria, et defectione, quod aquae putridae et foetidae erant pretiosae, et magna erat cura domino Patrono et omnium gubernatorum, ne et illae aquae nobis deficerent. Idcirco prohibuit Dominus Patronus, ne Cellerarius ulterius potum aquae hujusmodi bestiis ministraret, quae in stabulo stabant mactandae, sed reservaretur hominibus, quos siti mori crudelius esset

quam bestias. Sic ergo stabant oves, caprae, muli et porcelli per aliquot dies sine adaquatione in ariditate et siti. In his diebus vidi saepe, quod mane bestiae ipsae lambebant ligna et asseres, rorem, qui noctibus ea madidaverat, inde sugentes. Et quanquam in aquis essemus infinitis, tamen maris aquae nec bestiis nec hominibus sunt potabiles. Potius moritur homo aut bestia potu illius amarissimae aquae, quam refocilletur. Defectus aquae omnes maris miserias excedit. Sileo de marcidis panibus et vermiculosis paximatibus, et muscidis carnibus, et abonimabilibus cocturis, de quibus tamen omnibus contenti fuissemus, si aquam sanam habuissemus ad mensuram, et si non pro sanis, saltem pro nostris miseris infirmis. Saepissime tantam sitim passus ego fui, et tantum aquae frigidae desiderium habui, quod cogitavi, quando contingenet me Ulmam reverti, statim ascendere vellem in Blaubüren et ibi ad lacum de profundo emanentem sedere ad satisfaciendum appetitui meo. Vini defectus non erat in Galêa, sed abundans et praecipuum reperiebatur faciliter. Sed nihil sine aquae admixtione nobis sapiebat propter sui fortitudinem et tepiditatem, et tantum de illo.

Igitur de loco, ubi aquam hauseramus, repente per bonum ventum projecti sumus, ad portum Colossensem ante Rhodiorum civitatem. Erat autem nox, circa horam nonam ante mediam noctem et Lunae splendentis clare beneficio, quo navigaremus, vidimus. Cumque portum intrare conaremur, et nostri marinarii vela cum labore clamoroso, ut fieri solet, verterent, incenderunt in turribus lumina, et per muros discurrentes tumultum magnum habuerunt, putantes nos esse adversarios Turcas et incensa una bombarda magna sonitu ingenti nos terruerunt. Quo terrore percussi lumina plurima accendimus et nos, et superioribus Galêae (partibus) stabamus, precantes, ne nos laederent, quia cruce Christi signati essemus, et amici Crucifixi, cujus inimicos paulo ante ni hoc loco prostratos esse nos minime lateret. Hoc cum custodes audivissent, Machinas paratas ad jaciendum contra nos averterunt, et arcus detentos remiserunt. Concurrerunt autem undique de civitate super murum cum faculis ardentibus videre hospites Christianos cupientes. Nullam enim navem Christianam adhuc (18A) viderant, ex quo Turcorum classem a se fugaverant.

Porro speculator de turri interrogavit, qui essemus et unde essemus? Cui unus de Galéotis minus provide respondit. Venetiani, inquit, sumus, et Galêa est S. Marci propria. Dominus autem Patronus jussit pugnis tundi os Galeotae illius; et alium praecepit clamare sic: Galêa ista venit de Joppen, et inexistentes eam sunt milites peregrini de Ierusalem et navigare cupimus in Italiam. Timebat enim dominus Patronus, quod non gratus hospes esset, pro eo quod erat Venetianus, quibus Rhodiani non multum afficiebantur, propter confoederationem cum Turcis. Audito enim turribus quod essemus peregrini salutaverunt nos pacifice, et ante portum stabilire navem permiserunt, nequaquam autem portum intrare, ne forte dolosa simulatione deciperentur. Navi ergo locata in cumbas nostras descendimus, et dormivimus usque mane.

Mane antequam surgeremus, navigaverunt aliqui de Dominis Rhodiensibus ad nos perscrutantes Galêam et peregrinos videntes, cum quibus in civitatem navigavimus per Cadavera Turcorum interfectorum, quibus adhuc littus plenum erat, quos mare ejecerat. Et ingressi civitatem eam miserabiliter destructam invenimus, et plenam spericis [Sphaericis] lapidibus magnis et mediocribus, quos Turci machinis injecerant, quae dicuntur fuisse octo millia et unus per vicos et plateas et domos dispersi; et ruinas miserabiles murorum et turrium, et multa alia de quibus inreversione secundae Evagationis dicam. Mansimus autem quatuor diebus in Rhodo et consumpsimus multam pecuniam, quia omnia erant in carissimo foro facta ex quo Turci Insulam devastaverant et spoliaverant. Ego ipse emi pro domino meo Georio duas gallinas pro I. Ducato, quia erat debilis, sicut et ego; laboravi enim tunc dysenteria, et de vita mea pene desperavi.

Interea tempus advenit, quo recedere deberemus, et ingressi sunt nobiscum in Galêam aliqui de dominis Johannitis, et quidam qui multis annis in Turcia capti fuerant, et missi in exercitu contra Rhodum, qui in obsidione confugerunt ad civitatem. Quidam etiam Iudaei, qui in obsidione fortiter egerunt, nobiscum transfretaverunt. Inter illos vero qui de captivitate Turcorum evaserunt, erat nobilis quidam de Austria, quem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dominus meus ad se recepit, et in Alemaniam reduxit, quem miserrimum reperimus. Fuit autem Galêa nostra propter illorum ingressum facta arta et iuquieta, et navigantes per ventos inutiles per diversa loca sumus deportati, et multum defectum sustinuimus antequam portum Cretensem apprehendimus. Quo tandem adepto Cretam ingressi sumus, et aliquibus diebus ibi mansimus, post quos sero quodam Galeam ingressi sumus, ut in nocte recederemus, introferentes ea quae emimus. Mane facto et Galêa soluta a tonsillis, cum eam ad ventum importunius verterent, temo, sive gubernaculum impegit in scopulos, et sub aqua rupit, et modicum distabat, quod navis cum rostro prorae in petras de littore prominentes impegisset, et tota Galêa rupta et dissipata fuisset, (B) et nos perissemus. Quapropter clamor magnus in altum attollitur et accurrentes populi de civitate periculo nostro succurrere cupientes. Et quia temo jam ruptum erat, navigare non poteramus, sed Galéam reinduximus in portum ad locum ubi prius steterat. Quidam autem vir aquarius dispositis rebus ad refectionem gubernaculi se parabat, hoc modo nobis videntibus. Exuit se vestibus, usque ad femoralia, et acceptis clayis, malleo et forcipe infecit se mari, et ferebatur in profundum ad rupturam temonis, et sic sub aqua fabricavit clavos extrahens, alios incutiens. Et post longam moram, cum omnia refecisset, prodiit de profundo, et ad nos ascendit scandens sursum per latus Galêae. Haec quidem vidimus, sed quo modo artifex ille sub aqua spiraverit, et quomodo malleo percutere potuerit, et tam diu manere in aquis salsis penitus ignoro. Sed hoc scio, quod ingenium humanum igne et aquis dominatur, sicut humana ratio astris. Porro reformato temone, cum jam recedere non putaremus, surrexit ventus nobis contrarius, ita quod Galéa non poterat nec extra portum educi, et regressi sumus in civitatem ad loca unde exivimus, et comedimus et bibimus.

Est enim optimus et pinguissimus maris portus omnibus mundi bonis abundans: praecipue tamen ibi est vinum Creticum, quod nos nominamus malphaticum, in toto mundo notum, et omnia sunt ibi in bono foro. Ideo grave non fuit nobis ibi manere, sed optabile. Ideo circa vesperas revocati fuimus in Galêam et alii citus, alii tardius redierunt. Ego

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vero eram de primis in ea, et steti in castello Galêae ad respiciendum, an aliqui alieni praeter illos, qui in Cypro et in Rhodo ad nos ingressi fuerant, intrarent: et intraverunt duo Graeci Episcopi cum multis aliis. Ea autem, quae alias ibi vidi, protinus non conscriberem, si maturitate omnimoda hoc Evagatorium ornatum habere vellem; sed ut promisi fratribus meis in epistola, seriosis saepe jocunda et ludicra addidi. Interea me sic stante et ingredientes considerante, vidi plures de peregrinis vertiginosos supra marginem maris stare, et ad descensum in barccam trepidare. Vinum enim Creticum dulce et delectabile copiose sumptum vertiginem inducit. Erant autem gradus lapidei in litore ad murum civitatis, per quos oportebat ingredi Galêam volentem descendere, et naviculam parvam intrare, in qua ducebatur usque ad Galêam et iterum juxta Galêam excundo scapham per alios gradus ascendere in Galêam; quod illo vesperi multis erat adeo difficile, quod oportebat eos portari de gradibus muri in scapham, et de scapha in Galêam, usque ad stantias suas. Inter alios venit quidam peregrinus servus quorundam dominorum de civitate, portans res dominorum suorum et flascones vini et saccum cum recentibus panibus, et ibat curvatus oneribus et cum hoc gravatus vino. Cumque venisset super gradus, et descendere inciperet ad mare in scapham, repente per praeceps cum omnibus quae portabat lapsus est in maris profundum. Statim autem ad clamorem astantium Barcaleri ad locum immersionis cum scaphis venerunt, et prodientem extraxerunt: panes autem et omnia quae portaverat supernatabant, et ad nihilum deducta et redacta sunt. Aliquidam peregrinus sacerdos (**19A**) Dalmata, mihi multum familiaris, etiam nimis de dulci gustaverat, ita quod cum labore in Galêam usque ad malum venit, et ibi stabat, loquens cum alio Dalmata usque ad tenebras. Stabat autem prope foramen carinae, per quod non est descensus nocte, sed tantum die, et dum nox est facta, deponitur scala, ut non inquietentur inferius dormientes in illo latere. Cumque ille bonus peregrinus locutionem suam finivisset, et jam nos inferius omnes in lectis nostris jaceremus colloquentes, volebat in cumbam suam descendere per proximum foramen, et ponens in incerto pedes, importune deorsum lapsus est per foramen in pavimentum carinae, ita quod galêa

ad suum casum tremuit, quia erat vir magnus et crassus. Nos vero omnes conticuimus, perterriti auscultantes quis cecidisset. Statim autem ille illaesus surrexit, et cum ira incepit lingua balbutiente quaerere, dicens: Ecce scalam sub pedibus habui et per tres gradus descendi et quidam traxit mihi eam de pedibus et cecidi. Cui cum quidam diceret: scalam ante horam fuisse dopositam; respondit: non est ita, quia tribus gradibus jam descenderam, et in tertio gradu me consistente mihi est detracta. Ad haec verba omnes fuimus resoluti in risum, scientes scalam ante horam fuisse amotam; ego vero jocundatus magis fui, congaudens socio, quod in tam periculoso et alto casu nihil mali sibi accidit, multum in risum concitatus fui. Cumque audivisset me ridentem infremuit contra me. Ecce, inquit, manifeste cerno, quod tu frater Felix mihi scalam traxisti de pedibus. Certe Galêam non exibis, nisi me vindicavero. Cumque me excusarem, plus indignabatur, et mihi maledicebat, jurans se in crastinum vindictam de me sumere. Sed dormitio sequens omnes vertiginosos et aegrotos, quos vinum Creticum debilitaverat, sanavit: nec in crastinum memoria istorum fuit. Si ille peregrinus absque vino et sobrius istum casum accepisset, forte cervicem aut tibias confregisset. Communiter enim ebrii in casibus periculosis sunt caeteris fortunatiores, sed non prudentiores, dempto Polemo juvene ebriosissimo, de quo legitur in vita Xenocratis Philosophi discipuli Platonis, qui totus ebrius et lascivis vestibus indutus cum per civitatem Athenas madens vino discurreret, et scholas Xenocratis apertas cerneret, intravit, ut disciplinis intendentes derideret. Cumque omnes ad ejus ingressum indignarentur, Xenocrates vultu maturo, omissa re, de qua disserebatur, de modestia et temperantia loqui cepit. Cujus gravitatem sermonis Polemon audiens, primo detractam de capite coronam florum projecit, postmodum pallium seculare deposuit, et ad ultimum omnibus voluptatibus spretis ad unius orationis auditum philosophus maximus evasit. Transacta illa nocte in crepusculo navem solvimus, et extra portum per ventum elati sumus. Sed cum non longe venissemus, occurrit nobis ventus contrarius, et jactabamur in fluctibus sine progressu. Conabantur ergo portum Creticum reintrare; sed non poterant obsistente

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vento. Mare autem fervescebat et intumescebat nimis inter nos et Candiam. Porro gubernatores videntes incautum esse, navem tantis oneribus gravatam, aurae fluctibus committere, a latere ventorum studebant terram petere, et magno labore pervenimus ad montana Cretae infra civitatem ad duo miliaria, ibique ejectis anchoris navem fiximus in sterili et deserto loco. Sequenti nocte solvimus Galêam, et mare ingressi ventum magnum habuimus, sed inutilem et passi fuimus ingentem tempestatem illa nocte et die sequenti. Alia vero nocte, quae fuit in festo S. Michaelis, concussum est mare adeo horribiliter, sicut unquam vidimus in tota ista navigatione. In hac tempestate multi vota voverunt Domino. Quidam enim, qui hactenus noctem S. Michaelis cum ventris ingluvie peregerunt, voverunt illam vigiliam cum jejunio, quoad viverent, peragere. Aquae enim intemperatae incidentes nos multum perturbabant, et eramus omnes infirmi, et vertiginem ac evomitationem patiebamur propter navis agitationem. Illa tempestate durante factus est ventus ille pro nobis, qui prius erat (**B**) contra nos, et velocissimo cursu multas regiones postergavimus, et prope Metonam venimus, sed in portum intrare non valuimus. Et ne vi ventorum retrorsum pelleremur, portum quendam desertum inter parietes petrarum intravimus. Et quia vix per miliare Alemanicum a Metona eramus, nos peregrini acceptis sacculis nostris per terram in Metonam ivimus ibique Galêam exspectavimus. Deinde a Metona recessimus, et rapido cursu in Corzyram venimus, ubi alii peregrini divisi fuerunt a nobis. At vesperascente die de Corzyra ad insulas Gozapolis delati sumus. Dum autem obscura nox adesset, nec aliqua sidera apparerent facto eurippo orta est saevissima tempestas, et horribilis aëris et maris perturbatio. Venti enim validissimi in altum nos levabant, et fulgura coruscabant et tonitrua horrenda intonabant, cum quibus hinc inde formidanda fulmina cadebant: adeo ut in multis locis mare ardere videbatur. Sed et pluvia ita intemperate inundabat, ac si nubes fractae et penitus dissolutae caderent. Insuper procellae importune accurrentes in Galêam cadebant, eamque continue operiebant, et latera Galêae adeo dure percutiebant, ac si de monte aliquo grandes lapides contra

asseres currere per praeceps mitterentur. Saepe de hoc miratus sum in maris tempestatibus existens, quod aqua, cum sit corpus rarum, tenue et molle, tam duram impactionem in corpus oppositum potest facere: facit enim strepitum ad navem currens, ac si molares de saltu accurrerent, nec mirum si navem ferream destruerent. Aquae tamen maris sunt magis importunae, sonorosae et magis mirabiles sunt in suis elationibus, quam aliae aquae. Ego habui delectationem magnam in tempestatibus superius sedendo aut stando, et videndo mirabiles successus procellarum et occursus horribiles aquarum. Tolerabiles sunt tempestates diurnae, sed nocturnae sunt nimis inhumanae, praecipue quando sunt saevae, sicut fuit illa, de qua nunc loquor. Fuit enim saevissima et in intensis tenebris, nec erat lumen, nisi quod coruscationes continuae fulgurum causabant. Et erat tam saevus ventus elevans et dejiciens Galêam, eamque nunc huc nunc illuc inclinans et concutiens, quod nemo in cumbasua poterat jacere, minus sedere, minime stare: sed ad columnas in medio sustentantes superiora aedificia pendere necesse erat; vel flexis poplitibus ante cistas procumbere, brachiis et manibus easdem complectere et sic tenere se, et inter haec non nunquam cistae magnae et graves cum adhaerentibus evertebantur. Nam ita diversos motus et violentos facit Galêa, quod omnia, quae stant, evertit et quod dictu mirabile est, sed verissimum, ea quae in parietibus ad uncos pendebant, de uncis solvebantur, et cadebant. Quamvis autem navis fuerat bitumine undique linita et aliis, quibus aquae ingressus et instillatio prohibetur, (**20A**) in hac tamen tempestate aqua per insuspectas rimas ingrediebatur undique, ita quod in tota carina non fuit quidquam, quod non esset in aqua, lecti nostri et omnia erant madida, panes biscotae et nostri paximates vel paximacii aqua tacta in nihilum sunt reducta. In carina inferius fuit terror et miseria; superius vero labor et angustia. Ventus velum magnum in petias dilaceravit. Ideo antennam submiserunt, et velum aliud, quod nominant papafigo, tempestatibus aptum, appenderunt: sed cum sursum antennam cum complicato velo traxissent, et Galestreli marinarii sub antennam sedentes ligamina solvissent, et velum deorsum caderet, Galeotaeque

inferius polistrelum, id est funem, quo inferiores extremitates veli tenentur, in manibus tenerent: ecce ventus repente irruens importune velum implevit, et polistrelum de manibus Galiotorum avulsit, velumque rapuit et ipsum supra mali summitatem et supra kebam in altum evexit: et ita importune in aëre volitabat, quod antenna ut arcus inclinabatur: et ipse malus grossus et magnus de multis lignis et arboribus simul junctis factus fragores magnos dabat, ac si jam ruptus fuisset et fractus in medio. In quo maximum expectabimus periculum, quia si in tanta tempestate fractus fuisset, mox involuti aquis submersi cum Galêa fuissemus. Sicut enim avis non potest volare sine pennis et alis, sic gravissima navis non potest procedere sine velis, quae sunt pennae ejus et alae. Ideo quando Poetae loquuntur de equis alatis, non aliud volunt, nisi naves velatas intelligi. Sicut Perseus venit de Graecia in equo alato, et liberavit Andromedam de scopulo Joppe etc. Dabat ergo malus horribiles multos fragores et antennae similiter; et tota Galêa in omnibus juncturis videbatur dissolvi. In nulla re magis territus fui in tempestatibus, quam in magnis fragoribus navis, qui ita importuni sunt, quod homo aestimat jam navem esse in aliqua parte ruptam. Nec potest se homo continere a clamore emittendo, propter subitum et horridum sonum fragorum. Stetimus ergo in tristi spectaculo, et in lamentabili periculo. Porro velo sic in aëre volante, discurrebant Galioti et caeteri marinarii cum tanto clamore et ululatu, ac si jam gladiis essent confodiendi, et per rudentes super antennam scandebant, velum conabantur de sublimi ad se attrahere. Caeteri inferius currebant undique polistrelum capere, et reaccipere quaerebant: alii trochleis aptantes funes et spiras circumducebant. Peregrini vero et alii ad hos discursus et labores inutiles Deum orabant, et sanctos invocabant. Aliqui suas confessiones faciebant, tanquam jam in procinctu constituti articulum ultimum mortis expectantes. Aliqui vota magna emittebant ad Romam, ad S. Jacobum, et ad Beatam virginem hinc inde se ituros promittebant, ut hanc mortem evadere possent. Non enim nisi mors praesens timebatur. Cogitavi ad parabolas Anacharsis Philosophi, qui navigantes nec vivis nec mortuis connumerandos esse dixit. Insuper eos non nisi

quatuor digitis a morte distare probavit, cum parietes navis in spissitudine habeant quatuor digitos. Interrogatus etiam, quae naves essent tutiores? respondit: illae, quae in terra extra mare jacent; in mare nullam asserens esse securitatem, propter multiplicia et repentina pericula. (B) Grassante igitur hac terribili tempestate, ecce subito et ex insperato de coelo adjutorium advenit. Inter fulgura enim et coruscationes aparuit lux quaedam stans supra proram in aëre aliquantulum fixa. Deinde paulatim se movit per gyrum Galêae usque ad puppim et ibi evanuit. Fuit autem lux illa radius igneus longitudinem cubitus habens. Hanc lucem cum gubernatores Galêotae et marinarii caeteri vidissent, et peregrini qui superius erant, cessaverunt ab omni labore, et siluerunt ab omni strepitu et clamore, et provoluti ad genua extensis in caelum manibus mediocribus votibus nihil aliud promebant, quam Sanctus, Sanctus, Sanctus. Porro nos inferius mysterium ignorantes, perterriti de subita quiete et silentio, et de insolita oratione; aestimavimus eos a laboribus cessasse propter desperationem, et Sanctus clamare propter instantem exspirationem, et stabamus attoniti, finem eventus exspectantes. Et ecce quidam ostium, quod supra foramen commune Galêae, per quod de superioribus in carinam descenditur, removit, et aperuit, et supra scalam stans, clamavit verbis Italicis. O Signior pelegrini non habeate paura que questo note non avereto fortuna: quod tantum sonat: O Domini peregrini nolite timere, quia hac nocte et praesenti tempestate nihil mali patiemur, quia consolationem de caelo habuimus. Post hoc perseverante tempestate, recurrebant Galêotae ad solitos labores, et jam non ullulabant ut prius, sed laetis clamoribus jubilantes laborabant. Non enim laborant nisi cum clamore. Nemo autem aestimet, quod jam dicta de luce sint ficta aut fabulosa, sed sunt verissima, et ea plus quam ducentorum testium assertione hodie in humanis viventium probare possem. Nequaquam enim abbreviata est manus domini, ut salvare non possit in tribulatione existentes. Sed quis meruerit hanc miraculosam liberationem Deus scit, qui etiam Ethnicis et Idolotatris in talibus periculis clamantibus miraculose succurrit. Dum enim impetu maris volvuntur anxia necessitate incassum ad surda

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loca exclamantes, non tamen omnino salutem desperant; nam quandoque a maris exaestuante fluctu nave in altum elevata, tanquam Deus quispiam salutem attulit periclitantibus. Haec Diodorus Antiquarum historiarum lib. 4. de navigatione Troglo-ditarum in sinu Arabico. Verum esti propter peccata mea aut alicujus alterius indigni fuimus caeli signo, tamen aliorum devotissimorum peregrinorum, et potissime honestarum foemi-narum, quae in tribulationibus patientes devotissime et lacry-mabiliter orabant, dignae divina consolatione erant. Insuper cum Deo derelictus sit pauper, qui in clamores et lamenta miserorum et pauperrimorum Galiotorum attenderit, qui in medio tribulationis et procellarum ipsum Deum, virginem Mariam, et Angelos ac Sanctos crebris et altis clamoribus interpellabant. Aut quis scit, an forte angustiae mulieris impraegnatae, uxoris fratris domini Patroni, quae in Cypro ad nos ingressa fuerat, ad aures divinae pietatis pervenerint: vel fructus ventris ejus necdum ex utero natus divinam pietatem obtinuerit, et propter salvationem animae (**21 A**) ejus omnes nos salvos transire permiserit. An ignoramus, quod Deus sit pronior ad miserendum quam ad puniendum. Si ergo Sodomitas eum irritantes juste ignis consumpsit, quia nullus inter eos reperiebatur bonus, propter quem omnibus parceret, et misericorditer parvulos eorum innocentes pariter cum ipsis occidit, ne imitatores fierent parentalis nequitiae; quid mirum, si fideles Deum glorificantes, et propter eum peregrinantes, eiusque auxilium precantes juste ab aquis salvat omnes? quia non solummodo quinque tantum, sed forte quinquaginta, quos Abraham primo putavit in Sodomis in-veniendos. Gen. 18. p. 24., boni in navi reperibiles erant, propter quos parcere cunctis, etiam criminosis paratus est, et puerum illum in utro matris misericorditer conservare, quem forte scivit fore futurum imitatorem virtutum et legum divinarum. Igitur in hac tempestate magnam viam fecimus de vero nostro itinere: quia venti contra portus nobis optatos nos impellebant, et duravit illa tota nocte et die sequenti. Porro facto die, et tempestate durante in patientia sic mansimus sine cibo et potu, quia non erat ignis in Galêa, et coquina superius plena erat aquis et cum hoc omnes vertiginosi eramus facti, et abominabamur

omnes cibum et potum propter stomachi subversionem. Et siquis etiam aliquid manducasset, durante tempestate, non retinuisset, sed mox vomitando ejecisset. Nihil enim melius in tempestatibus, quam vacuo stomacho manere. Et praeterea omnis panis noster corruptus et inutilis factus fuit, per salsas maris aquas, et ita cogebamur jejunare. Altera die processimus dimittentes Ragusium civitatem ad dextram, et Cursulam ad sinistram, et venimus Laesinam in civitatem: quam ingressi refecti sumus, et a vertigine capitis liberati. Mansimus autem Laesinae tribus diebus, quia maximi venti in mari erant, quos timebamus, quamvis pro nobis fuissent: et etiam mansimus propter dominae praegnantis et gravidae refocillationem, quae valde fuerat in illis tempestatibus infirmata; mirum est quod non fuit mortua simul cum foetu in tantis terroribus. Deinde de Lesina navigavimus cum bono vento.

Sed nocte jam incipiente confortatus est ventus et nimis invaluit, projecitque nos in euripos ad loca asperrima, scopulis et rupibus plena, in quibus non potest fieri nocturna navigatio. Applicuimus autem ad radices cujusdam scopulosi montis et bolide ejecto fundum quaesivimus, ad stabiliendam ibi navem, quia tenebrae subito nos praeoccupaverant, quod non poteramus adire aliquem portum signatum, nec ulterius procedere. Cumque jam prope montem essemus et Galêam vertere conarentur, mox violenter a vento impulsa et fluctibus mota importune girare cepit, et minabatur cum prora in cautes et scopulas montis incidere, et sic Galêa dirupta fuisset. In ipsa autem navis gyratione Galioti periculum cognoscentes horribili clamore caelum implebant et discurrebant, seque ad evasionem disponebant. Interea duo Episcopi et nos cum illis inferius eramus, et famuli Episcoporum ad foramen carinae currebant, qui erant superius, ac desperate clamabant: O domini venite sursum, navis rumpenda mergetur. Ad hunc clamorem Episcopi cum suis tumultuose surgentes ascenderunt. Similiter et alii fecerunt, et facta fuit compressio (B) magna in scalis et cursus mirabilis omnium ad puppim festinantium, ut in scaphas ejectas saltarent. Servi et domini Patroni cum gladiis abscissis funibus scapharum in mari eas cadere permiserant, ut periculo submersionis instante ipse

cum fratre et uxore fratris et aliis domesticis suis primi evaderent. Verumtamen nemo adhuc in scaphas descenderat, et si unus, descendisset, intolerabilis tumultus factus fuisset. Multi enim de alto in scaphas saltassent, laesique fuissent, et alios laesissent, qui eos ad mare projecissent, et in scaphis existentes cum gladiis et cultellis evaginatis aliis ingressum eos prohibuissent: quia in istis angustiis scaphae nimis replentur et merguntur, et pauperes vitae suae consulere quaerentes ante alios festinant, quos nobiles et servi nobilium gladiis necant. Illos etiam, qui se manibus ad navem vel remos suspendunt, ut in scapham labantur, alii videntes periculum in scaphis existentium gladiis digitos et manus eorum abscindunt, qui cadentes deorsum in mare submerguntur. Audivi horrenda ab his, qui talibus periculis interfuerunt, quale nunc nobis erat in foribus. Sed Deus etiam hac vice nos liberavit, et tumultus cum pace sedatus fuit, et navis ad scopulos alligata, et vela dimissa et anchorae ejectae. Porro Galêotae illi, quorum negligentia in tantum periculum venimus, graviter fuerunt plagis vapulati, et dure castigati; sed nos peregrini intercessimus pro eis, misericordiam divinam imitantes, quae nos sine meritis conservavit a morte. In crastinum processimus, et in sinistra parte Iaderam Dalmatiae civitatem dimisimus, et ventum secuti processimus. Vesperante autem die, durus incepit flare ventus, et sero facto ingravatum est mare valde super nos. Injecti autem euripis incidimus loca asperrima, nec ad litus applicare ausi fuimus timentes Scillam aut Charybdin incidere. Ad quoddam canale latum venimus et celerrimum ventum in eo habuimus, et tamen in medio canalis navem stabilire tentavimus. Immerso autem bolide invenimus excessivam aquae altitudinem. Ulterius ergo processimus et factae sunt tenebrae occidente sole, nec poteramus sine magno periculo longius navigare. Quaesito ergo cum bolide fundo, invenimus quidem sed disproportionatum; nihilominus tamen ibi anchoram magnam ejecimus, pro stabilimento Galêae, quae fundum petens non invenit, nec scopulos, nec saxa, nec arenam, quibus mordacem dentem infigere posset, sed currentem Galêam sequebatur arans terram, quod tamen nobis erat molestissimum. Cum ingenti ergo labore

retracta anchora et in alio loco ejecta sicut prius sequebatur, sicut aratrum equos. Iterum autem ea levata in tertio loco injecimus quae adhaesit quidem saxo, sed dum staret Galêa, et ad rudentem pendens hinc inde moveretur, avulsus est dens anchorae a saxo, et iterum currentem sequebatur Galêam, sed statim reperto alio scopulo haesit. Ibi ergo sic pendentes mansimas per noctem. Porro nos peregrini ad quietis loca nos recepimus. Sed dominus Patronus cum omnibus gubernatoribus et Galêotis totam noctem insomnem duxerunt, omni momento interitum nostrum et suum expectantes. Nam ventus erat validus, et (**22A**) movebatur Galêa importune valde, quia non erat portus ubi stabamus, quo a vi ventorum protegeremur. Idcirco timebant domini gubernatores, quod anchora a scopulo solveretur, vel quod spirae rumperentur et quicquid horum contigisset, in interitum ivissemus. Eramus etiam in Carnero, qui est periculosissimus maris gulphus, et impetuosissime currit ibi mare, contra portum Anchonensem. Ideo propter instans periculum devenit dominus Patronus, quod statim adepto portu Parentino cum omnibus peregrinis vellet navigare ad insulam S. Nicolai ibique Missas pro gratiarum actione legere et cantare, quod et factum est. Nam mane soluta Galêa multis transcursis civitatibus Dalmatiae, venimus in Histriam ad Parentiam, et altero mane navigavimus cum Patrono, et votum solemniter persolvimus. Mansimus autem Parentiae quinque diebus, et postea una nocte usque in portum venetianum delati sumus. Demum Venetias ingressi ab invicem divisi sumus, unus quisque in patriam suam.

Interea quandam incidi infirmitatem, ex qua non lecto decubui, sed tamen nec ambulare, nec equitare valui, usque ad sanationem. Ideo Dominus meus Georius de Lapide cum aliis nobilibus ad propria remeavit. Ego vero quasi per quindinam Venetiis in cura Medicorum fui. Sanitate recuperata cum quodam mercatore Venetias exivi, et empto equo Tervisii cum eodem usque in Tridentum veni. A Tridento vero solus usque in Nazaritum veni. Quo cum venissem post meridiem, inveni in hospitio quatuor peregrinos terrae sanctae confratres meos de Anglia, et cum gaudio nos invicem salutavimus. Disponebant autem se ad recessum, volentes eodem die

transcendere montem, quem nominant Sericium, quos rogavi ut usque in crastinum manerent, ut simul proficisceremur usque Ulmam: eram enim lassus, nec illo die volebam recedere. Ipsi vero rogabant me, ut cum eis equitarem, quod nolui: sed apud eos institi quatenus intuitu societatis nostrae, et contractae amicitiae manerent, illi autem nolebant, dicentes: se audivisse pro certo, quod illo adhuc die magnus exercitus armatorum equitum de curia Ducis Austriae in illam villam et hospitium esset venturus, et illos vellent fugere, quia insecurum est cum armatis morari. Et ita divisi fuimus ad invicem: quia ipsi recesserunt et ego mansi. Vespere autem facto venerunt multi armigeri ad hospitium nobiles cum famulis, quos Dux Austriae destinavit pro defensione castri Kregen, quod comes Eberhardus de Wirtenberg senior obsederat et evertere conabatur. Et fuit hospitium plenum ferocibus armigeris. Qui audientes me de terra sancta venisse venerabantur ut sacerdotem et religiosum, et ut terrae sanctae et sancti sepulchri militem, et rogabant me, ut mane eis Missam legerem, et cum eis recederem. (B) Mane facto Missam celebravi, cum eis gentaculum sumpsi, et recessu solverunt pro me, et in medio exercitus me secum ducebant cum gaudio et solatio. Cumque venissemus in Campidonam reperi in hospitio coronae praefatos quatuor Anglicos peregrinos vulneratos, percussos et omnibus rebus suis spoliatos, miseres et tristissimos ac confusos. In silva enim prope Campidonam latrones super eos irruerant, et cum gladiis eos de equis suis ejecerant, et cum vim vi repellere conarentur et se defendere vellent, gladiis eos vulneraverunt, ligaverunt, traxeruntque ad initeriora nemoris a strata publica in quandam crepidinem solitariam, et ibi eos cum multis injuriis spoliaverunt, et sacculos eorum scrutaverunt, et bursas ac peras eorum evacuaverunt, eosque totaliter nudaverunt, curiose quaerentes in vestimentis eorum, si forte pecunias insutas haberent. Tandem autem eis viliora vestimenta restituentes, jurare eos coegerunt, ut in triduo nulli dicerent, quid eis accidisset. Contristatus autem fui super fratres meos valde, sed mihi ipsi congratulabar, quod non cum eis mansi, quia pariter cum eis in manus illorum raptorum incidissem. In crastinum cum illis armigeris in Memmingen

veni, et illo die ibi mansi. Altera die, quae fuit dies S. Othmari, cum quodam sacerdote de Memmingen Ulmam usque perveni. Et ingressus conventum charitative et laetanter fui susceptus: et ita in cellam me recepi ad labores solitos. Pro certo autem dico, quod haec prima peregrinatio in centuplo gravior et molestior mihi fuit, quam secunda et multo periculosior tam per mare quam per terram. Societas etiam peregrinorum primae Evagationis fuit inquietior, quia erant inter eos multi passionatissimi homines, et fuit cottidianum litigium, et aliqui fures Biccardi, aliqui semper infirmi, et ex omni parte gravior fuit illa prima Evagatio, quam secunda, quamvis ipsa secunda fuerit multa laboriosior, remotior, et dispendiosior ac periculosior: tum majora et magis mortifera pericula expertus sum in prima quam in secunda. Ex quibus omnibus liquet, quod falsum est hoc vulgare proverbium; quod dicere inexperti soliti sunt: scilicet quod peregrinatio a Venetiis per mare usque ad terram sanctam sit quoddam solatiosum spatiamentum est pauca aut nulla pericula. O deus meus, quam grave et taediosum spatiamentum! quam multis miseriis infectum! Multos enim robustos juvenes nobiles vidi ego in hoc spatiamento succumbere, qui quodammodo sibi ipsis videbantur fluctibus maris imperare et montium altitudines in statera appendere: qui tandem miseriis fracti et infeliciter humiliati miserabiliter justo dei judicio periere. Det Deus hanc peregrinationem spatiamentum leve dicentium sic tristia sentire, ut discant cum peregrinis terrae sanctae (**23A**) debitam compassionem habere. Attemptare enim hanc peregrinationem audaciae et fortitudinis est. In plerisque vitiosam temeritatem et curiosam instabilitatem esse nemo dubitat. Pervenire vero ad loca sancta et redire vivum et sanum ad propria speciale donum Dei est.

Finit Evagatio F. F. F. prima ad Terram Sanctam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Modus quomodo F. F. F. se disposuit ad secundam Evagationem vel peregrinationem Terrae Sanctae, Jerusalem, Syon, et montis Synai.

Evagatione mea prima peracta, ut pro parte recitavi, sanus quidem corpore Ulmam veni, et in apparentia laetum jocundumque me exhibui: tristis tamen et inquietus animo et corde fui, propter solicitudinem et curam, quam me habiturum sentiebam pro alia peregrinatione et reditu ad terram sanctam et Jerusalem: sicut proposui in egressu meo de civitate sancta, quod tamen propositum nulli hominum manifestavi. Nequaquam enim contentus fui de peregrinatione prima, quia nimis festina fuit et brevis, et per loca sancta cucurrimus absque intellectu et sine affectu. Non etiam dabatur nobis tempus visitandi quaedam alia loca sancta tam in Jerusalem, quam extra. Nec permissi fuimus nisi semel duntaxat circuire montem oliveti, et loca ejus; et Bethleem ac Bethaniam non nisi semel, et in tenebris vidimus. Idcirco postquam Ulmam redii, et de sepulchro sanctissimo Domini ac praesepio ejus et de civitate sancta Jerusalem et de montibus per circuitum ejus cogitare cepi, species, formae et habitudines illorum locorum et aliorum fugerunt a me, et apparebat mihi terra sancta et Jerusalem cum locis suis sub quadam caligine tenebrosa, ac si in somnis ea vidissem. Et videbatur mihi quod minus scirem de omnibus locis sanctis, quam ante eorum visitationem; unde accidit, quod interrogantibus me de locis sanctis nullum verum dare potui responsum, nec certum conscribere Evagatorium. Vehementer ergo dolui, quod tantas miserias, angustias et labores (B) habueram, tantas etiam pecunias expenderam, tantumque temporis perdideram, sine fructu, sine consolatione, sine cognitione. Saepe dum pro mea consolatione me converti ad cogitandum de Jerusalem et locis sanctis, et dubiosa imaginatio mihi occurreret, mihi ipsi cum indignatione respondi: desiste quaeso de illis locis cogitare, putas enim te ibi fuisse. Ex his tunc inardescebat desiderium redeundi ad experiendum veritatem. Sed mox sequebatur in me nova tristitia, ex eo quod redeundi modum videre non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poteram, imo impossibilem reputavi reditum. Sic ergo in fluctuatione steti, et nulli hominum ausus fui loqui de hac re. Verebar de hoc facere mentionem Reverendo Patri Magistro Ludowico Fuchs, licet esset mihi familiarissimus, et secretorum meorum conscius; cui etiam occulta conscientiae meae sine metu audebam committere: Propositum tamen meum redeundi in Jerusalem non audebam suae Paternitati revelare, ne eum perturbarem, et ne ipse et alii audientes, in me scandalizarentur, judicantes me instabilem et monastica quiete impatientem; aut forte diabolicis incitamentis vexatum, aut vitio curiositatis infectum, aut levitate motum; et ita suspensus stabam et in nullo me manifestavi, nisi quod de terra sancta et de Jerusalem interrogatus non loquebar absque suspiriis, et nonnunquam dicebam, me ignorare Jerusalem vidisse. Et dum interrogarent me, an desiderium redeundi haberem, respondi simpliciter, quod sic. Interea tanto aestuavi desiderio redeundi, quod nullum studium, nulla mihi placuit scriptura, nisi historiae Bibliae, et aliae facientes mentionem de Jerusalem. Ideo omnia quae ad manum venerunt de istis perlegi: collegi etiam omnia peregrinalia militum, et libellos peregrinorum, et terrae sanctae descriptiones, eaque perlegi, et quanto plus legi, tanto inquietior factus fui, quia imperfectam, superficialem, distractam et confusam fuisse meam peregrinationem ex aliis deprehendi. Et per annum sic in laboribus legendo et scribendo steti. Anno autem uno cum illa inquietudine transacto venit in nostram provinciam Generalis totius ordinis mei Praedicatorum, scilicet Salvus de Casseta de Pannormo, missus a S. D. Papa Sixto IV. contra Dominum Andream Archiepiscopum Crainensem, qui conabatur nescio quo spiritu motus convocare ad Basileam generale Consilium, et ibidem residebat sub Imperatoris Friderici tertii tutela: ut autem praefatus Magister Ordinis Praedicatorum contra illum Archiepiscopum efficacius agere posset, convocavit ad se ad Conventum Columbariensem famosiores nostrae provinciae Praedicatores. Inter quos et ego missus veni ad praedictum Conventum auditurus et pariturus praeceptis. (24A) Itaque me cum Ordinis Magistro existente inter alia, de quibus cum sua Paternitate conferre habui, dixi suae Reverentiae desiderium meum de reintrando ad

terram sanctam et Ierusalem. Qui statim sine magnis precibus me licentiavit et literam testimonialem mihi dedit sub sigillo ordinis, in qua etiam prohibuit, ne quis eo inferior mihi in illa peregrinatione impedimentum quovismodo praestaret. Obtenta ergo licentia, gaudens Ulmam redii, et literam Magistri occultam tenui, tempus optativum eam manifestandi exspectare volens. Post haec non multis diebus elapsis venit Ulmam Reverendus in Christo Dominus Udalricus Gislinus, Episcopus Adrimitanus et Suffraganeus domini Augustensis, mihi notus et gratiosus, cum quo etiam venit quidam Sacrae Theologiae Doctor, Ordinis minorum, qui Romam adire volebat, et ordinem Episcopalem recipere, quia Dominus Episcopus Frisiensis eum assumpserat in Suffraganeum. Ad hos dominos me contuli, et rogavi dictum Doctorem, quatenus mihi dignaretur a S. D. Papa licentiam impetrare visitandi loca sancta transmarina; pro quo etiam praedictus Reverendus Pater Dominus Udalricus Episcopus apud eum pro me institit. Promissit ergo, et promissum tenuit, mihique literam de data licentia misit. Qua habita adhuc silui et tempus magis optativum exspectavi, sperans quod casus desideratus se offerret, quo me non rogante desiderio meo satisfieret, sicut et factum fuit. Porro illo in tempore erat Ulmae Conradus Locher, vir prudens, Sacri Imperii ibidem ordinarius Balivus, multis nobilibus cognitus, et mihi non parum affectus: huic uti fideli amico primo cor meum apperui et sibi desiderium meum et licentias revelavi, petens ab eo, si aliquem de nobilibus patriae nosceret, volentem ad Dominicum Sepulchrum in Ierusalem peregrinari, capellano ac servo indigentem, quod me apud talem promoveret, tanquam expertum et utilem pro ista peregrinatione et servilem in spiritualibus et corporalibus. Habens ergo vir praedictus scrutinium inter nobilis et invenit, quod generosus vir Dominus Johannes Truchsas de Waldpurg se disposuit ad transmarinam peregrinationem simul cum quibusdam aliis baronibus et nobilibus. Ad quos ille accessit et fidelissime me promovit, sicut rei probavit eventus.

Nam statim post, et fuit Anno 1483 in die St. Gertrudis Virginis, venit Ulmam praefatus vir nobilis dominus Johannes Truchsas de Waldpurg cum pluribus aliis nobilibus amicis

suis; et statim misso nuncio ad conventum me accersivit. Cumque ad eum in hospitium suum venissem, interrogavit me, tanquam consilium petiturus de regimine debito volentium transfretare mare et peregrinari in Ierusalem. Audivi, inquit, vos fuisse in transmarinis partibus; consulite quaeso, quae me oporteat facere (**B**), ut incolumis reverti queam. Intendo, ait, visitare terram sanctam et praeclaram civitatem Ierusalem, et praesepe Domini dulcissimum, et sepulchrum Domini gloriosissimum: dicite, rogo, difficultates et remedia. Cui cum ad singula responsa darem, curiosius intuitus me omisit et destitit ab interogationibus inchoatis: et interrogavit me, an adhuc haberem voluntatem redeundi in Ierusalem? Respondi: nihil esse pro nunc in hoc mundo, cujus desiderium ardentius haberem, quam illorum sanctorum locorum iteratum contuitum. Sic ergo cognita voluntate mea vir nobilis redire me ad conventum fecit certificans me, quod secum pariter et sociis suis essem iturus Ierusalem. Conjuraverunt enim in unam societatem generosi viri et domini: Dominus Johannes Wernherus de Cymbern Baro; Dominus Hainricus de Stoefel Baro; Dominus Ursus de Rechberg de Hohenrechberg, et ipse praefatus dominus Johannes Truchsas de Waldpurg, quasi pater omnium praedictorum et causa ac motor eorum ad peregrinandum. Statim autem eadem hora postquam in conventum redii, misit praefatus nobilis quendam virum prudentem oratorem cum suis famulis, rogans reverendum Magistrum Priorem ex parte dictorum nobilium Baronum, ut illum fratrem, qui pridem in transmarinis partibus fuerat, quem concorditer in capellanum et animarum suarum curatorem elegerant, licentiare dignaretur, et abire cum eis permitteret. Ob hanc enim causam, ait Dominus Johannes Truchsas, jam cum suis amicis nobilibus ad civitatem hanc venit.

Audiens autem Pater Prior factum multum difficultavit, et tempus deliberandi de responso dando accepit. Quod cernens dominus Johannes Truchsas et timens quod forte oppositum suae intentioni per diutinam deliberationem interveniret, statim die sequenti mane assumsit secum omnes suos amicos nobiles et dominas Comitissas de Kyrchberg, quae secum venerant, et ascendit cum eis in praetorium, ubi jam Magistri-civium

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum toto consulatu Ulmensi congregati sedebant, petentes audientiam; qua data institit apud Dominos consules, ut Priorem Praedicatorum ad hoc cum effectu inducere vellent, quatenus fratrem Felicem, quem ipse et sui socii in capellanum elegerant, pro transmarina peregrinatione sine impedimento dimitteret: praecipue cum eum ad hoc esse voluntarium scirent. Itaque Magitri-civium et quidam de judicibus Conventum ingressi rogabant Patrem, ut intuitu Consulatus nobilibus illis condescenderet. Qui cum diceret, se non habere facultatem me licentiandi in Ierusalem, sed ad S. D. Papam et Generalem Ordinis nostri Magistrum spepsaret hoc negotium, statim produxi literas, (25 A) tam Papae quam Magistri Ordinis. Quas ut vidit, statim consensit in nomine Domini.

Accessi ergo ad Dominum Johannem Truchsas et secum conveni de die et loco ubi eum et tres alios dominos meos reperirem Et assignavit mihi diem certum et locum Pontinam (Insprugg) oppidum, et sedem Ducis Austriae et his tractatis nobilis cum suis ad propria rediit. Ab hac ergo die barbam nutrivi et cruce rubea tam cappam, quam scapulare decoravi, quam quidem crucem deo dicatae virgines sponsae cruxifixi vestibus meis assuebant, caeteraque insignia illius sacrae peregrinationis, quae mihi competebant, assumpsi. Sunt enim quinque peregrinorum terrae sanctae insignia. Scilicet crux rubea in veste grisea et longa cum cuculla monachali tunicae assuta; nisi peregrinus talis religionis sit, quod ei non competat ferre habitum griseum. Secundum est pileum nigrum vel griseum etiam cruce rubea supra frontem insignitum. Tertium est barba longa in facie seriosa et pallida propter labores et pericula, ubique enim, etiam ipsi gentiles, peregrinantes barbas et comam nutriunt usque ad reditum, et hoc primo fecisse legitur Osiridem vetustissimum Aegypti regem, Deum aestimatum, qui mundum totum perambulavit. Quartum est saccus in humeris tenuem victum continens cum flascone, non ad delicias, sed ad sustentationem vitae vix sufficiens. Quintum, quod servit in terra sancta, est asinus cum asinario Saraceno, loco baculi. Itaque diem recessus mecum desiderio magno exspectavi et me silenter cum tranquillitate ad iter sacrae peregrinationis aptavi, propter inquietudinem pro me sollicitorum, qui me inquietabant.

Incipit Secundum Evagatorium F. F. F. ad Terram Sanctam in Jerusalem.

Secunda pars principalis totius operis.

Evagari jam incipiam desiderabili et jucundissima Evagatione, quam quidem Evagationem hoc ordine describere intendo et distinguere in XII tractatus, secundum quod fere XII. mensibus evagatio duravit, et quemlibet tractatum in tot capitula dividere, quot dies veniunt in mense: ita quod quilibet mensis faciat tractatum et quilibet dies capitulum. Incipiam enim a die exitus mei usque ad reditum, et omnia loca quae vidimus de mense in mensem et de die in diem et quae contigerunt nobis singulis mensibus et diebus fideliter signicabo: addendo descriptiones locorum tam sanctorum quam aliorum pro facti illius meliori declaratione. Non enim praetermisi (B) nec unum diem in itinere existens, quin aliquid scriberem, etiam in mari tempore tempestatum, in terra sancta, et per desertum saepe scripi sedens in asino, vel in camelo, vel noctibus, quando alii dormiebant, ego sedi et visa in scriptis deduxi.

Igitur cum tempus meum appropinquaret, quo recedere me necesse esset, observavi diem opportunum, in quo sine nota et multorum concursu Ulmam exire possem. Currebant enim noti mei et fautores et inquieti erant de recessu meo, meque plurimum turbabant suis dissuasionibus et curis inanibus et lamenta eorum erant mihi deliramenta, quia ita laetus et imperterritus fui, ac si ad convivium optimorum meorum amicorum invitatus transirem.

Die itaque XIII. Aprilis, quae erat dominica Misericordia domini, Anno 1483 advesperascente die venit nuncius missus ad me a generoso domino Philippo Comite de Kyrchberg, rogans me, quatenus sine dilatione in crastinum ad ipsum Comitem venirem, ad diffiniendum aliquas causas. Eram enim quasi paterfamilias domus, quia omnes de domo mihi confitebantur Comites et Comitissae, et quidquid difficultatis oriebatur, in quibus ego potui utilis esse, denunciabant mihi vel mittebant pro me: condixi ergo servo, quod in crastino secum pergere vellem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quarta decima die, quae est Tiburtii et Valeriani, lecta Missa et sumpto cibo, congregatis ad me omnibus fratribus dixi eis, me jam velle ex toto recedere: et benedictionem itinerantium a reverendo Patre Magistro Ludowico petii. Qui duxit me ad chorum, ad quom totus Conventus comitabatur me, et prostratus in medio Chori coram venerabili Sacramento altaris accepi benedictionem cum ingenti Patris Prioris et omnium fratrum fletu. Ego vero accepta benedictione prae singultu et fletu verbis fratribus valedicere non potui: sed ipsae lacrimae et vultus moerens et singultus loquebantur. Singulis ergo fratribus amplexatis et deosculatis me eorum orationibus commendavi. Vix autem persuadere poteram ut reverendus Magister Ludowicus domi in pace maneret. Volebat enim salvum conductum mihi praestare, usque in Memmingen, sicut prius fecerat, sed ego omnino recusavi (**26 A**), ne in nostra separatione nova tristitia et turbatio ambos afficeret. Quamvis enim laeto animo et jocundissima mente ad illam peregrinationem pergerem, in separatione tamen a tam fidelissimo Patre et charissimis meis fratribus moestis et tristibus lacrimas copiosas fundere me necesse erat. Colligatis itaque sacculis meis, quos mecum ducere volebam, et equo quem emeram impositis, desuper sedi, cum servo Comitis recessurus. Porro me in equo sedente omnes fratres circumstantes obnixe petierunt, ut loca sancta diligenter notarem, et conscriberem ad eosdemque deferrem, ut et ipsi, etsi non corpore, mente tamen possent circa loca sancta recreari: quod et fratribus promisi. Et cum hoc servus Comitis et ego Conventum exivimus, et clam quasi occulte de civitate equitavimus: per portam gregis pontis transeuntes flumen Danubii. A casu autem concordantia accidit prioris peregrinationis et illius quo ad diem. Primam enim peregrinationem in die sanctorum Tiburtii et Valeriani inchoavi. Eodem autem die et hora duobus annis revolutis ad secundam Evagationem profectus sum. Equitantes autem servus Comitis et ego ocius ad villam Dissen venimus, et supra illam in castrum, in quo Dominus Comes residebat, ascendimus. Causa autem, propter quam me vocavit, erat ista. Sub castro in villa, quae dicitur Jedensheim vel Iheidemsheim, erat quaedam virgo alienata a sensibus, quam multi

dicebant esse obsessam a daemone: hanc videndam et examinandam mihi exhibuit, ut judicarem, quid esset cum ea agendum: si adjuranda esset, vel non: hoc autem fuit meum judicium, quod destructa esset in capite, et ideo potius medicorum quam theologorum curae esset committenda. Hoc sic terminato, dixi domino Comiti meam profectionem jam inceptam, et petivi eum, ut mihi servum adjungeret, qui usque ad Alpium radices me conduceret, quia usque ad id spatium est nonnunquam satis insecurum et timebam ibi equitare solus. Assumpto ergo famulo mihi adjuncto eodem die a Thyssa recessimus usque in Memmingen, et ibi pernoctavimus.

Quinta decima die festine a Memmingen usque in Campidonam equitavimus, et ibi simul manducavimus; post prandium licentiavi famulum a me, jubens eum redire ad dominum suum. Ego vero ad radices montium veni cum magna festinatione. Timui enim, quod Domini mei ante adventum meum de Pontina (Insprugg) recederent, et veni usque in villam Ruti, quae est sita super Licum fluvium, quem vulgares Lech nominant, ibique pernoctavi. (B)

Sexta decima die mane solus de Ruti exivi et in Rhaeticas alpes subii: ibi enim est ingressus in Rhaeticas alpes et praeceps ascensus tempore pluvioso pessimus et profundus luto. Malam viam valde habui, quia praecedenti die pluerat, et in nocte postea cecidit nix super lutum, nec potui videre paludes et foramina profunda. Et ita equus, quem manu sursum duxi, omni passu in profundum mergebatur usque ad ventrem: et ego similiter usque super genua. In foveis vero profundius mergebamur. Tandem autem per clausuram Rhaeticarum alpium, quae dicitur Ehrenstein, ingressus veni usque ad ascensum montis Fericii, quem cum ascendissem et ex alia parte descendissem, vidi mihi adhuc superesse multum de die; et pertransivi villam Nazarith, et iterum ad montana valde alta ascendi, et perveni in villam Schneckenhusen, ibique pernoctare decrevi. Porro in ipso hospitio sedebant focii minerarii de argentifodinis, qui ludebant, bibebant, et voluptatibus deserviebant, quorum suspecta erat mihi societas, et cautus fui in conversatione cum eis. Posuit

autem hospes me ad unam parvam singularem cameram, cujus ostium diligenter servavi, et ita dormivi.

Decima septima die mane cum singuli surgerent, factus est tumultus magnus in domo, pro eo, quod duo vectores curruum conquerebantur, peras suas cum pecuniis repositis perdidisse. Ipsis enim dormientibus socii illi minerarii fures cameram eorum ingressi peras eorum de cervicalibus trahentes et evacuantes, in hortum domui contiguum vacua marsupia projecerunt, ipsi vero simul, dum omnes dormirent, aufugerunt cum pecunia. Cum autem sol oriretur a loco illo recessi et cum timore processi, timens ne forte fures illi insidiarentur mihi in via: sed nihil mihi mali accidit. In meridie autem ad Pontinam oppidum veni, sperans me dominos meos ibi reperturos, sed spe mea frustratus fui. Pontinum latine, Insprugg dicitur theutonice, quia Pontinum dicitur quasi Pons Ini fluvii, quod significat hoc nomen Insprugg. Dum enim jam ad pontem oppidi accederem et intrare vellem, venerunt mihi obviam quinque armigeri servi Dominorum meorum, quos a se remiserant ad propria, et ipsi profecti fuerant de Pontina mane illo die. Multis enim diebus fuerant in curia Ducis taedio affecti: ideo quam cito causas suas expediverunt, recesserunt, uno die citius, quam mihi Dominus Johannes Truchsas terminum statuerat. Hoc enim egerant apud Ducem, quod eidem commiserant omnia quae reliquerunt, uxores, liberos, terras, villas, oppida ac castra, pagos et dominia eorum: insuper literas promotoriales ab eo acceperant ad Ducem Venetorum et ad Senatum Venetum. Et istis expeditis abierunt. Non repertis (27 A) Dominis in oppido festinanter pertransivi sequens eos, et in montana ascendi et per curvitates multas montium in vallem quandam magnam, quae dicitur Matra, perveni, et ibi noctem egi.

Decima octava die de Matra in altiora montana conscendi, et per jugum montis dicti Brenner transivi, et frigore vehementi molestatus fui. Nam ibidem etiam aestivo tempore nives, pruinae et glacies non desunt. De isto jugo ab alia parte per longam viam descendi et in oppidum Stertzingen veni, ibique in hospitio Dominos meos reperi cum aliis nobilibus et famulis suis. Inveni ibi Dominum Heinricum de Stöfel, et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dominum Johannem Truchsas, et Dominum Ursum de Rechberg: quartus vero Dominus Johannes Wernher de Cymbern Baro praecesserat eos, ut Venetiis de hospitio congruo provisionem faceret pro dominis et nobis omnibus.

Decima nona die ab illo loco post sumptum prandium recessimus: et cum juxta monasterium Cellae novae prope Brixinam Ordinis Canonicorum Regularium essemus, Praepositus monasterii nobis occurrit, omnesque in monasterium secum duxit, propter Dominum Johannem Truchsas, quem venerabatur, quia de Waldsee, ubi Dominus Johannes Truchsas residet, assumptus fuerat in Praepositum illius monasterii. Noluit autem dictus Praepositus nos illo die a se dimittere, sed coegit manere, et cumulatissime nos tractavit. Est enim monasterium valde solemne et multum abundans. Vix vidi tot vasa argentea et aurea, sicut in triclinio illius Praepositi. Ecclesiam habet magnam cum pretioso ornatu, et Librariam bonam. Sunt ibi viri maturi et observantiales: nunquam videtur mihi me audivisse tam regularem et bonum chori cantum, sicut in hoc monasterio.

Vicesima die, quae erat dominica Jubilate, mansimus in divinis officiis in Cella nova, et in prandio; et deinde a monasterio recessimus. Cum festinantia autem Brixinam civitatem pertransivimus, quia dicebatur dominis, quod pestilentia ibi grassaret. Aliis tamen vicibus in ea civitate pernoctavi. Ibi est Episcopatus abundans. Ideo frequenter mortuo episcopo insurgunt rixae et contentiones multae, et primariae perturbationes pro Episcopatu: et tota terra illa interdicto et censuris ecclesiasticis vexatur. Recolo, quod propter illum Episcopatum Dux Austriae Sigismundus, qui hodie est, et tota terra illa interdicto stricto et gravissima excommunicatione fuit punitus: ita quod omnis homo, sive ignoranter sive scienter transiens per terram illam, fuit excommunicatus (**B**). Ecclesia cathedralis est pulchra. Quadam vice in eadem ecclesia steti, dicens cum socio fratre horas canonicas; praepositus autem ecclesiae dominus et canonicus magnus misit capellanum suum ad nos et interrogavit, an essemus fratres mendicantes, et percepta veritate direxit nobis pinguem et bonam eleemosynam. Valde bene staret ibi conventus bonorum fratrum. In tota namque dioecesi non est aliquis conventus fratrum

mendicantium. Sunt autem ibi ita maturi canonici, quod nolunt in nova Cella sustinere monachos nisi reformatos. Veruntamen monasterium novae Cellae est canonicorum illorum, et ante tempora non multa fuit ecclesia novae Cellae ecclesia cathedralis, et ea translata in civitatem posuerunt ibi Canonicos Regulares. Postergata Brixina venimus ad viam Conteri, per quam faciliter ascendimus, quia Dux Austriae eam ita plantavit, quod jam cum curribus ascendunt et descendunt, omnibus viis dimissis. Ideo nunc praefatus dux construit in supremo illius viae domum valde altam et pretiosam, thelonario ibi ponendo. Non sunt duo anni elapsi, quod via illa erat adeo mala et periculosa, quod cum magnis difficultatibus potuit eam homo transire, equum ad manum post se trahens. In mea prima peregrinatione cum quantis angustiis illam viam transiverim ego scio. Sunt enim a parte dextra profundissimae valles, et via erat stricta superius a sinistris habens parietes petrarum altissimas et a dextris vallem profundissimam. Adeo arta et periculosa fuit ista via, ut in communitate cantentur de ea publica carmina. Sed nunc, ut dixi, Dux fecit arte cum igne et bombardarum pulvere dividi petras, et scopulos abradi, et saxa grandia removeri, et multis expensis fecit aspera in vias planas: non solum ibi sed in pluribus locis per montana Rhaetica suae dictioni subjecta. Praefata via duobus miliaribus theutonicis est longa; quam cum percurrissemus, descendimus in Bozanam civitatem, quam noviter miserabiliter paene totaliter exustam reperimus: necdum erat ignis extinctus, sed de cumulis ruinarum flammam et fumum vidimus et odoravimus. Monasteria tamen et ecclesiae remanserunt illaesa quasi miraculose. Conventus noster Praedicatorum in multis locis ardere inceperat, sed diligentia et labor fratrum in tectis currentium extinxit. Ignis tamen adeo pervaluit etiam in nostro conventu, quod fratres non potuissent eum conservasse, si alia virtus superior non affuisset. Tectum enim dormitorii arsit in altum et Prior venerabilis, Pater Nicolaus Münchberger, sicut certissima habeo relatione, sub igne genibus flexis beatam invocavit virginem, et adjutorium invenit. Ante plures annos quidam ignis cunctis videntibus per portam civitatis intravit, et per vicos cucurrit et totam civitatem combussit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Unde sicut eandem combustionem sic et illam divinae vindictae ascribunt. (28 A) Est enim populus ibi vitiosus; crapulae, luxuriae, superbiae deditus ultra modum. Omnia enim sunt ibi in bono et levi foro et est abundantia optimarum rerum ibi: vinum est ibi praecipuum, fructus alii dulces. Sed habet aërem insanum, quia, ut dicunt, ab illa parte qua spirat aër recens et sanus, sunt montes altissimi, quos mihi demonstrabant fratres, et ab illa parte, qua aërem recipit, sunt paludes foetidissimae. Unde contingit, quod ibi sunt semper multi febricitantes, et est adeo commune teneri febribus, quod febrim infirmitatem non aestiment. Quando enim quis alteri amico suo obviam venit, et eum videt pallidum et deformem facie, interrogat: O amice, quid habes, video te infirmum et deformatum? ad quod ille dicit: Certe, amice, infirmus non sum, per dei gratiam, sed febris deformat me. Unde quadam vice cum quodam seculari transivi in Bozanam, et dum civitatem videremus, dixit ad me: ecce frates, non credo aliquam civitatem esse in mundo frigidiorem quam illam: de quo miratus dixi: non esse ita, sed est, dixi, calidissima. Ad quod ille: ego nunquam veni ad hanc civitatem etiam aestivo et calidissimo tempore, quin semper viderim ibi multos in pelliciis hilemalibus sedentes pallidos prae frigore, et dentibus stridentes. Et hoc joco dixit de febricitantibus. Multi aestimant, quod febrem non ex malo aëre homines contrahunt, sed ex bono vino et de bona coquina, de quibus se ingurgitant et infirmitates contrahunt. Civitas haec ante paucos annos fuit italica, et vulgaris locutio fuit italicum. Unde ego novi quendam Patrem de Italia, qui non scivit unum verbum theutonicum, qui tempore juventutis suae in Conventu Bozanensi fuit cursor et praedicans, sed per successum temporis, crescentibus Theutonicis, facta est civitas illa alemanica, et conventus ille Provinciae nostrae additus est, qui prius erat sub provincia S. Dominici. In hac civitate mansimus per noctem, et miseriam magnam vidimus, quia multi in ruinis domorum suarum demorabantur, non habentes aedes, nec manendi locum, et multi emigrabant pauperes, qui fuerant ante ignem divites. Sed hodie reaedificatur civitas, et pretiosiores structuras faciunt, quam ante, contra ignem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vicesima prima die Missa in nostro Conventu audita et prandio sumpto recessimus a loco ad dextram partem habentes Athysim aut Lavisium fluvium, qui vulgariter Etsch nominatur: et trans Atisim vidimus fertilissima montana, cum multis castris et villis, principalior tamen villa dicitur Tramingum, quae magna est, juxta quam illa crescunt vina nobilia, quae ducuntur in Sueviam, et a villa denominantur Tramminger. Porro inter Ahesin et nos, contra Meronam civitatem, sunt paludes profundae, et post paludes contra Tridentum sunt montana mediocria, et in cornu eorum jacet unum antiquum castrum nomine Firmianum, a quo orti sunt nobiles illi, qui dicuntur domini de Firmiano, quorum aliquos ego vidi. Castrum autem nunc habet (B) in possessione Sigismundus Dux Austriae, qui de novo reaedificat et ampliat spississimis muris et altis ac magnis turribus circumdans. Muri spissitudo est XX. pedum calceatorum. Et quatuor habet habitacula per quatuor angulos magna et firma, a se distincta per intermedias turres et muros, et quaelibet habitatio habet propriam plateam et propria stabula pro equis, ita quod quatuor principes possent in eo secure morari. Ego fui in illo castro et omnia lustravi. Aquam non habet, nisi quam per rotam sursum de Athesi trahunt, qui decurrit ad rupem castri. Porro propter paludis foetorem facta fuit habitatio odiosa, quia homines ibi morantes cito moriebantur. Ideo ad tollendum hoc impedimentum fecit Dux per medium paludis ab Athesi usque ad montana fossata magna et profunda, ad quae distillant aquae paludis: ita quod nunc sunt prata amoena, ubi prius erat foetida et mollis palus. Et ipsa fossata sunt aqua de palude fluentibus ita plena, quod cum navibus in fossatis faciunt transitum sursum et deorsum. Super margines vero fossati plantari fecit Dux vineam perlongam ab utraque parte, de quibus colligunt tempore vindemiae XX. aut ultra vini plaustra optimi. Istis tamen non obstantibus, et quamvis foetor paludis sit ablatus, nemo tamen diutius in castro illo dicitur posse vivere. Cujus causam dixit mihi nunc castellanus ibidem; quia in alto est situm et habet aërem recentem et fortem, quo efficiuntur homines ibi morantes esurientes et sitientes, et concitatur ibi appetitus multum. Cui cum quis semper sine ordine satisfacere satagit, tandem

seipsum perimit: nec est ibi defectus, sed semper stat mensa ibi parata, et vinum ibi non clauditur. Et iste excessus locum minus carum reddit. Quaesivi a castellano, quid tandem Dominus Dux praetenderet, quod tantas expensas faceret, castrum illud sic fortificando, cum tamen omnia per circuitum pertineant ad Comitatum Tyrolis? Respondit, quod ideo faceret, ut si vulgus se a Domino avertere conaretur, et a subjectione recidere, sicut fecerunt Helvetii sive Switenses, quod tunc in castro illo Dux se reciperet, eosque tantum vexaret, quod redire cogerentur, cum ipsum castrum quasi inexpugnabile sit, et in corde illius aulonis sit situatum. Equitavimus ergo consequenter et ad novum Forum, villam magnam, venimus, ibique propter equos per horam mansimus in hospitio. Venit autem ad me quidam famulus, de domo opposita, dicens se missum a quodam fratre Ordinis Praedicatorum in eadem domo commorante, interrogare me, qui essem, et unde venissem? Cui respondi: si placet fratri illi scire quis sim, et unde huc venirem, veniat ad me et dabo sibi bona responsa: tibi vero, dixi, famulo non respondebo. Hoc autem ideo dixi, quia suspicabar, quod esset unus de vagis fratribus nostris per montana discurrentium. Nam instabiles et fugitivi fratres ordinis nostri et aliarum religionum se ad illa loca conferunt, et in montanis, tanquam in tutissimis locis latitant, et cum hoc omnia sunt in bono foro, et levi pretio, possunt vitam suam dissolutam (**29 A**) nutrire, et discurrunt ad rusticos, dicentes eis Missarum utilitates, quod audientes emunt Missas eorum, pro se et suis defunctis, non scientes virus Symoniae ibi esse. Et ita dant eis pecunias, ut legant Missas, cum potius esset eis pecunia danda, quod nunquam pro honore Dei ad altare accederent. Vidi ibi in montanis quasi de universis religionibus miseros vagari, et Episcopi ac Presbyteri eos tolerant. A novo Foro equitavimus per aulonem contra Tridentum. Communis vulgus dicit, quod per illam aulonem aut vallem usque ad Meronam mare olim fuerit, et quod Athesis super Meronam de montibus ruens in mare labebatur. In cujus signum in petris montium circa Tyrolim reperiuntur adhuc circuli ferrei, ad quos naves alligabantur, et ita totum spatium, per quod Athesis in suo alveo in mare mediterraneum

labitur, mare fuit: quod bene credo, cum mare ante tempora fuerit multo altius, quam nunc sit, ut ostendetur folio sequenti et P. 2. Fol. 173. B. Venimus autem ad unam villam nomine Nova, in quam ruit fluvius rapidus de montanis, qui dividit Italos ab Alemannis, et supra fluvium in parte nostra stat una Capella, in qua ilia S. Udalrici Episcopi Augustensis sunt sepulta. Dicunt enim, quod Sanctus praefatus fuerit Romae, et in itinere existens incepit graviter infirmari. Rogavit autem Deum, quod non permitteret eum mori in Italia, sed in Alemania, et ita factum est. Statim enim ut per pontem hujus fluminis venit, mortuus fuit, et ilia ejus ibi sepulta, corpus vero fuit in Augustum deportatum. Ab hoc loco in Tridentum civitatem equitavimus et per noctem ibi mansimus. Civitas Tridentina una est de vetustissimis civitatibus illis, quas Trojani venientes per mare cum Antenore in montanis aedificaverunt; ad ejus moenia decurrit Athesis. Est autem in amoenissimo et claro ac sano loco sita: et sunt quasi duae civitates, inferior et superior, propter duas diversas gentes. In superiori enim habitant Italici, sed in inferiori sunt Alemanni. Et ibi est divisio linguae et morum. Raro inter se habent pacem, et saepe ante tempora nostra fuit illa civitas dilacerata, quandoque ab Italicis in odium Theutonicorum; aliquando a Germanis in displicentiam Italorum. Non sunt multi anni elapsi, quod Theutonici in illa civitate erant hospites et pauci, nunc vero sunt cives et urbis rectores. Et tandem continget de illa civitate, et nunc de facto contigit, cum Dux Athesis Pontinae eam jam totaliter sibi et Theutonicis subdiderit, sicut de Bozano dictum est, quia Alemani in dies magis et magis augmentantur. Quae autem sit causa augmenti eorum, quod nos potius crescimus in regiones aliorum, quam alii crescant in regiones nostras, adhuc non didici: nisi dicere velimus in terrae nostrae ruborem, quod propter ejus defectiones et steribilitates, quaerimus alienas; vel propter populi Theutonici crudelitatem, cujus vicinitatem et conspectum nulla potest sustinere gens, sed dant cuncti eis locum, cedentes iracundiae, quam nemo tolerare valet. Ex opposito civitatis super Athesin habent fratres Praedicatores conventum valde amoenum, pulcherrimis hortis circumdatum: et dicitur ad

Sanctum Laurentium: illum Conventum aedificavit B. Jordanes, immediatus successor in regimine Ordinis sancti Dominici, Patris nostri, (B) sed ibi est nulla observantia nec regula, sed pauci et miseri fratres ibi sine fructu degunt. In hac civitate Anno 1475. martyrizatus fuit sanctus puer Symeon a Judaeis, cum magnis tormentis: propter quod Judaei fuerunt cum torturis magnis suspendio deputati; quorum maledicta corpora vidi in patibulis pendere, anno sequenti, quando ivi Romam. Corpus autem B. Pueri inventum, magnis incepit clarere miraculis, et hodie claret, ut dicitur. Propter quod homines a longinquis partibus Theutonicae, Franciae et Italiae illac peregrinantur, et deferunt ceram, vestes, aurum, argentum et pecunias in tanta copia, quod stupendum est videre. Unde ecclesiam S. Petri, in qua corpus fuit locatum, antiquam destruxerunt et novam amplam superaedificaverunt ex illis bonis: et domum martyrii ejus etiam emundaverunt, eamque ecclesiam consecraverunt. De martyrio illius Pueri vide in supplemento Chronicorum, lib. 15. Fol. 177. Cum ergo nos peregrini vestes equitantium deposuissemus, ad ecclesias pro indulgentiis transivimus, et in ecclesia S. Petri corpus S. Pueri vidimus et locum martyrii ejus, et ecclesiam Cathedralem antiquam, et alias capellas et ecclesias. Hoc enim faciunt honesti peregrini Jerosolymitani, quod, cum ad aliquas civitates divertunt, statim de ecclesiis et Sanctorum reliquiis inquirunt, et ea visitant. Sic etiam fecerunt Domini mei, et ego una cum eis, ut patebit in processu. Cum autem sero factum esset, et in coena omnes simul sederemus, advenit quidam joculator cum fistula, et uxor ejus cum eo, quae ad fistulationem concinebat voce, bona modulatione. Vir autem licet prudens esset, fistulando gesticulationes faciebat fatuorum, propter quarum ineptias magnum concitabat ad laetitiam musicae risum. Cum autem ludus finitus esset, ex more Domini Barones et nobiles inter se de dando pretio joculatori conferebant. Quidam autem nobilis nihil contribuere volebat, asserens: suum Plebanum saepe praedicasse, quod in talibus datio et acceptio esset damnosa, et mortale peccatum. Cum itaque sim constitutus in sacra peregrinatione, nolo eam foedare vitiosa datione; sed pauperibus tribuam. Ex hoc facta

est contentio non modica inter nobiles, et disputatio longa et rixosa. Tandem autem petita responsione mea, conclusioni et sententiae meae stare affirmabant. Conclusi ergo, licet cum formidine: dandum esse joculatori. Sicque dederunt munus fistulatori et ejus uxori. Cum autem domum redissem, quaesivi in scriptis Doctorum, an bene sententiassem, et reperi sententiam meam in Gersone, in duobus locis: ubi tractat de Avaritia, in materia de 7. peccatis capitalibus et de cognitione peccatorum, Ubi habet, quod tales fistulatores, joculatores, gesticulatores non sunt in statu damnationis, et quod talia possunt dicere aut facere sine peccato mortali: quamvis sint verba aut facta ociosa, jocosa, et interdum mendosa, salva tamen honestate, nisi faciat talia solum propter dissolutionem: secus, si propter sustentationem et lucrum et propter principum ac dominorum, quae curis magnis praegravantur, recreationem. Quod hunc joculatorem fecisse deprehendimus, qui Tridentinus erat mechanicus, et non continue joculabatur, sed tantum in adventu principum et dominorum: cum enim audivisset esse peregrinos terrae sanctae, pro eorum solatio et suo salario ludebat, ut moeror et anxietus nostra remitteretur paululum.

Vicessima secunda die audivimus Missam ad Sanctum puerum Symonem et prandium in hospitio sumpsimus. Deinde stratis equis de civitate profecti sumus. Statim autem ante portam civitatis per praecipitem clivum ascendimus, dimittentes illam inferiorem viam quae super alveum Athesis descendit contra Veronam. Est autem ascensus ille non solum praeceps, sed est una petra rubea et de durissimo marmore. Unde etiam omnes muri et moenia civitatis Tridentina sunt de pretioso et pulchro marmore, sed non polito. Post longum ascensum ab alia parte descendimus et in Persam villam venimus. Persa enim est villa magna, et supra villam in monte est castrum grande, quasi civitas, cum altis turribus et magno muro per circuitum, et multi opinantur ex nomine illius castri, quod Perseus, totius nobilitatis Graeciae pater hoc castrum aedificaverit, vel aliquis filiorum ejus aut subditorum ejus, et ex ejus nomine Persea, nominetur hodie, sicut et regnum Persidis, quod ipse de Graecia veniens et devincens a se Persidam

nominavit. In hoc castro dux Austriae habet semper multos soldatos, qui custodiunt ibi castrum, et provinciam. Ulterius processimus et ad lacum quendam venimus, de quo lacu fluvius decurrit, nomine Brenta, qui inde currens ad Paduam usque pervenit, et postea descendens mari Veneto commiscetur. Consequenter in longam vallem magnam et fertilem venimus, et in oppidum quoddam, dictum vulgariter Valscian, divertimus modicum pausandi gratia. Est autem hoc oppidum et consequenter tota terra usque ad mare de lingua italica; hospites tamen quasi (**30A**) omnes sciunt ambas linguas alemanicam et italicam. Interrogavi autem hospitem de ratione nominis, quare oppidum nominaretur Valscian, qui respondit. Valscian, idem est quod vallis sicca, et accepit nomen ideo, quia ante multa tempora, antequam mare remissum fuit, ascendit usque huc sursum, et tota vallis plena fuit aquis: unde ab utraque parte montium vallem respicientium reperiuntur circuli ferrei in petris pro alligatura navium. Post recessum ergo maris vallis siccata retinuit nomen Valscian. Ex quibus notare potui, quod omnes valles contra mare tendentes montium fuerunt olim repletae aquis, et erant canalia maris magni, sicut hodie est, in terris mari propinquis, ut dixi. Theutonici nominant Valscian: In der Burg, quia duo castra sunt supra oppidum, et murus castri concludit oppidum. Deinde a Valscian recessimus et sero in villam, quae dicitur Spiteli, id est hospitiolum, divertimus, ibique remansimus per noctem.

Vicessima tertia, quae est festum St. Georgii militis et martyris, mane rogaverunt me Domini, ut celebrarem eis Missam de sancto Georio: omnes enim nobiles singulari quadam devotione St. Georium colunt. Erat autem solum una capella in villa sine sacerdote, et cum magna difficultate obtinui ab aedituo ecclesiae, quod capellam aperuit, et paramenta pro Missa exposuit. Cumque jam indutus sacerdotalibus vestibus essem, et Domini mei nobiles, et alii homines de villa per sonum campanae convocati advenissent, et calicem more nostroo ante Confiteor parare vellem; non fuit in vasculo in fenestra posito panis vel hostia, nec in tota villa: verti ergo me ad populum et hostiae defectum intimavi: ne tamen omnino vacui

recederemus, legi in altari Officium tantum, cum omnibus Missae moribus dempto canone: sicut solet fieri in navibus per mare. Et illas Missas nominant Missas torridas, vel crudas, aut aridas aut vacuas de quibus vide fol. 49. A. B. Post illam orationem iterum verti ad populum, et feci sermonem brevem de sancto Georio, et exhortationem. Haec autem me faciente et ita loquente, populus villae astabat, et mente confusa me respiciebat cum admiratione magna. Erant enim Italici et forte nunquam audierant sermonem theutonicum in sua ecclesia nisi a me. Et his finitis regressi sumus in hospitium et manducavimus. Post commestionem incepit pluere, nihilominus tamen equos ascendimus, et a villa recessimus. Porro pluvia magis ac magis crescebat, et ita madidi facti fuimus usque ad pellem, sicque in Feltrum oppidum infusi pluvia venimus. Sumus ergo propter inundantem pluviam hospitium ingressi, volentes ibi per horam vel duas exspectare, quousque cessaret. Sed magis ac magis invaluit pluvia, et ita coacti fuimus manere hac die ibi, quod tamen molestum nobis erat, quia ipsum hospitium artum fuit et repletum rusticis italicis, et hospes ac hospita et omnis familia erant de italica lingua: nec usum tractandi dominos habebant, nec apta instrumenta (B) ad honeste ministrandum. Erant tamen simplices boni homines et fecerunt suum posse: hoc ego bene consideravi. Sed servi dominorum erant impatientes.

Vicesima quarta adhuc sine intermissione pluit, sicut fecerat die altera et nocte praeterita et ex hoc aquae confluebant, et torrentes exundabant. Verum pluvia non obstante ingressi sumus Ecclesiam supra in civitatem et Missa audita etiam ipsum oppidum consideravimus. Est enim Feltrum unum de istis oppidis, quae construi fecit Antenor pro custodia montium antiquissimum, sicut et structure ejus demonstrant, et est multum longum per jugum collis extensum, et habet episcopum et monasteria aliqua sub monte civitatis. In domum ergo regressi cibum sumsimus et sub prandio cessavit pluere. Stratis ergo equis a Feltro recessimus, et cum magno periculo equitavimus propter crescentes aquas. Nam parvi rivuli in fluvios rapidissimos creverant, et torrentes sicci aquis redundabant. Sed quia aër serenatus fuit, paulatim decrescebant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Die advesperascente inde recessimus, et ad quendam magnum fluvium venimus, in cujus litore per unam Venetorum custodiam transivimus, et deinde in villam, quae Ower nominatur, venimus ad pernoctandum, quod et fecimus. Porro hospitium nostrum, sicut et tota villa ad radices cujusdam montis delectabilis et graminosi situm erat. Et dum coena parabatur transivi cum Dominis in curia domus, et suspiciens dixi: ecce, si quis in supercilio illius montis esset, mare magnum videre posset. Hoc cum domini audivissent: ascendamus inquiunt, et videamus mare, forte nostrum futurum sepulchrum. Et statim tres Domini mei, et duo servi et ego montem ascendimus, qui erat multo altior, quam nobis apparuit. Et conjectis oculis contra meridianam plagam, extra montana in planitiem Italiae, et post planitiem mare mediterraneum vidimus: in cujus aspectu Domini mei, utpote juvenes et delicati, quodammodo conterriti stabant, et pericula futura cum mari contemplabantur. Et de facto ego ipse in ejus aspectu quodam metu concussus fui, quanquam suas amaritudines bene gustassem. Habuit enim sic de monte contemplatum satis horridum aspectum. Videbatur quod esset in propinquo et sol serotinus partem ejus illustrabat anteriorem; reliquum, cujus finem videre nemo potest, videbatur esse nebula elevata, crassa, atra, aërei coloris nigrescentis. Demum satiati hoc aspectu per montana in nostro circuitu respeximus et multa antiqua destructa castra vidimus. In monte etiam, ubi eramus, sub pedibus murorum magnorum ruinae et fossata per circuitum supra montem, et piscina pulchra (**31A**) adhuc aquam retinens ibi erat et pascualis mons fuit. Et creduntur illa castra omnia aedificata fuisse ab exercitu Antenoris Trojani: quia cum Baduanum urbem aedificasset in plano, ascenderunt in montana et oppida et castra aedificaverunt contra transalpinos, qui erant homines adhuc silvestres, more bestiarum viventes. Interea dum de his cum Dominis meis loquerer in monte, occidit sol, et descendere incepimus; antequam autem in hospitium venimus, fuerunt tenebrae, et cum lumine cibum sumentes dormitum ivimus.

Vicessima quinta die erat festum S. Marci; optavimus nos esse Venetiis, quia hoc festum ibidem cam maximo apparatu et multa gloria peragitur. Audivimus tamen Missam de St.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Marco in villa, et postea cibum sumpsimus, et inde recessimus. Est autem ab illa villa descensus de montanis et exitus ab eis, et ita in campestrem terram venimus, valde fertilem, plenam segetibus, arboribus fructiferis et vitibus, quam transcurrentes in Tarvisium civitatem venimus, mansuri ibi per aliquot dies, quousque equos nostros venderemus. Non enim amplius erant nobis equi necessarii, quia non longe a mari eramus.

Vicessima sexta die erat festum S. Desiderii, qui in ecclesia Cathedrali quiescit ibidem. Et fecerunt Tarvisini magnam sollemnitatem cum processione per civitatem; et cum omnis plebs in ipsa majori platea congregata esset, fecerunt ludum, in quo illius sancti legenda gestibus hominum ad hoc instructorum celebri spectaculo expresserunt; cui et nos peregrini astetimus, cum admiratione quidem, nescio si cum dovotione. Post prandium venerunt Italici multi ad hospitium nostrum, videre et emere equos nostros cupientes, in quorum venditione habebant mirabile litigium inter se ipsi Italici. Accurrebant enim, et unus alium praevenire conabatur, et interrumpebant sibi ipsis forum, et se ipsos verbis opprobriosis lacerabant, et viri senes ac divites et honorati simul sicut pueri certabant, et unus in displicentiam alterius majorem pecuniam offerebat, quam equi valebant, et cum industria unus alteri praejudicabat. Et in hoc litigio nos in pace stetimus, et bene equos nostros vendidimus, et sic transivit dies illa.

Notandum quod ab oppido Pontinense usque huc loca descripsi, ideo quia in reversione non veni per illam viam in Pontinum, sed per aliam ut patebit. Ulterius autem nullum locum describam in ingressu, sed in reversione omnia loca, ad quae declinare me contigerit, describam. Et ideo descriptionem Tarvisii, et aliarum civitatum servabo in reditum etc. Festino enim in Jerusalem, ad quam firmavi faciem meam, nec quiescam, donec clarissimam illam et desiderabilem urbem iterato videam. (B)

Vicesima septima die, quae erat dominica Cantate, Missam Tarvisii audivimus et cibum sumpsimus. Post prandium vero equos, quos Martyres nominant, conduximus, pro nobis et

nostra supellectili ad mare ducendum, et profecti sumus contra maris oram; et in oppidum Masters venimus, volentes procedere usque in Margerum, ubi limbus est maris magni. In ipso autem oppido occurrit nobis quidam Theutonicus inquirens an essemus de societate domini Johannis de Cymbern Baronis? Quo audito, quod sic: reduxit nos in hospitium et paratam mensam cum cibo et potu ostendit nobis, dicens: Dominum Johannem de Cymbern ita ordinasse pro nobis fieri. Duxit nos etiam in hortum domus, et in flumine, qui ibi de montanis ad mare decurrit, ostendit nobis magnam barcam, quam Dominus Johannes Baro de Cymbern de Venetiis miserat in Masters, ut ibi per flumen in mare navigaremus. His visis laetati sumus, et consedimus edentes et libentes, quae parata erant. Postea omnem dominorum supellectilem tulimus in navem, et omnes simul ingressi ipsam barcam satis graviter oneratam reddidimus, quia multi eramus, et Dominorum supellex ac servorum non modica erat. Sic ergo terrae valediximus, committentes nos aquis, et ingressi barcam per flumen quasi unum miliare descendimus contra mare. Cum autem ad locum venissemus, ubi fluvius faucibus maris magni illabitur, ad limbum et oram maris, et aquam salsam ac amaram maris ingressi essemus navigio, incepimus cantare altis et laetis vocibus peregrinorum carmen, quod pergentes ad Dominicum sepulchrum cantare solent: Jnn Gottes Nahmen fahren wir, Seiner Genaden begehren wir: Nu helff vnß die Göttlich Kraft, vnnd das Heylige Grab, Kyrieeleyson. Quod latine sonat: In Dei nomine navigamus, cujus gratiam desideramus: cujus virtus adjuvet nos et sanctum sepulchrum protegat nos, Kyrie-eleyson. Inter haec non nulli considerantes ipsius maris amaritudines et mille ejus pericula, non cantum sed in cordibus suis planctum fecerunt. Quidam vero devotione ad sanctum sepulchrum affecti, ex cantu moti fleverunt. Alii ipsum mare tanquam coemeterium suae sepulturae horruerunt. Caeteri, nihil futurum perpendentes vel timentes, riserunt. Interea prope castellum Margerum venimus, et procedentes juxta turrim, quam nominant turrim de Marger, obviam barcam habuimus, quam quidam juvenes fortes trahebant contra Margerum remis impetuose, et impegit in nostram barcam et

collidebantur prorae ad invicem, ex quo nostra barca in latus fuit detrusa impetu, et super quendam palum in aquam fixum impulsa minabatur eversionem ad latus, (**32 A**) et quasi eversa fuisset cum hominibus et rebus, et valde perterriti fuimus. Naucleri autem de ambabus navibus conclamantes maledixerunt alterutris, et ita processimus. Post modicam moram occurrit nobis alia barca cum sociis: et unus interrogavit nos, ad quod hospitium declinare intenderemus Venetiis? Cui cum diceremus, ad Sanctum Georium, ubi dominus Johannes de Cymbern disposuerat: incepit ille vilipendere et hospitem et hospitium, et mala praedicata exclamabat de hospite, stans super proram, et conabatur nos avertere, et quoddam aliud nobis demonstrabat hospitium. Eo sic stante in prora et cum clamore suadente, subito casum accepit, et de prora ruens in mare cecidit. Qui cum multo labore suorum sociorum fuit extractus et a morte ereptus. Erat autem vestibus novis sericis indutus, quae simul cum eo baptismum acceperunt: unde magnus risus in nostra navicula fuit exortus. Consequenter navigantes ante oculos habuimus inclytam civitatem, magnam, pretiosam et nobilem Venetiarum, maris magni dominam, in aquis mirabiliter subsistentem, cum altissimis turribus et excelsis ecclesiis, et domibus ac palatiis eminentibus. Et erat nobis stupor videre tam gravissimas moles et altas structuras in aquis constitutas. Tandem civitatem ingressi sumus navigio, et per canale magnum navigavimus contra Rivoaltum, et ab utroque latere habuimus domus stupendas prae altitudine et decore. Porro infra Rivoalti pontem declinavimus a canali magno in aliud canale, quod a latere dextro habet fonticum Almanorum, per quod ascendimus intra domus, et usque ad portam hospitii nostri, quod ad Sanctum Georium dicitur, vulgariter theutonice zu der Fleuten, pervenimus. Exivimus ergo de barca, et de mari per lapideos gradus circiter LX. ascendimus ad cameras nobis ad manendum paratas, et omnes res in eas intulimus. Porro magister Johannes hospes et domina Margareta hospita cum magna hilaritate nos susceperunt, singulariter tamen me amicabiliter salutaverunt, quia ego solus notus eis eram a priori peregrinatione, in qua multis diebus cum eis in illa domo hospitatus

fueram. Occurrit et nobis reliqua familia nos salutans et ad serviendum nobis se ingerens et exhibens. Omnis autem domus, hospes et hospita et cuncti famuli et ancillae erant de lingua alemanica, nec audiebatur in domo illa verbum italicum, de quo singulare solatium habuimus, quia valde poenale est convivere hominibus, cum quibus locutione conversari non potest. Denique ad ingressum nostrum occurrit nobis canis, custos domus, magnus et inger, et blandimento caudae suae gaudium se habere monstrabat, et ad nos saltabat sicut canes solent facere ad sibi notos. Hic canis omnes Theutonicos, de quacunque parte Alemaniae veniant, sic gaudens (B) recipit. Sed ad ingressum Italici, Lombardi, Gallici, Franci, Sclavi, Graeci, vel alterius provinciae extra Alemaniam, adeo irascitur, quod quasi rabidus aestimetur, et cum grandi latrutu occurrit, et furiose in illos insilit, et nisi aliquis canem compescat, a molestia non cessat. Nec etiam illorum Italicorum, qui in vicinis domibus habitant, assuescit, sed contra eos, sicut contra alienos insurgit et perseverans manet omnium implacabilis inimicus. Canes etiam eorum nequaquam ascendere in domum permittit, sed canes Theutonicorum non tangit. Mendicos theutonicos eleemosynam petere volentes non invadit, sed italicos pauperes, ascendere pro eleemosyna volentes, invadit et repellit. Ego multoties liberavi pauperes de morsibus illius canis. Theutonici recipiunt in illo cane argumentum, quod sicut implacabiliter Italicis inimicatur: sic homines theutonici nunquam integro corde cum Italicis conveniunt, et e converso; cum illa inimicitia sit in natura radicata. Sed quia bestia ratione caret et passionibus movetur incessabiliter litigat cum Italicis, natura instigante. Homines vero ratione se cohibent, et affectum inimicitae, qui in natura est, supprimunt ratione. Reperimus autem in hospitio multos nobiles de diversis partibus Germaniae, et quosdam de Hungaria, qui eodem voto, quo et nos, astricti intendebant mare transire ad sanctissimum Domini Jesu sepulchrum in Jerusalem. In aliis etiam hospitiis erant plures de Germania, et in societates se combinaverunt; in una plures, in alia pauciores. Porro nostrae societatis fuerunt XII. peregrini, domini et servi simul, quorum ista erant nomina.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dominus Johannes Wernherus de Cymbern Baro, vir decorus et prudens, elegantia morum praestans, doctus in lingua latina.

Dominus Hainricus de Stoeffel, sacri Imperii Baro, vir industrius et strenuus, moribus virilis, sicut verus nobilis Suevus.

Dominus Johannes Truchsas de Waldpurg, nobilis procerae staturae, vir de honestis et nobilibus moribus, seriosus, et de sua salute solicitus.

Dominus Ber de Rechberg, nobilis de Hohenrechberg junior omnibus, sed animosior, fortior, longior, jocundior et mitior, liberalior.

Hi quator Domini nobiles secum habebant sequentes famulos, quorum nomina ista sunt, cum conditionibus status et officiorum.

Baltasar Büchler: vir maturus et multorum expertus, cujus consiliis Domini omnes fovebantur et regebantur, eumque ut Patrem habebant.

Artus, Dominorum barbitonsor, in musicis instrumentis adeo dulcis et promptus, quod non creditur, ei fuisse similis.

Johannes dictus Schmidhans, armiger, qui pluribus bellis interfuit, et Dominorum in peregrinatione servitor extitit.

Conradus Beck, vir honestus et providus, civis de Merengen, qui Dominorum provisor fuit et procurator. (**33A**)

Petrus quidam, simplex et bonus socius, patiens in adversis, de oppido Waldsee, qui fuit Dominorum et totius societatis cocus.

Ulricus de Rafenspurg, quondam in mari Galeotus, multarum miseriarum expertus, arte institor, et Dominorum interpres.

Johannes quidam vir pacificus, in Dominorum servitio sollicitus, puerorum instructor et magister in Babenhusen.

Frater Felix, sacerdos Ordinis Praedicatorum de Ulma, secunda vice peregrinus terrae sanctae, Dominorum et omnium jam dictorum capellanus.

Hi duodecim inseparabiliter cohaerebant, et communibus expensis praedictorum quatuor Dominorum vivebant. Igitur praefati quatuor Domini, hospitem ad se advocantes fecerunt

cum eo conventionem pro hospitio et mensa et aliis, quibus rebus ejus utebantur. Hac conventione facta prae omnibus nobis cogitavi pro me aliud, et ignorantibus Dominis meis navigavi ad S. Dominicum, ad Conventum Ordinis Praedicatorum reformatum, et rogavi Priorem loci pro hospitio, quousque galêae peregrinorum recederent, et precibus multiplicatis obtinui. Grave enim mihi erat continue inter saeculares morari, et nimis distractivum. Regressus ergo sum in hospitium et complicatis sacculis meis transivi ad Dominos et dixi eis intentum meum. Sed non placuit, imo displicuit eis, nec consentire quovis modo volebant, ut ab eis recederem. Ut autem eo magis voluntarius essem ad manendum cum eis, disposuerunt cum hospite; et dedit mihi propriam cellulam, in qua solus manebam ad dormiendum, orandum, legendum, scribendum, et quando placuit, potui esse extra omnem tumultum, sicut si fuissem Ulmae in cella. Sicque semper cum eis mansi in hospitio, quam diu Venetiis fuimus. Saepe tamen et quasi cottidie solitus fui visitare Conventus fratrum Ordinis nostri.

Vicesima octava mane exivimus de hospitio per vicos mercatorum, et ad ecclesiam S. Marci ascendimus ad audiendum Officium. Quo audito per plateam ante Ducis Palatium spatiavimus. In eadem platea ante majus ostium ecclesiae S. Marci stabant duo vexilla pretiosa in hastis altis elevata, alba, cruce rubea insignita; et erant vexilla peregrinorum terrae sanctae. In his vexillis intelleximus, quod duae galêae essent ordinatae pro peregrinorum transductione. Ut enim domini Veneti viderunt multitudinem peregrinorum confluere, ordinaverunt duos viros nobiles de Senatu eorum, curam peregrinorum eisdem committentes, quorum ista sunt nomina. Primus fuit Dominus Petrus de Lando, et secundus Dominus Augustinus Conterinus. Horum duorum servi stabant juxta vexilla et peregrinos invitabant quilibet ad dominum suum, et inducere peregrinos conabantur, illi ad galêam Augustini, alii ad galêam Petri: illi laudabant Augustinum et vituperabant Petrum; alii vice versa. Unde factum est, quod illi duo domini, Augustinus et Petrus, fuerunt facti (B) capitales inimici, et unus alterum diffamabat, lacerabat apud dominos

peregrinos in fama et honore: et quilibet conabatur alterum reddere peregrinis odiosum et submittebant, qui haec agerent. Unde ex hoc etiam hoc malum pullulare cepit, quod ipsi peregrini utrorumque patronorum quasi erant divisi, et quilibet zelabat pro domino patrono suo. Stabant ergo Domini mei suspensi, nescientes, cui patrono esset magis confidendum, cum de utroque audirent diversa. Ego quidem laudabam dominum Augustinum Conterini, sciens eum esse virum maturum et fidelem, quia cum eo in alia peregrinatione mea transfretaveram. Alii eum magis vituperant et alium laudabant. Et ita pro bono pacis de hac re me non intromisi, et ambos bonos naucleros esse dixi, dummodo nos ad portus optatos citius ducerent: addens, quod si ego scirem, quis eorum citius et expeditius se vellet ad navigandum aptare, pro illius parte ego vellem peregrinis consulere. Ambo tamen promittebant quantocius navigationem inchoare, quod tamen pro certo scivi esse mendacium.

Vicesima nona die, quae et festum St. Petri martyris, Ordinis Praedicatorum, duxi Dominos meos ad sanctum Johannem et Paulum, ubi est conventus magnus et solemnissimus fratrum Praedicatorum, et ibi Officio interfuimus quod valde solemniter celebrabatur, et maximus populi concursus est dic illa ad ecclesiam fratrum, quia ibi est constituta dies solemnis in condensis usque ad cornu altaris illo die. Et populus de tota civitate accurrit ad audiendum Officium, et ad deosculandum reliquias sancti martyris et ad bibendum aquam St. Petri, quae in nomine dei benedicta et sancti martyris reliquiis tacta creditur conferre ad salutem animae et corporis. Unde in plerisque mundi partibus recipiunt homines fideles hanc aquam S. Petri, et periclitantibus mulieribus in partu dant ad bibendum, et periculum evadunt; datur etiam febricitantibus, ut liberentur. Marinarii etiam eam ad naves portant et modicum de ea ad vasa, in quibus aquae sunt, fundunt, cujus virtute aqua alia conservatur, ne foetida efficiatur et quantumcumque antiqua sit aqua, non putrescit, nec foetida fit, dum de illa modicum est superinfusum. Hoc per experientiam cottidianam marinarii discunt ita esse. Audito ergo Officio et deosculatis Sancti reliquiis, et potu salubri gustato regressi sumus ad nostrum hospitium ad refectionem. Post prandium barcam ascendimus

et navigio per vicos civitatis ambulavimus, usque ad S. Marcum et ibi juxta Ducis Venetorum Palatium ad canale magnum navigavimus, in quo stabant amborum patronorum galêae, ut eas (**34 A**) ambas videremus. Primo ergo navigavimus ad galêam domini Petri de Lando, et de barca, sursum in galêam scandimus et placuit primo aspectu navis Dominis et mihi, quia erat galêa triremis magna et lata, et cum hoc nova et munda. Nobis in galêa deambulantibus venit dominus Petrus Lando patronus in barca, et nos cum reverentia magna suscepit, et in navis castello collationem pretiosam instauravit, propinando vinum creticum, et confecta alexandrina; et per omnia tractavit nos, sicut illos quos ducere secum optabat. Deinde duxit nos in carinam deorsum per gradus ad locum peregrinorum, et tantam amplitudinem carinae in potestatem nostram posuit, ut eligeremus locum, in quocumque latere vellemus, pro XII. personis. Perspecta autem galêa illa diximus patrono, quod die crastina vellemus ei dare responsum, an cum eo essemus mansuri, vel cum alio; et ita descendimus in barcam, et ad aliam galêam domini Augustini navigavimus eumque in ea sedentem reperimus. Qui cum magna veneratione nos suscepit, et per galêam circumduxit, et optionem loci pro XII. hominibus exhibuit, et etiam collationem vini et confectarum praebuit, seque fidelem nobis futurum promisit. Me autem optime novit et testimonium suae probitatis et fidelitatis ad me remisit, dicens: ecce Frater Felix capellanus vester scit, qualiter me ad peregrinos habeam, dicat quaeso ergo veritatem, et placebit manere mecum. Perspeximus galêam et non tantum placuit sicut alia, quia erat biremis, et minus ampla, et cum hoc antiqua et foetida, in qua prius mare transivi, et multa in ea sustinui incommoda. Et visa galêa in nostra barca reversi sumus in nostrum hospitium.

Tricesima et ultima die mensis Aprilis audivimus Missam in hospitio, quia quidam magnus dominus de Austria non peregrinus hospitabatur nobiscum, cujus capellanus Missam in domo dixit. Post Missam consedimus simul nos XII. ad deliberandum, cum quo patrono vellemus manere, et quo pactu conventionem inire conveniret. Placuit autem Dominis manere cum domino Petro Lando in sua triremi. Mihi vero melius placuisset

alius patronus Augustinus, sed suam biremem fastidivi propter magnas miserias, quas in ea sustinui. Conclusimus ergo manere cum domino Petro: in super XX concepimus articulos, quibus modum conventionis nostrae limitavimus, et ad quae nobis patronus obligaretur expressimus.

Primus Articulus. Quod Patronus nos peregrinos de Venetiis usque ad Joppen, portum terrae sanctae, et inde demum usque Venetias ducat reducatque, ad quod faciendum ad majus in quatuordecim diebus sit paratus et ultra XIIII. dies ab hac non maneat.

II. Quod galêam bene provideat cum expertis marinariis, qui sciant (B) artem navigandi in omnem ventum; et ut sufficientem armaturam in navi habeat pro galêae defensione a piratis aut hostium, si opus fuerit, invasione.

III. Quod patronus caveat, ne portus inconsuetos et alienos visitet eundo per mare: sed ad illos duntaxat applicet in quibus galêa provisio consueta est fieri, et quantum potest, vitet applicationem ad portus, sed procedat via sua: praecipue volumus, quod a regno Cypri caveat, ne ibi vel applicet, aut si applicare oportuerit, quod ultra triduum non in portu moretur, cum ex antiquorum traditione habeamus, aërem insulae Cypri Theutonicis esse pestiferum. Si tamen aliqui de nobis vellent visitare, et se praesentare reginae Cypri in Nychosia et ab ea societatis insignia accipere, debet patronus illos exspectare, juxta quod antiquus mos nobilium habet, dum adhuc regnum regem habuit.

IV. Quod Patronus singulis diebus peregrinis bis ad comedendum et bibendum det sine defectu. Quod si ex qualibet causa aliquis nostrum ad mensam Patroni manere, vel vespere venire noluerit, vel si omnes simul remanere in loco nostro nihilominus voluerimus, ipse patronus solitum cibum et potum transmittere teneatur absque omni contradictione.

V. Quod Patronus peregrinis ex Venetiis usque ad terram sanctam et inde usque Venetias de bonis panibus et paximatibus, de bono vino et dulci recenti aqua, carnibus et ovis, aliisque hujusmodi esculentis competenter providere teneatur.

VI. Quod semper mane ante cibum malfasetum infundat, cuilibet unum bykierum, parvum vitrum, prout consuetum est in navibus fieri.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

VII. Si peregrini propter aliquam rationabilem causam, utpote propter aquam afferendam, aut medicinam, aut alia necessaria, peterent emitti ad aliquem portum propinquum, in quem galêam non vult induci, teneatur nobis scapham et scaphalerum dare ad transfretandum in portum.

VIII. Si patronus ad aliquem portum sterilem applicuerit, in quo peregrini sua necessaria invenire non possent, teneatur ipse eis dare ac si extra portum essent: secus si in portum bonum declinaverit, tunc omnes sibi ipsis tenentur providere.

IX. Debet patronus tutari peregrinos, tam in galêa quam extra, ne in galêa galeotae eos invadant, aut viliter tractent, aut de locis suis, si peregrini cum eis sedere voluerint, repellant; et extra in terra ne molestentur, obsistere debet, quantum potest, et in cumbis eorum nullum impedimentum ponat.

X. Quod patronus in terra sancta peregrinos permittat ad debitum tempus, nec nimis cum eis festinet, eosque ad loca consueta ducat et personaliter cum eis vadat. Et praecipue volumus, ut sine contradictione eos ad Jordanem ducat, in quo semper difficultatem peregrini patiuntur, et quod eos ab infidelium vexationibus eripiat.

XI. Quod patronus omnia vectigalia, omnemque pecuniam pro salvo conductu exponendam, et pro asinis et aliis exactionibus, quibuscunque nominibus (**35 A**) censeantur aut ubicunque exponere oportebit, ipse solus pro peregrinis totum solvere absque eorum sumptu teneatur, et curtusias magnas; de parvis metpsi per nos providebimus.

XII. Quod peregrinus ipsi patrono pro hujusmodi omnibus, per eum, ut praefertur, faciendis vel exponendis, quadraginta ducatos de Zecha dictos, id est, noviter monetatos dare teneatur. Ita tamen, quod illius summae dimidiam partem in Venetiis exsolvat, reliquam vero in Joppe.

XIII. Si aliquem de peregrinis mori contigerit, patronus de derelectis ejus bonis nullo modo se impediat, sed apud eum vel eos, cui vel quibus ejusmodi decedens bona sua legaverit, omnino relinquat intacta.

XIV. Si aliquis ex peregrinis ipsis antequam terrae sanctae applicarent, moreretur, patronus ipse dimidiam partem datae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sibi prius pecuniae restituere teneretur: de qua ejus testamentarii ordinabunt juxta commissa.

XV. Si peregrinus aliquis in galêa moreretur, quod non statim corpus ejus in mare mitti jubeat, sed extra ad terram duci et sepeliri faciat, in aliquo coemeterio. Si vero remotius a terra fuerit galêa, quod tam diu defuncti corpus in galêa sustineatur, quousque vel ad portum aliquem venerit, vel sociis defuncti placuerit mitti corpus in mare.

XVI. Si aliqui ex peregrinis ad St. Katharinam vellent proficisci, in mortem Synai, patronus cuilibet tali id petenti X. ducatos de data prius pecunia reddere teneatur in Jerusalem.

XVII. Quod patronus antequam cum peregrinis recedat de Jerusalem, fideliter adjuvet illos peregrinos, qui ituri sunt ad St. Katharinam, et inter eos et Trutzellmanum pacificam conventionem faciat.

XVIII. Quod patronus peregrinis aptum in galêa assignet locellum pro pullis sive gallinis, et quod sui coci permittant cocum peregrinorum pariter cum eodem igne parare peregrinis, sicut eis placet.

XIX. Si aliquem peregrinum in galêa adeo graviter infirmari contigerit, ita quod in foetoribus carinae manere non posset, vel alii peregrini eam sustinere nollent, teneatur patronus tali superius aliquem assignare locum ad manendum, vel in castello, vel in puppi, vel in aliquo transtro.

XX. Quod si aliquid in hac conventionis formula neglectum aut sufficienter non esset expressum et provisum, quod tamen jure vel consuetudine ipsi patrono congrueret faciendum: id pro expresso in hac formula praesenteque tenore pro inserto debet haberi.

His articulis ita compositis et conscriptis advocavimus dominum Petrum patronum ad nos in hospitium, et articulos conceptos sibi legimus, et si secundum tenorem eorum se vellet ad nos habere, et hoc nobis juramento praestito promittere, cum eo parati essemus conventionem et pactum facere, ut dictum est. (B) Quibus auditis patronus accepit cedulam articulorum, et unum post alium perlegit attente. Ad primum articulum dixit: quod quantum ad primam clausulam eum velle accipere, et nos ad Joppen ducere et

reducere; sed quantum secundam partem non posset eum acceptare, et allegavit multas rationes propter quas in mense Majo non potest esse navigatio. Et ideo in XIV diebus non posset nos educere, nec in XXVI. diebus; sed transactis XXVI. omni hora vellet habito vento proficisci. Ad XII. articulum etiam dixit, quod non minus, quam XLV. ducatos vellet de quolibet peregrino habere; allegans rationes multas. Ad. XV. dixit: quod mortuum libenter vellet in galêa sustinere, sed mare non posset eum pati, et navigatio nostra impediretur. Sed quid veritatis hoc habeat, vide fol. 198. B. De aliis articulis omnibus stetit contentus. Et tandem cum eo conventionem fecimus per longam interlocutionem. Conventione facta duxit nos omnes ad St. Marcum in Ducis palatium, et apud protonotarios civitatis nos statuit. Qui audientes causam nostrae praesentationis, singulorum nomina, status et conditiones inscripserunt in quendam grandem librum, cui et prius inscriptus etiam fueram in prima mea peregrinatione: et ita ratificatus fuit contractus et conventio nostra. Quo facto cum patrono in galêam navigavimus, et ad latus sinistrum eligimus locum pro XII. personis, quem locum patronus distinxit in XII. cumbas vel stantias, ad quas cum creta scripsit singulorum nomina, ne quis illa loca occuparet. Tetigit autem me sors bona, et meliorem cumbam vel stantiam habui, quam aliquis de nostra societate. Est autem cumba vel stantia locus pro uno homine in longum extenso a capite usque ad pedes sibi assignatus ad dormiendum, sedendum, manendum, sive sit sanus, sive infirmus. Itaque his sic compositis, in hospitium nostrum navigio reversi sumus. De omnibus autem eramus bene contenti, dempto illo, quod tam longum tempus et multos dies adhuc nos Venetiis manere oportuit, quod erat nobis valde grave.

Finit tractatus primus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tractatus secundus

Continens Acta Peregrinorum Terrae Sanctae per mensem Majum.

Majus delectabilis et laetus mensis sub primo die sanctos Philippum et Jacobum Apostolos colendos nobis exhibuit cum devota celebritate. Summo ergo mane, cum Domini et alii nostri socii surrexissent, seque ad visitandum ecclesiam et audiendam Missam praepararent, interrogabant me, in qua ecclesia Officium divinum vellemus hoc die audire? Quibus respondi: ecce Domini in via Dei constituti sumus peregrini, (36A), nec decet peregrinum otiosum stare. Oportet autem nos in hac urbe adhuc per illum integrum mensem manere. Et quia circumdati aquis sumus, ita ut non pateat nobis pro nostro solatio et pro deductione temporis exitus ad floridos hortos aut ad amoenas campos, aut ad umbrosas silvas, aut ad viridia prata, aut ad voluptuosa viridaria arborum, florum, rosarum et liliorum, nec venationibus vacare possumus, nec hastiludiis aut choreis interesse decet; idcirco meum consilium est, ut omni die, quamdiu hic consistimus, peregrinemur ad aliquam ecclesiam et visitemus corpora et sanctorum reliquias, quarum est magna multitudo in hac urbe, et sic per Majum illum carpamus flores, rosas et lilia virtutum, gratiarum et indulgentiarum. Hoc audito placuit omnibus consilium meum, et communi decreto decrevinus, quod singulis diebus, ad aliquam ecclesiam specialem navigare aut ambulare vellemus; et si non omnes semper simul, tamen aliqui de nostra societate id facerent, qui postea visa remanentibus referrent. Illo ergo primo die Maii barcam conduximus et ad ecclesiam sanctorum Apostolorum Philippi et Jacobi navigavimus, ibique divinis Officiis interfuimus. Post Officium ad altare accessimus et caput sacrum St. Philippi, quod ibi habetur, deosculati sumus, et venerandum St. Jacobi brachium. Erat autem magna hominum compressio, propter sacras reliquias videndas et deosculandas. Porro Officio terminato defluxit populus, nos vero mansimus quousque sine populi pressura melius reliquias videre et nostris jocalibus, quae nominantur clenodia, ea

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

contingere possemus. Nam terrae sanctae peregrini solent secum ad loca sancta deferre annulos aureos, vel argenteos dilectos, et grana lapidum pretiosorum pro paternostris, *) patriloquiis, vel ipsa paternostra, cruces parvas de argento vel auro, et quaeque chara portabilia, quae vel de parentibus suis et amicis accipiunt, vel Venetiis aut in transmarinis partibus pro sibi charis emunt, et quando ad aliquas reliquias veniunt, vel ad aliquem locum sanctum, tunc illa clenodia ad reliquias applicant vel ad locum sanctum et ea contingunt, ut quandam sanctitatem quodammodo ex contactu accipiant; et ita suis charis chariora et pretiosora reddantur. Ego enim fui minimus, et pauperior in nostra societate, et tamen multa preciosa clenodia habui, quae mihi collata fuerant ab amicis et fautoribus et fautricibus meis, ut reliquias, ad quas venirem et loca sancta cum eis contingerem, et eis pro munere reportarem. Inter alia magnificus vir, Dominus Johannes Echinger, pro tunc Magister-civium Ulmensis, contulit mihi annulum suum charissimum, quem Pater suus Jacobus Echinger in extremis agens de pollice traxit, et filio tradidit, sicut et ipse a suo patre acceperat: credo quod charior sibi fuerit, quam C. ducati, et nunc charior quam CC. Sic ergo post populi recessum accessimus, et modo dicto reliquias sanctorum Apostolorum contingimus. Hoc autem fuit Officium meum (**B**), quod circa reliquias vel loca sancta accepi omnium peregrinorum saecularium clenodia, et manu mea adhibui ad contactum et ita singula singulis reddidi. Plures autem nobiles semper penes me dereliquerant. Et ita fecimus per omnia loca sancta et reliquias totius peregrinationis, incipientes in Tridentino a puero Symone. Itaque istis peractis in hospitium navigavimus ad prandium.

Secunda die Maii transivimus mane ad S. Marcum, et ibi Missis interfuimus in ecclesia magna S. Marci. De ecclesia autem Missis finitis palatium Ducis Venetorum ingressi sumus,

---

*) Signa granorum, quibus fideles numerum orationum suarum numerant, quae dicuntur vulgariter paternoster latine dicuntur patriloquia, neutro genere, hoc patriloquium; sic enim nominat signa illa venerabilis dominus Johannes de Lamshaym Canonicus Regularis in Hirsgarten prope Wormatiam, in libello de Fraternitate Rosarii B. Mariae virginis, quem edidit, Cap. 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

adituri ipsum Ducem cum literis, quas illustrissimus Archidux Austriae Sigismundus tradiderat Dominis meis sibi praesentandas, ut patet supra, fol. 26. sub die 17. Ascendimus ergo de curia palatii per lapideos gradus ad ambitum palatii, et ante Praetorium stantes intromitti ad Senatum et audientiam postulavimus. Statim autem intromissi sumus in locum Consulum, et ante Ducem et Senatores constituti. Dominus ergo Johannes de Cymbern Baro, manu elevans Archiducis Austriae literas, et disciplina curialissima accessit in medium, et ad Ducem Venetorum accessit, eique eos curiali reverentia tradidit et retro gradu descendit. Dux vero respiciens sigillum cum cognovisset, deosculatus est sigillum ipsum, eumque assessoribus deosculandum praebuit. Et fecit legi literam in omnium audientia. Qua audita surrexit Dux, et per interpretem obtulit se ad omnia beneplacita Dominorum peregrinorum, et vocatis ad se singulis, eis manum praebuit, et ad se trahens osculum modo italico dedit. Hoc facto petierunt Domini peregrini promotoriales literas ad Capitaneum maris generalem, et ad insularum praefectos, ut, si necessitas exigeret, invocare praedictos possent. Et statim impetraverunt, et literis confectis nobis traditae fuerunt.

Tertia die, quae est festum Inventionis S. Crucis, navigavimus ad ecclesiam S. Crucis, et officio ibi audito corpus S. Athanasii ibi conquiescentis vidimus, et deosculati sumus: et modo pridie dicto clenodia nostra ad contactum ejus adhibuimus. Hic Sanctus, pugil fidei fortissimus, contra haereticos symbolum: Quicunque vult salvus esse, confecit. Et demum in hospitium remeavimus. Post prandium ad Conventum majorem fratrum Minorum transivimus, et locum qui est sollemnissimus vidimus. Porro in quadam capella ecclesiae stabat quidam equus, mirabili artificio compaginatus. Veneti enim gentilium mores imitantes cuidam Capitaneo eorum, qui pro republica fortiter egerat, eamque sua virtute plurimum auxerat, intendebant in recompensam memoriale perenne statuere, et equum cum sessore aere fusum ad aliquem publicum urbis vicum aut plateam locare. Et ut hoc magnificentius fieret, quaesierunt in omnibus finibus eorum artifices sculptores, injungentes eis, ut quilibet equum faceret ex

quacunque materia vellet, et ipsi de tribus equis melioris formae equum (37A) eligere vellent, et secundum eum aeneum equum fieri oportere: illum vero artificem, qui formaliorem equum fecisset, ultra precium statutum muneribus honorare intenderunt. Convenientes autem tres sculptores Venetias, unus fecit equum ex ligno cooperiens corio nigro, qui stabat in capella praefata: et ita vivax erat hoc simulachrum, quod, nisi magnitudo insolita et immobilitas equum illum arte factum proderet, ipsum esse naturalem homo vivens aestimaret. Alius artifex equum finxit ex luto, et in fornace decoxit subtilissimae formae, ruffum colore. Tertius ex cera compegit equum album elegantissime formatum. Et hunc Veneti elegerunt, tanquam magis artificialem, magistrumque remuneraverunt. Quid autem de equo fundendo aere fiet, non audivi: forte etiam dimittent; viso ergo illo Conventu et his quae dicta sunt reversi sumus in locum nostrum.

Quarta die, quae erat dominica Vocem jucunditatis et festum Beatissimae Virginis S. Katharinae de Senis, de poenitentia S. Dominici transivimus ad S. Johannem et Paulum, et ibi processioni solemni et Officio divino affuimus. Et erat tota ecclesia plena hominibus et multae Beginae eiusdem habitus erant ibi. Porro infra Officium transivi ad ambitum fratrum, et reperi ibi transeuntem fratrem Ordinis mei, ferentem insignia peregrinorum terrae sanctae, de provincia Franciae, et de conventu Insulensi, qui etiam navigare nobiscum intendebat; cum illo ergo contraxi notitiam, et foedus simul inivimus pro nostra consolatione. Veruntamen in meam galêam non venit, sed in aliam: saepe tamen in Jerusalem ipse mihi, et ego sibi, in consolationem venit. Post prandium ego solus navigavi ad S. Dominicum, ut viderem Patres et ostenderunt mihi manum unam integram Beatissimae Virginis Katharinae de Senis, valde delicatam et grossam, cum carnibus et ossibus, quam et aliquotiens deosculatus fui. In eodem Conventu etiam reperi quendam fratrem Ordinis de Neapoli insignia peregrinorum sancti sepulchri ferentem: cum quo etiam societatem feci. Sed nec ipse in meam galêam fuit receptus. Post ad hospitium navigio reversus sum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quinta die ad insulam S. Helenae Imperatricis navigavimus, et Missam ibi legi Dominis. Post Missam patefecerunt nobis monachi tumbum S. Helenae, et corpus ejus integrum vidimus cum aliis multis reliquiis, et deosculatis ac clenodiis contactis reliquiis in domum nostram reversi sumus. Post prandium in galêam conductam navigavimus, et reperimus, quod patronus ad partem inferiorem cumbarum nostrarum fieri fecit asseres, ut quosdam in eis collocaret ad pedes nostros, ubi debebant poni calceamenta et urinalia nostra. Diximus autem custodibus galêae, ut patrono dicerent, quod nisi in crastinum illos asseres deponeret, pactum factum irritare vellemus, quia esset contra articulum nonum. Ex hoc facta est dissensio inter peregrinos et patronum. Oportebat tamen eum opus factum destruere, si volebat nos secum retinere. Et ita dispositis cumbis ad hospitium reversi sumus. (B)

Sexta die navigavimus ad Sanctam Luciam, et ibi Officio audito corpus ejusdem virginis, quod ibi honorifice in tumba reconditum habetur, vidimus, et deosculati sumus, et reversi sumus ad locum nostrum. Eodem die ad forum transivimus, et omnia necessaria ad galêam pro navigatione eminus, culcitras, lectulos, cervicalia, linteamina, coopertoria, mattas, amphoras, et caetera pro singulorum cumba. Ego culcitram pro me jussi emere repletam pilis vaccarum, et stratos laneos de Ulma mecum tuleram, ut sic dormirem in galêa, sicut in cella. Indignum enim judicavi molliori stratu uti in navi, quam in cella.

Septima die, quae est festum translationis S. Petri martyris, navigavimus extra Venetias in Murianam, et Officium ad Praedicatores in ecclesia S. Petri martyris audivimus. Et viso ibi Conventu et fratribus navigavimus ad ecclesiam parochialem, ubi plebanus ostendit nobis in tumba una multa corpora integra de Sanctis Innocentibus, quibus deosculatis transivimus ad fornaces vitriatorum, in quibus arte subtilissima instrumenta vitrea multiformia fiunt; in toto namque mundo non sunt tales vitrorum artifices sicut ibi. Faciunt enim ibi vasa pretiosa crystallina, et alia mira ibi videntur. Quibus, visis navigio Venetias reversi sumus in nostrum hospitium.

Octava die, quae erat festum Ascensionis Domini, ascendimus ad ecclesiam S. Marci, tam ad Officia divina, quam ad solemnia spectacula cernenda. Innumerabilis enim populus illo die ibi confluit. Omnibus enim congregatis Patriarcha cum suo Clero et omnibus Conventibus religiosorum, et Dux cum suo Senatu et omnibus Societatibus Scabinorum, singuli in suis ordinibus et ornatibus, cum vexillis, luminaribus, reliquiariis, crucibus, de ecclesia S. Marci procedunt ad mare, ibique praeparatas naves ingrediuntur: et Patriarcha eum Duce, et Senatu Buzatorium (latine Bucefalum ab equo Alexandri magni sic nominatum) ascendunt: quae est grandis navis in modum tabernaculi depicta, et auro tecta et sericis sagis operta, et haec omnia fiunt cum ingenti apparatu, cum campanarum omnium sono, et clangore tubarum, et cantu diverso Clericorum. Et dum Buzatorium remis, qui sunt ultra trecenti, a terra trahitur, ultra quinque millia navium eum concomitantur. Navigant autem usque ad castella, ubi est portus venetus, et dum extra portum ad mare venerint universae naves, Patriarcha ipsum mare benedicit, sicut est mos in multis partibus illo die aquas benedicere. Benedictione peracta, Dux annulum aureum digito suo detrahens ipsum annulum in mare projicit, quasi desponsans mare Venetis. Post annulum multi se denudant, et feruntur in profundum quaerentes annulum.(38A) Et ille, qui eum invenit, sibi retinet, et cum hoc per totum annum liber in civitate manet ab omnibus oneribus, quibus pro republica ibi habitantes gravantur. Et dum haec aguntur, circumstant universae naves in magna pressura, et est tantus sonitus bombardarum, quas emittunt, tubarum, tympanorum, et clamantium ac cantantium, quod mare videtur moveri. His spectaculis etiam affuimus in propria conducta barca; peracta illa benedictione et desponsatione maris convertunt Buzatorium ad monasterium S. Nicolai alyu et ibi petito litore exeunt omnes de omnibus navibus et ingrediuntur ecclesiam, quam vix centesima pars populi ingredi valet, quamvis magna sit, et tamen in illa multitudine non est mulier aliqua, sed totum negotium hoc per viros agitur. Dum autem Patriarcha pontificalibus ornatus et Dux cum suis contra ecclesiam properant, Abbas monasterii, infula decoratus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et sui monachi sacris induti obviam multitudini veniunt, ipsumque Patriarcham ac Ducem suscipiunt, et in chorum ducunt, et ibi Officium dici incipiunt, et cum multa sollemnitate peragunt. Quo peracto ad naves redeunt et navigant omnes, unusquisque ad locum suum ad prandium. Talibus spectaculis aliquotiens interfui alias etc. de quibus vide fol. 210. P. 2. Porro per totas octavas Ascensionis sunt festa nundinarum et mira videntur in istis octavis.

Nona die transivimus ad monasterium dictum a cruschechirii et Missa ibi audita ostensum fuit nobis corpus S. Barbarae cum pluribus aliis reliquiis, quibus venerabiliter deosculatis reversi sumus in nostrum hospitium. Eodem die transivimus simul in quamdam domum, in qua stabat elephas, bestia grandis et horribilis, quam vidimus et mirati fuimus, de tanta disciplina tam immanis bestiae. Faciebat enim nobis videntibus ad nutum magistri sui mira. Hanc bestiam emit homo ille pro quinque millibus ducatis, et a Venetiis duxit eam in Germaniam, et multam pecuniam congregavit: nemo enim permittebatur eam videre, nisi praestito argento. Postea duxit eam usque in Britanniam, et ibi in mari tempestate compellente ejecta fuit per naucleros ad mare, et ita periit. etc.

Decima die, quae sabatum fuit, navigavimus ad ecclesiam, quae dicitur S. Maria de Gratia, et Missam audivimus, et inde navigavimus ad S. Mariam de miraculis, ubi ecclesiam miri decoris aedificant cum monasterio pulcherrimo. Tempore meae primae peregrinationis incepit concursus ad illum locum fieri, nec erat ibi aliqua capella, sed tantum imago beatae Virginis (B) in tabula affixa parieti, et dicebatur quod miracula ibi fierent. Et factus fuit tantus concursus et oblatio, quod ibi nunc est res pretiosa et dicitur ad S. Mariam de miraculis. De quo plus dicam fol. 208. B. parte 2.

Undecima die, quae fuit dominica infra octavas Ascensionis Domini, audita Missa in proxima ecclesia juxta nostrum hospitium et sumpto prandio navigavimus ad ecclesiam dictam de Castello, ubi residet Patriarcha venetus, et sunt ibi omni dominica plenariae indulgentiae; has indulgentias solvimus et locum vidimus. Est enim ecclesia magna et antiqua, et reperimus in ea fratrem ordinis Praedicatorum praedicantem,

quem tamen nos non intelleximus, et sermone finito in domum nostram reversi sumus.

Duodecima die, quae est Nerei, Achillei, et Pangratii martyrum, navigavimus ad ecclesiam S. Zachariae, et Missae ibi interfuimus. Post Missam denuntiavimus Abbatissae monasterii annexi ecclesiae, rogantes: ostendi nobis reliquias. Sunt enim moniales divites et nobiles satis seculares, Ordinis S. Benedicti. Patefecerunt autem nobis unam tumbam, in qua corpora illorum trium martyrum, quorum dies erat, quieverunt, scl. Sanctorum Nerei, Achillei, et Pangratii. In alia argentea tumba vidimus integrum corpus Zachariae, patris Johannis Baptistae, cum aperto ore, et juxta eum corpus beati Georii Nazianzeni, et corpus B. Theodori Confessoris, et corpus S. Sabinae Virginis et martyris. Miratus autem fui de tantis reliquiis illius ecclesiae, et fuit mihi dictum, quod filia cujusdam Imperatoris fuit ibi quondam Abbatissa, qui ob amorem filiae corpora illa ad istum locum transtulit. Reliquiis ergo visis et deosculatis reversi sumus ad locum nostrum.

Tertio decimo post prandium navigavimus ad S. Andream ad Carthusienses, ubi est solemnissimum monasterium magnum; propriam occupans insulam, quatuor habens ambitus et cellas magnas et pulchras. Ibi plures particulares reliquias vidimus, ut digitum S. Andreae Apostoli, et brachium S. Laurentii martyris et caetera. Et deinde remeavimus ad locum nostrum.

Quarto decimo die mane navigavimus ad monasterium S. Georii, ex opposito palatii S. Marci, ultra canale magnum, et Missam de S. Georio cantari fecimus monachos illius monasterii, et post Missam multas reliquias ostenderunt nobis, scilicet caput, sinistrum brachium cum integra manu S. Georii; caput etiam S. Jacobi Apostoli minoris, et corpus integrum S. Pauli Ducis constantinopolitani, et petiam de spongia Domini, et alia plura: istis visis remeavimus. (**39 A**)

Quinta decima die, quae fuit octava Ascensionis Domini, et aeque celebris, ut ipsa prima dies, ascendimus mane ad S. Marcum, et Missa audita demonstratus fuit nobis S. Marci thesaurus inaestimabilis in auro, argentis et lapidibus pretiosissimis. Ibi tumbam cum corpore S. Isidori vidimus. Corpus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vero S. Marci, quod Veneti de Alexandria tulerunt in civitatem suam, non vidimus, quia dicitur, quod quidam Monachus furto illud abstulit, et in Germaniam deportavit ad Owiam majorem, de quibus omnibus latius dicitur in P. 2. f. 206. Deinde de ecclesia transivimus in Ducis palatium, et per quendam de curia Ducis ad omnia penetralia Ducis ducti sumus, etiam usque ad thesauros Ducis, quos vidimus. Illa die est festum mulierum, et videntur ibi foeminarum ostentationes seculares facientes, quod est mirum videre tantam preciositatem.

Sexta decima die, jacentibus adhuc nobis in lectis, audivimus familiam domus lamentantem. Nam hospes noster magister Johannes eadem nocte obierat, et tractabatur de ejus sepultura. Unde quidam, aestimantes eum fuisse pestilenticum, navibus conductis ascenderunt in Paduam, et ibi per aliquot dies manserunt. Cum illis autem, qui remanserunt, ego navigavi in ecclesiam S. Rochii in civitate venetiana, et invocavimus praefatum Sanctum, qui specialis adjutor est timentium pestem, ne inficiantur.

Decima septima die, quae fuit vigilia Pentecostae, navigavimus ad Monasterium S. Johannis Ordinis albi, et ibidem Officio interfuimus et reliquias deosculati sumus. Post prandium vero ad armamentarium, quod nominant Archanale, civitatis transivimus, petentes intromitti. Intromissi autem vidimus ibi mirabilem apparatum bellicum, et reipublicae paramenta ad bella navalia et equestria ac pedestria, de quibus post dicitur Part. 2. f. 205. Post hoc ivimus etiam ad domum pistorum, qui coquunt paximates ad mare, et de tantis fornacibus et ignibus et laboribus expavimus. Et demum ad domum reversi sumus.

Decima octava, quae fuit dies dominica et festum Pentecostes, intravimus mane ecclesiam S. Bartholomaei Apostoli, quae est ecclesia parochialis hospitii nostri; et ibi audivi confessiones quorundam peregrinorum, et de licentia plebani ejusdem ecclesiae eosdem sacro Eucharistiae sacramento communicavi, et mansimus per totum Officium in parochia. Post prandium vero navigavimus ad ecclesiam Sancti Spiritus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad quem erat multus concursus pro indulgentiis et processio sollemnis fraternitatum, quas Scolas nominant. (B)

Decima nona die navigavimus ad ecclesiam, quam nominant ad S. Mariam de Misericordia, quae est pulcherrima, ditior et antiquior ecclesia in urbe, ibique Officio divino interfuimus, et ornatum in picturis et sculpturis mirati sumus. In reditu ad hospitium venimus ad multas alias ecclesias, in quibus indulgentias accepimus, quarum ecclesiarum nomina taeduit me scribere.

Vicesima die, facto mane, antequam sol incalesceret transivimus in ecclesiam S. Mariae formosae: et certe ipsa ecclesia formosa est et magna: ibi ergo Missis auditis ingressi sumus in hospitium. Nec die illo exire domum praesumsimus propter excessivos calores. Tantus enim erat calor, quantus praeterito tempore non est visus Venetiis. Qua arefactae sunt cisternae, et facta est aquarum dulcium magna caristia; nec habebatur ibi potabilis aqua, nisi quae de fluvio Brenta adducebatur in navibus, et illa care vendebatur, et cisternis circumfundebatur, ut per terram coleretur et in cisternas destillaret.

Vicesima prima die navigavimus ad S. Antonium prope S. Dominicum, et ibi divino Officio interfuimus. Post Officium circuivimus et structuras magnas, quas ibi Domini Veneti faciunt fieri, perspeximus, et tantas expensas mirati sumus, quia de mari et aquis muros ingentes erigunt, et est multum pretiosum ibi nova fundamenta jacere. Ratione illius aedificii Dux Venetiarum fratribus nostris ad S. Dominicum erat illo tempore multum offensus et alii senatores, quia postulabant a fratribus spatium dimidii horti Conventus nostri pro monasterio S. Antonii ampliando: sed fratres nolebant consentire et forti fronte Duci et Senatui se opposuerunt, propter quod in magna indignatione steterunt; ut tamen fratres flectere possent ad consensum, obtulerunt fratribus contra orientem spatium in mari quantumcunque vellent, possent accipere, et de sumptibus civitatis vellent fundamenta jacere: sed Prior tunc temporis, homo imperterritus, nullo modo consentire volebat. Porro Domini Veneti locum illum ita sollemniter aedificant cum honestis habitationibus, et multis cameris, ut peregrini

Jerosolymitani ibi hospitentur. Inhonestum enim judicant, quod peregrini tam sanctae peregrinationis habitent in publicis hospitiis et quod in tanta civitate non habeant proprium locum nisi loca publica. Nam apud eos hospitia publica sunt inhonesta, ideo quando ad eos veniunt magnates, assignant eis proprias domus, ne in hospitiis maneant. Suas etiam popinas, quas hospitibus magnis de communitate offerunt, invitissime ad hospitia publica mittunt, et si mittunt, exiguas et minus honestas mittunt. Dictum enim fuit Dominis meis, quando fuit de civitate popinatum, quod si essent in alio loco, quam in hospitio publico, Domini Veneti saepius popinas mitterent, (**40A**) et liberalius agerent. Et idcirco locum illum aedificant sumptuose, ut honorabiles peregrini ibi habitent et honorentur ab eis. Inde de S. Antonio navigavimus in galêam nostram, quae de S. Marco fuerat prope S. Antonium educta, et invenimus in ea multos laboratores, navem cum transtis et remis et malis et aliis requisitis coaptantes, et arenam inducentes. Quod ut vidimus, gavisi sumus sperantes nos citius recesursos.

Vicesima secunda die navigavimus ad ecclesiam, quae dicitur ad Apostolos, ibique divina audivimus. Post Missam ostenderunt nobis corpus S. Mariae Virginis, de qua in Vitis Patrum clara habetur mentio: in prima parte (p. 49. b.) Post prandium iterum in galêam navigavimus educentes in eam aliquas capsas et cistas ad cumbas nostras. Navigavimus etiam ad locum maximarum navium, in quas ingressi, vidimus digna admiratione, quomodo aqua tam gravissima pondera possit portare et tam ingentes structuras.

Vicesima tertia die navigavimus ad ecclesiam S. Jeremiae, et post Missam corpus S. Magni Episcopi fuit nobis ostensum, qui fuit primus antistes civitatis venetianae. Et inde ad monasterium S. Mariae, quod dicitur Virginum, venimus et multas sanctorum reliquias ibi vidimus, et alias capellas illo die multas lustravimus, quarum nomina transeo.

Vicesima quarta die, quae est translatio B. Dominici, navigavimus ad S. Dominicum ad fratres Praedicatores, et ibi divino Officio interfuimus, et inde transivimus ad S. Annam prope; ibi etiam multae reliquiae sunt nobis ostensae. In reditu navigavimus ad S. Mariam de vinea, ubi fratres minores de observantia

habent pulcherrimum conventum, eumque indies pretiosiorem faciunt. Ibi gloriosa Virgine salutata reversi sumus ad locum nostrum.

Vicesima quinta die, quae fuit dominica et festum beatissimae Trinitatis, mane surgentes transfretavimus canale magnum ad ecclesiam S. Trinitatis, ubi est domus Dominorum Theutonicorum, et ibi processioni et divinis Officiis interfuimus et invitati cum illis Dominis pransi fuimus. Maximus autem concursus est illo die ad locum illum; et per totum diem est canale repletum navibus venientium et recedentium. Cum autem ad hospitium reversi essemus, audivimus, quod Domini Consules Venetorum mandassent (B) ambobus patronis, ut cum peregrinis in illa septimana recederent nec ultra manerent. Quo audito laetati sumus, quia taedium magnum incepimus habere Venetiis.

Vicesima sexta die transivimus ad S. Stephanum, ubi est Conventus Augustinensium, et ibi audivimus Missas. Post Officium ostenderunt nobis fratres quosdam lapides, cum quibus credunt fuisse S. Stephanum lapidatum in Ierusalem. Eodem die mandavit patronus, ut omnes cistas et reservacula ducere faceremus in galêam, quod et fecimus celeriter cum magno gaudio, quia recessum nostrum desideranter exspectavimus.

Vicesima septima die navigavimus ad S. Cartianum, ubi est quaedam ecclesia parochialis, in qua Missam audivimus. Post Officium ostenderunt nobis clerici corpus S. Maxim. Episcopi; quod in argentea teca honorifice est locatum. Transivimus etiam ad unam ecclesiam, in qua corpus S. Sabbi Abbatis requiescit. Et istis reliquiis deosculatis reversi sumus in hospitium. Eodem die occupati multum fuimus cum nostra expeditione facienda in galêam, et videbatur nobis, quod vix sufficerent nobis dies residui, quos adhuc Venetiis mansuri fuimus pro nostra expeditione.

Vicesima octava die mane navigavimus ad S. Mariam Carmeli, ubi fratres Carmelitae Conventum habent, et Missa audita celerius in hospitium reversi sumus. Disposuerant enim Domini peregrini medicum, qui pransurus erat nobiscum. Ab illo physico receperunt regimina in scriptis per mare, quilibet

secundum conditionem suam, et dedit eis recepta de apothecis, et multi receperunt purgationes, sicut necesse est mare ingredientibus prius purgari.

Vicesima nona die, quae fuit festum sanctissimi Corporis Christi, ad S. Marcum ascendimus et processioni solemni affuimus. Nunquam vidimus tantas solemnitates illo die, sicut ibi. Mirifica enim erat haec processio multitudine maxima religiosorum omnium Ordinum et sacerdotum, qui sacris induti vestibus cum reliquiaris pretiosissimis et variis procedebant ordinate per circuitum plateae S. Marci, quae cooperta erat sagis lineis per totum longum circulum, per quem processio de ostio uno ecclesiae S. Marci usque ad aliud ibat. Patriarcha vero Eucharistiae sacramentum portabat, ad cujus latus Dux ibat in sua pretiosissima ducali mitrella; et Abbates infulati cum toto (**41 A**) senatu Venetorum sequebantur. Delectabile valde est, praeter ecclesiasticum ornatum, qui excellens est, videre maturitatem dominorum de Senatu, et honestissimum eorum vestitum: hos sequebantur fraternitates multae et deinde communis vulgus. Religiosi vero et canonici et clerici praecedebant cum cantu et omni genere musicorum cum ludis et spectaculis diversis. Ibi nullum collegium, nullum monasterium, nullo fraternitas comparuit absque aliquo singulari spectaculo, quo omnes mirarentur, et delectarentur. Fratres Praedicatores de S. Johanne et Paulo suo decore et jocundis spectaculis totam processionem venustabant: ibi vidimus tantum aurum, tantum argentum, lapides pretiosos, vestes pretiosas, quod non potest aestimari. Nihil est ibi quam multitudinis confusibilis compressio, cursus et importunitas. Post prandium navigavimus ad monasterium, quod dicitur ad corpus Christi, et sunt ibi moniales nobiles et ditiores civitatis Ordinis Praedicatorum: et paene tota civitas post prandium illa hora ad ecclesiam illam navigio venit, et fit magna navium compressio et congregatio ad videndam processionem. Veniunt enim fratres Praedicatores de tribus Conventibus: de S. Johanne et Paulo; de S. Dominico et de S. Petro martyre, et faciunt ibi preciosam processionem cum corpore Domini, per longum spatium, super canalem magnum cum multis spectaculis. Inter ista divina solemnia quantae ibi videantur vanitates, et mulierum intemperata

ornamenta et secularium rerum dissolutiones, et religiosorum ac clericorum evagationes, perpendat ille, qui tantae multitudinis confluxum considerat. Si sanctissimo et divinissimo sacramento honor acceptus est tam saeculariter exhibitus, Deus, qui omnia novit, scit. Istis ergo finitis remeavimus in hospitium nostrum ad coenam.

Tricesima die ad ecclesiam S. Danielis navigavimus, et ibi Missam audivimus; post Missam ostenderunt nobis corpus integrum cujusdam S. Johannis martyris; illas ergo reliquias deosculati sumus et in domum reversi. Eodem die, facto prandio, multi peregrini colligatis sacculis suis navigaverunt in galêam, nec amplius in civitatem redierunt manentes in navi usque ad omnium exitum.

Tricesima prima die, quae est ultima Maii, mane surreximum et ad sanctum Salvatorem, ubi sunt Canonici regulares de observantia, Missis interfuimus. Postea barcam conduximus, et duci nos fecimus ad ecclesias, quarum patroni singulariter peregrinari volentibus necessarii sunt: quia jam recessus noster instabat et sanctos invocare volebamus pro adjutorio. Primo ergo navigavimus in ecclesiam S. Raphaëlis Archangeli, rogantes ibi deum, ut S. illum Archangelum nobis mittat inductorem sicut Tobiae. Deinde navigavimus ad S. Michaelem Archangelum, deprecantes (B) eum nobis ad conterendum omne nocivum, tam visibilium quam invisibilium hostium. Ab inde navigavimus ad S. Christophorum, eumque petivimus fieri nostrum bajulatorem per hoc mare magnum. Est enim inter Venetias et Murianam insula, in qua est ecclesia nova et pulchra S. Christophori cum monasterio Ordinis albi. In illo Monasterio est depicta una mappa mundi valde pulchra. Ab illa insula navigavimus ad ecclesiam S. Marthae hospitae Domini Iesu; et illam rogavimus, ut de honestis et bonis hospitiis nobis provisionem fieri procuraret, aut certe patientiam in defectu hospitii impetraret pro nostro longo itinere. Circa hanc ecclesiam sunt moniales albi habitus. Et his peractis in hospitium reversi sumus. Ecce quomodo ab evagatione etiam in civitate non poteramus nos continere! Posui autem solum honestas et sanctas evagationes, quas in civitate venetiana habuimus. Curiosas vero et minus utiles ignoro, quamvis saepe factae

fuerint. Et hic habet finem evagatio venetiana. Porro illo toto die occupati fuimus disponendo nos ad navis ingressum pro die crastina. Et cum physico, qui nobis medicinas dedit, computavimus, et hospitam nostram dominam Margaretam solvimus, et eas res, quibus per mare usus non est, commendavimus cellario domus, Nicolao Frig, Theutonico, et diem crastinum fieri praestolati sumus.

Sequuntur quaedam neccessaria pro intellectu maritimae Evagationis.

Evagari antequam per mare incipiam, aliqua praemittere judicavi necessaria, ad solvendum dubia multa, quae fieri solent circa maritimam Evagationem. Peregrinatio enim terrae sanctae pro majori parte in mari perficitur, et tempus longius in maritimo itinere transit. Ideo tria praemittere ei statui:

Primum, de mari multiplici et ejus qualitatibus et periculis.

Secundum, de galêa triremi et ejus dispositionibus.

Tertium, de regimine et politia triremium, et avisamentis.

His tribus intellectis potest quietus stare etiam ille, qui nunquam vidit mare.

De triplici mari.

Mare in genere est triplex, scilicet: mare magnum, mare majus, et mare maximum. Mare magnum est mare mediterraneum, quod dicitur mare nostrum; mare majus est mare ponticum; mare maximum est oceanus, quod ambit mundum. De hoc oceano primo videbimus breviter, et postea de aliis. (42 A) Oceanus vel oceanum mare maximum, quod exterius per modum circuli ambit orbem terrarum, eumque amplectitur. Et dicitur tam a Graecis, quam a Latinis oceanum, eo quod ambit orbem; sive a celaritate sua, quia oceanum ocius id est velocius discurrit; sive a coelo derivando nomen a media syllaba Ce, quia hoc mare similitudinem habet cum coelo in colore, et quomodo coelum coloratum videtur, sic et oceanum. Oceanus ille manat ex orbe, et in ipso est radix ejus et principium: finis quoque ejus est apud finem illius. Et est origo

omnium mundi aquarum, a quo defluunt et influunt. Ideo oceanus dicitur hospitium fluminum et fons imbrium: nec tamen augetur influxu, nec minuitur effluxu, quia quantum recipit tantum reddit. Mirum autem hoc videtur, cum tantus numerus fluminum illuc currentium sit fluctusque tam perpetuus cursus, tam fere infinitus, quomodo inde non augeatur oceanus? Nec minus mirum cum multa ex eo procedant subterranea flumina multam quoque partem illius stellarum haustus auferat, quia sol et alia sidera de eo maximam abundantiam aquarum suis intensissimis ignibus hauriunt, et circum omnia sidera fundunt eas, ut ea temperentur, quae de se sunt ignea, nec per siderum copiosissimum haustum et attractionem oceanus minuitur, quia ut dictum est, tantum recipit, quantum per effluxum et haustum perdit. Quomodo autem hoc fiat, soli Deo cognitum est, cujus opus mundus est, et cui soli omnis mundi ratio nota. Hoc mare maxime sequitur lunae cursum, et est ideo vorago, quae totas aquas et naves absorbet et revomit, et hoc in exortu lunae majori aestu fluctus vomit et revomit. Ista autem vorago dicitur abyssus magna, de qua scriptum est Genes. 7. v. 12. rupti sunt omnes fontes abyssi magnae. Juxta hanc sunt cavernosa loca, et speluncae latae et patentes, in quibus venti de spiramine aquarum concipiuntur, et illae cavernae sunt quasi mudinares et spiritus illi in Scriptura nominantur spiritus procellarum. Hi spiramine suo aquas maris per patentes terrarum cavernas introrsus in abyssum attrahunt, et eos iterum exundare magno impetu compellunt. De istis late loquitur Vincent. in Spec. Natur. lib. 6. Habet hoc mare aquas salsas, sicut et alia maria, ut patebit. Porro oceano magnitudo incomparabilis est, et intransmeabilis latitudo, et post eum terra nulla est, sed solum denso aëre nubium mare continetur. Sed et terra subterius est. Secundum ordinem quippe naturae tota terrae superficies aqua deberet esse operta: at vero creator omnium Deus magno suo beneficio voluit pro hominum et bestiarum habitatione partem terrae siccam conservare, quando dixit: congregentur aquae, quae sub coelo sunt in locum unum, et appareat arida. Haec praeeminentia designatur, cum de orbe ipsius dicitur: quia ipse super maria fundavit eum (Psalm. 24. v. 2) ut scilicet operiretur: sed virtute creatoris fluctus

cohiben tur. Unde Psalmus: terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram (Psalm. 104. v. 9.) Et Job. 38. v. 8. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat. Si quis de his clarissimum voluit habere intellectum, legat additiones domini Pauli Burgensis Postillae Lyrae de opere 3. diei; ibi: congregentur aquae, quae sub coelo sunt in locum unum. Ex hoc mari funduntur et effluunt alia maria; mediterraneum, ponticum (B) et mare rubrum sicut rami a stipite.

Mare majus dicitur mare ponticum, non quod de facto majus sit, quam mare nostrum; sed ideo, quia nullis aut paucis insulis intersecatur. Et dicitur ponticum, quia omnis ista aquarum congregatio per alveum concurrit, quo Xerxes ponte navibus facto commeavit: quem fluxum nominant Hellespontum. Vel ponticum dicitur, quasi sine ponte, nec ponte transiri potest. Vel dicitur ponticum a puncto, eo quod rotundum esse dicatur sicut punctus. Vel est ponticum vocatum, eo quod sit brevis. Communiter etiam nominatur mare hoc Pontus Euxinus a moribus accolarum, ut dicit Isidorus, quia secundum Ptolomaeum pessimis pollebant Euxologitae moribus, adeo ut nemo eos molestaret, et aliis ad eos confugisse fuit pro asilo. Sed et fluvius Euxes, monte Caucaso fusus, in eum pontum labitur, eique nomen adfert, vel ipse fluvius a mari trahit nomen suum. Porro a tergo Ponti est Meotus palus latissima, qui in se suscipit Tanaim fluvium, qui scindit ab Europa Asiam, fluitque de Rhiphaeis montibus. Insuper Pontus ille Euxinus est mare dulcius, quam alia maria, ex multitudine fluminum dulcium aquarum. Unde Danubius noster auctus LX. magnis fluminibus per VII. ostia ponto illabitur Euxino.

Mare magnum dicitur mare nostrum et mare mediterraneum, et de illo mari loqui est nobis magis ad propositum. Primo quidem dicitur mare magnum, quia caetera maria et lacus in ejus comparatione sunt minora. Secundo dicitur mare nostrum, quia nobis notum, nobis propinquum, et a nobis usitatum. Tertio vero dicitur mediterraneum, quia ab occidente per mediam terram usque in orientem perfunditur, et principalibus mundi partibus, scilicet Europae, Asiae et Affricae interjacet, ipsas se et suis brachiis ab invicem separans et distinguens. Habet enim ab oriente et septentrione

Europam, ab oriente Asiam, ad austrum Affricam. Unde peregrinus, qui ad S. Katharinum transit, tres illas mundi partes attingit in mari. In Europa enim navigare incipit, et in Creta et Rhodo et Cypro Asiam tangit, dum vero in Alexandriam Aegypti pervenit, in Affrica erit. Nilus enim dividit Asiam ab Affrica, in cujus Affricana parte est Alexandria. Porro mare nostrum continuatur cum duobus praefatis maribus, et sunt eaedem aquae oceani pontici et maris mediterranei. Nam ex oceano ab Hispaniis profunditur, Galliam, Italiam, Siciliam, Cretam et usque in Aegyptum pertransit. Brachium autem illud, quo in Hispania oceano jungitur, vocatur vulgariter strictum de Maroch, et dividit regnum Marochiae, quod est in Affrica, ab Hispania; inter quas regiones effluit mare mediterraneum ex oceano per praefatum brachium, quod in latitudine vix habet quartale miliaris. Stant enim foeminae lotrices in utraque parte, paganae in Maroch, christianae in Hispania, et corixantur, et ibi dividitur Affrica ab Europa. Altero vero ejus brachio, quod Hellespontus dicitur, alias brachium S. Georii, continuantur cum mari pontico, et hoc brachium dividit Europam et Asiam minorem, quae jam Turcia dicitur: quia Turcus totaliter eam cepit. Vulgares tamen nominant hoc brachium Buccam constantinopolitanam, eo quod super ipsum in litore Europae civitas Constantinopolis est situata. Ubi vero hoc brachium derivari incipit a mari mediterraneo super litus Asiae minoris, dicitur fuisse Troja illa antiqua et potens civitas constituta. Veritas tamen certa de hoc non habetur, quod Troja ibi steterit. Ideo recte dicitur mare nostrum mediterraneum, quia et terrae mediae interjacet, et medium inter alia duo maria tenet. Ad ista tria maria omnia flumina nobis nota decurrunt. Danubius noster omnia flumina montium rhaeticorum contra orientem tendens secum ducit in mare (**43 A**) ponticum, quod alias dicitur Euxinus. Rhenus in ipsis rhaeticis montibus oriens contra occidentem tendit, secumque infinita flumina in oceanum pertrahit. Rodanus cum Rheno in origine socius, contra meridiem currens secum reliqua flumina in mare Tyrrhenum pertrahit. Sic Athesis ex alpibus et Padus et Brenta trahentes originem, in mare mediterraneum decurrunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sunt insuper alia maria ex Scriptura nobis satis nota, quae etsi non apparentibus brachiis continuantur cum aliquo praedictorum trium, tamen per gurgites subterraneos creduntur eisdem copulari: ut est in oriente mare caspium, quod quidem singulare est, nec aliquo apparenter sociatur, dicunt tamen, quod occulte sub terra in ponticum mare labatur. Mare etiam Galileae, et mare mortuum dicuntur occulte decurrere in mare rubrum, quod de Oceano profluit, et est lingua oceani, qua Persidem et Arabiam confingit et per eum navigatur ad Indiam, ut dicit Ieronymus in epistola ad Fabiolam. Insuper notandum: quod mare mediterraneum est unum, sortitum diversa nomina, pro diversitate locorum, sicut et terra, cum sit una, habet diversa nomina. Quandoque enim a provinciis nomen accommodat: sic dicitur mare asiaticum, mare syricum, hybericum; quandoque ab insulis, sicut balearicum, siculum, creticum, cyprium; quandoque a promontoriis, sicut maleum et aegaeum, quandoque a gentibus, sicut germanicum, gallicum, italicum, dalmaticum; quandoque ab adjacentibus civitatibus, sicut adriaticum, tyrium, joppicum, alexandrinum, venetianum. Et ideo dum leguntur etiam in Evagatorio diversa maria, non intelligitur nisi unum, habens diversa nomina.

Hoc mare sicut et oceanus et caetera maria ex eo profluentia habent aquas salsas, amaras, insipidas, insanas et penitus ad potandum inhabiles, et tam hominibus quam bestiis abominabiles, magis quam urina. Hujus autem salsedinis causa est occultissima: hoc ex eo patet, quia antiqui philosophi in inquisitione illius causae multum laboraverunt, et in assignatione causarum quodammodo delirasse videntur, sicut et de Nili ortu et ejus incremento propter occultissimam horum [naturam] delirarunt, ut patet P. 2. fol. 119. A. B. per totum. Sic de causa salsedinis maris dicendo ad stultitias prolapsi sunt. Nam vetustissimi Demogorgonistae, ultra sensum ascendere nescientes, fingebant Demogorgonem, quem patrem primum rerum fuisse aestimabant, molem ingentem de monte Acrocerauni ignitam evulsisse, solidatamque ac rotundatam vel globatam mari oceano sexies immersisse, ex quibus immersionibus tota aquae congeries bulire et fervescere cepit: et si non statim globum retraxisset, tota aquarum maxima moles

in salem densata fuisset. Sed quia voluit esse mare, mansit aqua, sed salsa. Insuper Aristoteles 2. Meteor. per longum disputat de causa salsedinis maris: sed praeter ea, quae ipse Aristoteles determinat, quidam dicunt, quod quia terra ignitur a sole, resudat de ea humiditas, quae in ea est, et ita ex isto sudore mare congregatur, et quia sudor salsus est, mare cum sit terrae sudor, salsum est. Ideo illi dicunt, quod mare nihil aliud sit, nisi sudor terrae aeternus. Alii dicunt, quod quia mare torridae zonae terrae superpositum est, ex calore ejus spissatur sicut alia aqua dulcis per calorem in salem transit. Alii dicunt, quod terra quaedam est salsa, cui cum aqua maris admiscetur, salsa fit a terra; sic aqua, quae per cineres colatur, fit salsa. Alii dicunt, quod illa salsedo fit propter calidum vaporem admixtum aquae partibus. Nam et sudor et urina, in quibus agit caliditas, inveniuntur salsa. Alii dicunt, quod solis ardore maris liquor siccatur. Sol enim est torrens cuncta, sorbensque, sicque mari late patenti salsis sapor incoquitur: calore ergo solis et stellarum aqua decocta salsa efficitur, sicque aqua dulcis per decoctionem sal efficitur, et homo, qui vinum dulce et aquam dulcem bibit, salam urinam mingit, quia calor amaritudinem inducit. Alii dicunt, quod sol exhaurit liquorem dulcem et tenuem, quem faciliter vis ignis attrahit et relinquitur omnis asperior crassiorque liquor, unde summa unda maris dulcior est, (B) ima vero amarior. Et lunae quidem alimentum est in dulcibus aquis, solis autem in amaris. Marinae etiam aquae gelantur tardius quam dulces, et accenduntur celerius. Mixta est ergo in mari salsedo dulcedini, quod videri potest in eo: si vas fiat de cera, et ubique obstruitur, ne aqua intrare possit, et mari imponitur, tunc aqua penetrans et distillans per parietes vasis, intus fit dulcis et potabilis, et quasi per colatorium, quod crassum et salsum est, secernitur. Si quis etiam juxta mare in litore foveam fecerit, aqua in eam ex mari percolata per arenam dulcis et potabilis fit. Alii causam salsedinis maris magis theologicam assignant. Sanctius est enim dicere, ipsum mare sic salsum creatum a Deo fuisse, sicut etiam aliorum elementorum unum quodquod propriam habet naturam; ita etiam mari connaturalem esse salsedinem; quod nisi esset

sic sale conditum, putresceret sicut aliae aquae paludales, et quidam foetidi lacus: propter quam causam etiam divina ordinatione continue movetur, ut ex suo motu suae substantiae a corruptionis vitio conservetur, quia ex continuatione motus subtiliatur et motu a corruptione conservatur. Ordinavit hoc idem Dei sapientia, ut naves facilius transportaret, et minus periculum transfretantibus incumberet. Aqua enim salsa multo gravior et spissior dulci, quia dulcis est colata et subtiliata: ideo salsa aptior est ad portandum navigia. Saepe enim naves in aquis dulcibus merguntur, quae in mari mergi non possent, sicut patet ad probam, quia ovum in aqua dulci submergitur, in salsa vero natat. Insuper ipsa maris salsedo deservit plurimum hominum saluti. Si enim mare esset potabile, homines non possent bene salva vita pertransire, quia propter aestum solis sunt navigantes communiter multum sitibundi, et propter labores marinos; et si haberent ad votum aquam dulcem ad potandum, se ipsos interimerent. Ideo utile est et pro vita transfretantium, quod mare salsum est. Crassa enim est aqua maris et abominabilis; ideo quando hauritur, et supra petras effunditur, statim ex solis tactu in sal convertitur. A salsedine illa sibi connaturali sortitur suum nomen, et mare propter amaritudinem dicitur. De hoc mari dicitur Amos. 5. v. 8. Vocat Deus aquas maris et effundit eas super terram: Super quod Jeronymus [Tom. 6. fol. III. B.]: Tunc Deus aquas maris vocat, dum ipsa amarissimas aethereo calore suspendit et excolat et eliquat in dulcem pluviarum saporem. De maris salsedine vide in Spec. Nat. libr. VI. cap. 9. Maris aqua diversas contrahit qualitates, quod sic contingit. Cum enim terra cavernosa sit, aqua labilitate sua eam subintrat, quae per catheractas transiens colatur et extenuatur et ex qualitate terrae diversas contrahit qualitates. Si enim per terram arenosam et lapidosam transit, dulcem inde saporem contrahit, et clara ac dura et frigida existit. Si per salsam, salsum. Si per limosam terram, vapida est aqua. Si per lapides sulphuris et calcis aut aeris fit amara, si per foveas alumine plenas et sulphure percurrit, fervorem et foetorem inde contrahit. Itaque (**44A**) juxta diversa accidentia terrae, diversam suscipit qualitatem. Sicut pro qualitate ventorum immutat colorem.

Nam modo est flavum, modo album, modo nigrum, modo lutulentum, modo atrum, modo clarum, modo turbidum, modo aureum, modo rubeum, et omni modo sicut coelum coloratum apparet, sic et mare. Quamvis tamen utrumque respicienti et comparanti aliter appareat. Vide saepius quod aquae ita nigrae apparebant, sicut incaustum et tamen coelum videbatur splendidum. Ideo aliquando a flatibus ventorum sic vel sic coloratur, aliquando ex firmamenti resplendentia.

De periculis multiplicibus navigantium.

Evagatio per mare multis incommodis subjacet. Ipsum enim mare inconsuetis est maxime nocivum, et diversis rationibus multum periculosum. Est namque timoris incussivum; doloris capitis gravativum; vomitus et nauseae provocativum; appetitus cibi et potus ablativum; corporis humani alterativum; passionum excitativum; et multarum peregrinarum qualitatum allativum; mortalium et extremorum periculorum causativum; et saepe amarissimae mortis inductivum. Et hoc periculum est terribilissimum, quod prudentes maxime timent, stulti vero parum curant. Unde navigante per mare Aristippo, magno philosopho, in tempestate nauseam passus et subversione stomachi et capitis vertigine auxiatus mortem timuit. Garrulus autem quidam redita tranquillitate, et cunctis restitutis sanitati pristinae, dixit philosopho: quid est, quod nos idiotae intrepidi sumus, vos autem philosophi trepidatis? Respondit: quia non de simili anima utriusque studemus. Te enim pro nequissimi nebulonis anima nequaquam decuit esse solicitum: ego vero obnoxius debui de philosophi morte timere. Nam et divites amplius fures timent, quam inopes. Animam plenam virtutibus fero, insidiosissimum furem, latronem atrocissimum, raptorem crudelissimum mare merito timeo. Porro omnia maris pericula jam praetacta nemo melius probare potest, quam expertus, qui non legendo aut audiendo didicit, sed sentiendo et experiendo. Unde Ecclesiastici cap. 43. v. 26. Qui navigant mare, enarrant pericula illius, et audiemus auribus nostris et admirabimur. Haec ille. Generaliter autem transfretantes patiuntur periculum aut ratione maris, aut ratione aëris, aut ratione

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

navis: quamvis specialia pericula sint innumerabilia; quae sunt aut ratione propriae dispositionis, aut ratione malae societatis, aut ratione defectus cibi et potus, aut ratione malorum gubernatorum, aut ratione nimii caloris aut frigoris, aut malae provisionis, et hujusmodi, de quibus non sufficiunt verba ut possint dici. Idcirco de generalibus periculis parum dicam, sed singularia patebunt in processu navigationis, et supra in prima peregrinatione mea aliquantulum patuerunt.

Contingit primo periclitari ratione maris navigantes. Nam si mare fuerit scopulosum, undique saxis et rupibus impeditum, non sine periculo pertransitur, sicut est in Cycladum insulis, et in mari Achaico, et in mari juxta Illyricum, et Dalmatiam: in quibus locis noctibus non potest fieri navigatio propter rupes, cautes et scopulos. Hoc periculum timebant nautae, qui transducebant sanctum Paulum, ut habetur Actorum 27. v. 29. Sed et ego ipse in hoc periculo saepe fui constitutus. Aut si mare fundum habet inaequalem, nunc cumulis arenosis elevatum, nunc vero ad modum voraginis depressum, aut certe profundis vallibus et foveis distortum. In talibus locis male naves transeunt, licet enim mare undique videatur aequale, propter quod mare non nunquam aequor dicitur; tamen quando navis venit ad loca, in quibus fundus inaequalis est, subsistit, et si non est ventus impellens, difficulter potest removeri (B) a loco: hoc experientia didici, ut patet fol. 13. Secundo accidit periculum ratione aëris. Modico enim flatu venti redditur mare inquietum, tempestuosum, procellosum, fervidum et tumultuosum, ab hoc mare fretum saepe nominatur. Nam tempore tempestuoso, nebuloso, pluvioso et obscuro mari se committere est periculosum; potissime quando navis fertur in periculum et ipsum periculum videtur. Ventorum autem nimietas maxime formidatur signanter, quando venti contrarii subito et cum impetu oriuntur; tunc naufragium timetur, et hoc periculum commune est, saepiusque in eo fui. Tertio adducit periculum navis deferentis debilitas et insufficientia: non enim tutum est se committere naviculae nimis parvae sive fragili aut confractae, aut vetustae, quia talis non est secura inter saevientes procellas; quoniam vel propter parvitatem suam fluctibus opprimitur, et subvertitur, aut propter

fragilitatem suam impetu ventorum et aquarum confringitur; aut propter gubernatoris imperientiam tardius ad portum deducitur. Ideo quartum generale periculum addi potest, quod incurritur ex imperientia vel ex pigritia aut negligentia et somnolentia nauclerorum, et hoc similiter expertus sum. Quantum autem sit periculum tempore ventorum, quo aliquis habet de galêa in barcam descendere, vel de barca in galêam ascendere, horribile est videre. Oportet enim tunc facere passum unum aut saltum, et si casu pede non attigerit barcam, aut galêam, in fretum cadet, et sine spe adjutorii periet. Vide de hoc fol. 60. Insuper adhuc aliud extat periculum, quod non expertus excogitare non posset, nec inter pericula in libris de mare scribentium ponitur, et tamen molestissimum est, accidit tamen sine terrore. Dum enim cuncti venti conticescunt, et mare obmutescit, et tranquillitas undique adest; dico pro certo, dempto naufragio, quod talis tranquillitas maris et silentium ventorum molestior navigantibus est, quam quodcunque dictorum periculorum. Quando enim nulli flant venti, et mare sine motu est, et navis fixa subsistit, tunc omnia in navi marceseunt, et putrescunt, et muscida fiunt, aquae foetidae, vinum inutile, carnes etiam desiccatae ad fumum vermiculis plenae, tunc subito generantur infinitae muscae, culices, pulices, pediculi, vermes, mures, et glires, et omnes homines in navi redduntur pigri, somnolenti, caloribus squalidi, passionibus tristitiae, irae, invidiae impatientes et caeteris indispositionibus gravati. Paucos vidi in navibus mori in tempestatibus, multos autem in bonazibus, hoc est in navis dicta quiete, vidi deficere et mori. De his omnibus patebit in processu. Aliis nominibus inveniuntur pericula maris designari, ut dicitur quoddam periculum bythalassum, syrtis, charybdis. Bythalassum, quando duo maria concurrunt, ex quorum concursu navis fluctuans periclitatur. Syrtis locus, ubi cumuli arenae sunt, et ubi mare inaequale est, ita quod in uno loco aqua profunda est, et prope est aqua vadosa, vel ubi mari insunt scopuli occulti, ad quos navis transiens potest impingi. Charybdis secundum fictiones poëtarum fuit quaedam vetula voracissima, quae quia boves Herculis furata fuerat, a Jove fulminata est, et (**45 A**) in mare praecipitata, quae usque

nunc in fundo maris deambulat, ad se naves transeuntes mare deorsum trahere satagit, ut antiquas exerceat rapinas. Quapropter illa loca, in quibus naves absorbentur, et ubi sunt occulti gurgites, sicut est locus in insulis Gozopolis, ut patet fol. 13., dicuntur charybdes, et periculum charybdum dicitur, a Charybde vetula, quam antiqui credebant in talibus locis naves attrahere. Est et aliud periculum, quod quidam Gulf, nominant, quod contingit, quando venti erumpunt de aliquibus montium cavernis adeo importune, quod naves in latus evertuntur. Quoddam aliud periculum nominant Grupp, quod navigantes incurrunt, quando duo venti contra se invicem pugnant, et navis in medio consistens contrariis procellis agitatur. Aliud insuper periculum evenit, quod nominant Troyp, a pisce troys: hic naves sentiens de fundo emergit, et navem rostro rodit et perforat, habet quippe rostrum ad modum terebri, et nisi a navi repellatur eam perforat; non autem a navi avelli potest, nisi per imperterritam inspectionem, ita quod aliquis de navi se inclinet super aquam, et irreverberato aspectu intueatur in oculos piscis, quem piscis vice versa terribiliter inspicit. Si autem inspector trepidat, et retrahere visum incipit, mox bellua consurgit et repente eum attrahit deglutiens sub aquis. Et tantum de maris periculis dictum sufficiat.

De navi, in qua peregrini transfretant, quae Galêa dicitur, qualis et quanta sit.

Varias et diversas habet mare naves: grandes, mediocres et parvas. Primo enim tempore non erant in mari nisi parvae naviculae, usque ad Jasonem, cui Argus grandem fabricatus est navem, in qua cum sociis Argonautis Colchydem navigavit. Deinde Aminocles triremos Corinthiis fabricavit contra Corzyrenses. Porro primum navium inventorem dicunt fuisse Athlantem in Libya et navigasse. De illa tamen navium specie solum loqui intendo, in qua peregrini terrae sanctae solent mare transire, quae galêa dicitur: quod nomen hoc navigii genus etiam in sacris canonibus habet, ut patet de Iudais et Sarracenis. Et est una de mediocribus maris

maris navibus, non de majoribus, nec de minoribus. Haec navis latine dicitur biremis aut triremis. Isidorus tamen decimo nono Etymologicorum nominat eam dormam. Vulgares autem tam Italici quam Theutonici vocant eam galêam. Et hoc nomen illi navigio advenit, quia prora cassis aut galêae formam habet, e regione inspecta, et quasi homo armatus procedit contra fluctus. Est autem galêa navis oblonga, quae remis et velis inpellitur. Similes vel aequales sunt omnes galêae in forma, dissimiles in magnitudine, quia aliquae galeae sunt grandes, quae dicuntur triremes, aliquae sunt parvae et sunt biremes: et adhuc est differentia, quia aliquae sunt galêae praedales et aliquae onerariae: in prima mea peregrinatione transfretavi in biremi; in secunda vero in triremi. Est autem biremis, quae binis et binis remis trahitur; sed triremis, quae trinis et trinis impellitur remis: quia in quolibet scamno habet tres remos et totidem remiges. Galêa autem, in qua secunda vice transfretavi, habuit transtra vel scamna LX. et in quolibet tres remiges cum remis: et si est galêa praedalis habet cum remigibus in eodem transtro unum sagittarium cum arcu. Porro longitudo ejus erat XXXIII cubitorum, accipiendo cubitum, quantum homo potest extensis ambobus brachiis comprehendere, et accipitur illa longitudo mensurando a prora usque ad puppim; latitudo vero erat VII cubitorum, mensurando in medio ejus juxta malum per transversum. Si autem vellemus totam eius latitudinem mensurare, quam habet cum remis ab utraque parte extensis, sic XIII cubitos habet in latum. In altitudine vero, mensurando a sentina usque ad kebam, quae est in summitate mali et in carceria, habuit amplius quam XVIII (B) cubitos. Sunt autem omnes galêae, quam aequalis magnitudinis sunt, ita consimiles in omnibus, quod homo transiens de sua, galêa in aliam vix perpendere possit, se esse in alia, nisi quod alias Officiales in una invenit, quam in alia; et sicut hirundinum nidi aequales sunt, sic galêae venetianae. Et sunt de lignis solidissimis fabricatae, clavis, catenis et ferramentis multis compaginatae Porro prima et anterior pars galeae, quae dicitur prora, est contra mare acuta, et habet rostrum durum formatum ad modum ut caput draconis, aperto ore, ferreum, quo in contravenientem navem impingeret. Ab utraque autem

parte rostri sunt duo foramina, per quae potest homo caput emittere, et per ea emittuntur funes anchorarum et per ea anchorae attrahuntur, nec mare potest per illa foramina intrare, nisi quando sunt ingentes tempestates. Rostrum autem prorae est altum extensum, a quo venter navis reflecti incipit contra mare. Habet etiam prora proprium velum, dictum dalum, quod vulgariter trinketum nominant; et habet subtus unam camerulam, in quam funes et vela trajiciuntur, et in ea dormit prorae praefectus, quia proprios habet officiales, qui nonnisi in ipsa habitant et disponunt ibi agenda, et est locus pauperum et miserorum, quos servi prorae recolligunt. Pendent etiam ab utraque parte prorae anchorae ferreae magnae, suo tempore in mare projiciendae. Puppis alia galêae extremitas posterior, non est acuta contra mare sicut prora, nec habet rostrum sed est lata ab alto deorsum in aquam recurva et multo altior quam prora, habens aedificium altum quod nominant castellum: dependetque ab ea in mari temo sive gubernaculum, supra quod in cancellato tabernaculo residet gubernator clavum manu tenens. Habet autem castellum tria interstitia: supremum, in quo gubernator est et stella maris, et gubernatori intimans maris stellae dispositionem, et inspectores siderum et ventorum, ac maris viarum ostensores; medium, in quo est tabernaculum domini patroni, et nobilium suorum consulum et commensalium; infimum ubi est locus foeminarum nobilium nocturno tempore, et reservatorum thesaurorum domini patroni et hoc habitaculum non habet lumen nisi per foramina superioris pavimenti. Ad utrumque latus puppis dependent scaphae sive barcae: una magna, alia parva, quae in mare mittuntur in portubus, et in eis homines educuntur, et ad latus dextrum sunt gradus, per quos in mare est descensus in barcas, et ascensus: et habet etiam proprium velum, majus quam velum prorae, quod nominant mezavala id est medium velum: latine dicuntur epidromus. In eo etiam semper est vexillum erectum, ad discernendum ventorum varium flatum. Extra habitationem puppis post duo transtra ad latus dextrum est coquina non operta, et sub coquina est cellare, et a latere coquinae est stabulum bestiarum mactandarum, et stant simul oves, caprae, vituli, boves, vaccae et porci; et consequenter

per idem latus sunt transtra cum remis usque ad proram: in sinistro vero latere sunt a puppi usque ad proram transtra remigum, (**46 A**), et in quolibet transtro sunt tres remiges cum sagittario, et inter duo transtra super marginem navis ad utrumque latus pendet in bidente ferreo versabili una bombarda, et utrumque latus habet unum bombardanum, qui necessitate lapides de eis emittunt. In medio navis est malus, arbor alta, magna et fortis, ex multis trabibus composita, sustentans antennam cum accatone vel velo grandi; in summitate mali est tabernaculum quod Theutonici nominant sportam; Italici kebam; Latini carceriam; et juxta malum superius est quaedam latitudo, in qua conveniunt homines ad colloquium, sicut ad forum, et dicitur forum galêae. Porro ipsum velum magnum habet LIIII pannos in latum, quorum quilibet plus facit, quam ulnam. Verum pro diversitate temporum suspenduntur diversa vela, non adeo magna sicut accaton. In tempestatibus apponunt velum quadratum et grossum, quod nominant papafigo. In ista ergo parte superiore habitant officiales galêae est galêotae unusquisque in transtro suo, et ibi dormiunt et comedunt et laborant. Porro inter transtra utriusque lateris est medium satis latum, in quo stant cistae magnae plenae mercimoniis, et super cistas istas est deambulatio a prora usque ad puppim: ibi etiam currunt hortatores tempore remigationis. Juxta malum est foramen magnum per quod 7. gradibus est descensus in carinam, quae est locus peregrinorum, vel onerum in onerariis galêis. Est autem ipsa carina longa a cellario puppis usque ad camerulam prorae, lata vero ab uno pariete navis usque ad alium, et est sicut camera spatiosa et magna; nec habet lumen nisi quod per foramina quatuor, per quae est in eam descensus, intrat. In ista carina habet quilibet peregrinus suam cumbam, vel suum locellum. Porro peregrinorum cumbae sic sunt ordinatae, quod per longum navis sive carinae est una cumba ad aliam sine interstitio, et unus peregrinus jacet ad latus alterius, in utroque latere, capita habentes ad parietes navis et pedes contra se invicem extendentes. Sed quia carina lata est, stant in medio cumbarum cistae, capsae peregrinorum a cellario usque ad prorae camerulam, in quibus

peregrini res suas habent reservatas, et ad illas capsas utrimque dormientes tam in sinistro quam in dextro latere extendunt pedes. Sub peregrinis adhuc est concavitas magna, et profunditas usque ad galêae infimum, quod venter galêae dicitur, qui quidem non est latus sicut in aliis navibus, sed est acutus a prora usque ad puppim, ita quod galêa inferius habet acutum pedem, adeo quando non est in aqua, quod non potest super terram erecta stare, sed oportet eam in latere jacere: et ista acuitas navis arena plena est usque ad asseres, super quos jacent peregrini, et in ipsam arenam levatis asseribus sepeliunt peregrini vascula sua in quibus vinum habent, et ova et alia, quae frigore indigent. Porro inferius in loco peregrinorum juxta mali medium est sentina, non hominum immunditias colligens, sed omnes humiditates et aquae occulte aut patenter galêam subintrantes ad (B) sentinam illam distillant, et confluunt, et pessimus foetor ex ea exhalat, magis quam ex quacunque latrina humanorum stercorum. Hunc omni die evacuari oportet semel, sed tempore fremitus maris sine intermissione omnes aquas ex ea sursum trahere. Porro super margines galêae sunt loca aptata pro ventrorum purgatione. Tota galêa intus et extra est nigerrima pice linita, funes etiam, asseres et alia, ne ab aqua corrumpantur faciliter. Funes velorum et anchorarum partem magnam galêae occupant, quia sunt multae, longae et magnae in multiplici differentia. Mirum est videre multitudinem funium et connexiones et circumplexiones eorum. Galêa est quasi claustrum, nam locus orationis est juxta malum, superius ubi forum etiam est; refectorium commune est pars puppis media; dormitorium transtra galêotarum et cumbae peregrinorum. capitulum ex opposito coquinae: carceres sunt sub pavimento prorae et puppis, cellare, coquina, stabulum omnia patent supra. Et ita breviter multis omissis habetur galêae imago. Praeterea S. Jeronymus in epistola ad amicum aegrotum saeculum pelago comparat, claustrum navi, et in moralem partem traducit, dicens: est saeculum ut mare, quod est impatiens natura, et sine ventis inflatum, erigens in ipsa tranquillitate minaces atque terribiles fluctus, quod licet sessores non noceat suos, habet tamen aliquid formidinis etiam innoxia

magnitudo; nec navigantibus desunt formidines frequenter et ictus undarum; nunc denique gubernator totos sinus securus explicuit. In mundo et mari rara sunt prospera, densa sunt turbulenta, expavescitur, timetur, morbi quoque non desunt; solus exitus securitatis est portus.

De politia, quae servatur in regimine galèae.

Politia navalis inter omnes politias est ordinatissima; ideo Aristoteles et alii politizantes communiter exempla sumunt a politia navali, eamque inducunt, ut patet in principio primi Ethicorum. Est enim in navi maxime communitas domestica, quae alias omnes communitates includit, quia nec regnum, nec civitas, nec vicus esse potest sine ea, et est principium omnium. Domus autem perfecta requirit tres communitates, scilicet viri et uxoris, domini et servi, patris et filii. Prima communitate domus navalis caret; secundam perfectissime habet; tertiam vero similitudinarie continet. Ibi est dominus patronus cum multis servis; est idem patronus pater et tutor peregrinorum, qui sunt quasi filii. Aristoteles primo Politicorum tria ponit domus regimina, primum conjugale, secundum, quod vir praeest uxori, et hoc iterum inest in navi, cujus ratio est, quia vir habet uxorem, ut generatione mediante perpetuetur communitas domus; communitatem autem navis nemo appetit perpetuari, sed potius citius corrumpi per adeptionem optati portus. Secundum regimen est paternale, secundum quod pater praeest filiis; et hoc est inter patronum et peregrinos, quantum ad obtemperantiam, quia decet eos obtemperare patrono. Tertium est regimen dominativum et dispoticum, secundum quod dominus praeest servis, et hoc regimen est praestantissimum et ordinatissimum in domo navali. In qua (**47 A**) dominus patronus primus motor et praeceptor alios subordinat aliis et praeponit, ipse vero quasi immobilis rex et gubernator existit, ad cujus nutum navis ducitur, quo tendit. Nam de arte navigandi se non intromittit, nec eam scit, sed solum jubet eam duci huc vel illuc. Omnes in navi eum verentur et magnae causae tam inter peregrinos quam inter galêotas emergentes ad eum devolvuntur. Nec constituitur aliquis galêae, praesertim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

peregrinorum militum patronus, nisi sit nobilis, potens, dives, prudens et honorabilis. Constitus autem accipit secum aliquos sapientes et expertos amicos, cum quibus consiliatur, eisque sua secreta aperit. Insuper eligit et pretio conducit aliquem virum strenuum et bellicosum, expertum in navali bello et illum praeponit armaturae, quam nominant armiregium; hic providet galeae de bombardis, balistis, arcubus, lanceolis, fustibus et gladiis, thoracibus et scutis. Habet etiam despensatorem, qui de omnibus ad victum pertinentibus provisionem facit, quem nominant schalcum, et praeest cellario et coquinae et disponit de pane, de vino, de bestiis mactandis, et omni die praecipit tam cocis quam cellario sic vel sic disponere cibum et potum; et si contingit defectus in cibo vel in potu, hoc nulli nisi sibi imputatur et contra eum murmuratur. Ideo communiter schalci sunt in navi odiosi. Insuper alium habet patronus potentem offiicialem, quem nominant calipham, qui tatam galêam et omnes eius partes gubernat, quantum ad hoc, quia considerat, in qua habeat defectum, si aliquid sit ruptum, aut navigationi impeditivum, onera galêae aequat, rupta obstruit et reficit et lustrat galêam tam in sentina quam in keba, in prora et in puppi. Ahuc officialis potens navis dicitur pirata, quem Theutonici putant dici pilatum. Hic pirata scit maris itinera securiora et propinquiora, et secundum hoc, quod jusserit vel consuluerit, ita fit navigatio. Si autem in aliquam regionem venerit sibi ignotam, facit, quod proximum petant portum et ibi cedit suo officio, et alium patronus conducit, cui notae sunt maris semitae, ne exignorantia contingat bythalassium, syrtim, aut charybdim incidere. Cum eodem sunt aliqui gnari viri astrologi et auruspices, qui astrorum et coeli signa considerant, et de ventis judicant, ipsumque piratam dirigunt. Sunt autem communiter omnes in illa arte experti, quod ex inspectione coeli de futuris aut tempestatibus aut tranquillitatibus judicant, quod etiam considerant in colore maris, et ex concursu et motu delphinorum, et piscium volantium, ex fumo ignis, et exhalatione sentinae, et ex scintillatione spirarum et funium noctibus, [motibus] (B) et ex remorum mari immissorum radiatione. In nocte ex inspectione siderum omnes horas sciunt. Et habent juxta malum maris stellam unam, aliam in suprema

habitatione castelli, quasi compassum et juxta illam semper noctibus ardet lucerna, et in navigatione nunquam avertunt oculum ab ea, sed semper unus stellam inspicit, et cantat quadam dulci melodia, intimans prosperitatem viae, et eodem cantu pronunciat illi, qui gubernaculi clavum regit, ad quam partem ipsum gubernaculum sit trahendum: nec ille gubernator audet quovis modo movere temonem nisi jussu inspectoris maris stellae, in qua cernit, si directe, si curve, si lateraliter navis progrediatur: de his vide fol. 62. Habent et alia instrumenta, quibus de cursu siderum et de flatibus ventorum et de maritimis semitis judicant. Chartam enim habent, quae habet ulnae latitudinem et longitudinem, in qua maris latitudo mille mille lineis est depicta, et regiones punctis designantur et miliaria cifris. In illa charta perpendunt, et vident ubi sunt, etiam dum nullum terram conspicere possunt, et dum nec sidera apparent propter nebulas. Hoc autem inveniunt in charta ducendo circulum de linea ad lineam de punctis ad punctum mirabili industria; multa alia instrumenta habent, in quibus maris itinera considerant, et cottidie simul sedent de his conferentes. Post hos supremus in regimine navis, qui manum apponit, et praecepta speculantium primo suscipit, dicitur cometa, et idem est quod comes galêae, et habet locum suum infra castellum in medio transtrorum in sublimi. Huic patronus intentionem suam insinuat, et ipse consequenter totam coordinationem movet. Habet enim pendere in collo argenteam fistulam, cum qua dat signum, ad quos labores navales currendum sit; et quacumque hora diei aut noctis fistula illa auditur, repente omnes accurrunt cum clamore fistulanti respondentes. Hic jubet a portubus recedere et accedere; anchoras ejicere et retrahere; vela erigere et remittere; remis trahere et quiescere; bolidem immergere; tonsillas figere et dimittere. Hunc omnes inferiores timent sicut diabolum; quia ipse percutit baculis, castigat pugnis et funibus quos vult, nec est qui murmurare audeat, quia contra murmurantem omnes insurgunt dato ad hoc signo. Vidi de istis cometis inhumanas crudelitates, quibus affligebant pauperes galeotas. Sub illo est alius, qui dicitur baronus, id est baro galêae, qui ad jussum cometae movetur et movet, et semper habitat in

medio galeae juxta malum, et etiam gerit fistulam praeceptoriam in colllo; et ubi cometa non potest esse, accurrit baro fistulans, clamans, et stimulans ad labores. Huic grandis cura est de funibus, velis et anchoris, ut sint semper aptata et disposita, et singularia habet in gaêa privilegia et jura. Sub illo alius est, qui dicitur subparono, qui ad jussum ejus jubet et praecipit aliis. Post illos sunt quidam, qui (**48 A**) dicuntur compani, id est, socii forte IX., inter quos tamen aliqui praecellunt aliis, et sunt illi, qui sciunt discurrere per funes sicut catti, et velocissime per funes usque ad kebam ascendunt, et erecti in antenna currunt, etiam in saevissimis tempestatibus, et anchoras tollunt, immittentes se aquis profundis, si haeserint, et periculosissimis laboribus insistunt. Sunt autem communiter juvenes agilissimi, vitam suam quasi pro nihilo reputantes, audaces, et sunt etiam in galêa potentes, quasi milites sub baronibus. Sub istis sunt alii, qui dicuntur marinarii, qui ad instantes labores cantant, quia labores navales sunt durissimi, nec exercentur nisi concentu hortatoris, et responsione laboratorum. Sic illi laborantibus assistunt, cantant, hortantur, et percussiones minantur in stimulatione. Onera etiam magna eorum industria trahuntur. Et sunt communiter viri senes et maturi. Infimi dicuntur galeotae vel galeoti, primae vel secundae declinationis, quos latine nominamus remiges vel remices, qui in transtris sedent ad remos trahendos, et sunt in magno numero, et omnes grossi, at asinini labores eorum sunt, ad quos faciendos clamoribus, verberibus, maledictionibus stimulantur: sicut equi ducentes oneratum currum per viam altam, qui quando fortius trahunt, tanto magis stimulantur; sic et isti miseri, quando omnem conatum in labore faciunt, adhuc percutiuntur ad plus conandum. Taedet me scribere, et horreo cogitare de tormentis et castigationibus illorum hominum: nunquam vidi bestias adeo atrociter percuti, sicut illi caeduntur. Coguntur saepe tunicas et camisias a cingulo deorsum pendere, et brachiis scapulis et dorso nudato laborare, ut corrigiis et flagellis possint tangi. Hi galeoti sunt in plurimum servi emptitii patronorum, vel alias sunt vilis conditionis, aut captivi, aut fugitivi de terris, aut expulsi, aut exules, vel adeo infelices, quod super terram vivere non possunt

nec se nutrire valent: et quando timetur fuga eorum, tunc ferramentis includuntur super transtra sua. Ut communiter sunt Macedones et de Albania, de Achaja, de Illyrico et Sclavonia et nonnunquam sunt inter eos Turci et Sarraceni, qui tamen occultant ritum suum. Nunquam vidi theutonicum galeotam, quia nullus Theutonicus miserias istas sustinere posset. Sunt autem miseriis ita assueti, quod tepide et inutiliter laborant, nisi assistat eis, qui percutiat sicut asinos, et maledicat eis. Miserrime comedunt et dormiunt semper in tabulis transtrorum, et diu noctuque sub divo sunt ad laborandum parati, et in tempestatibus in mediis fluctibus stant. Fures communiter sunt, nec parcunt rei, quam inveniunt, quin eam reservent, propter quod gravissime saepe torquentur. Porro tempore, quo non sunt in labore, sedent et ludunt chartis et taxillis pro auro et argento, cum execrabilibus blasphemiis et juramentis. Nunquam audivi tam horribilia juramenta sicut in navibus a jam dictis: nihil enim expediunt, nec in joco, nec in serio, nisi cum turpissimis blasphemiis Dei et Sanctorum. Sunt tamen inter (**B**) eos nonnunquam aliqui honesti mercatores, qui se isti gravissimae servituti subjiciunt, ut mercantias in portubus exerceant. Aliqui sunt mechanici sutores vel calceatores, et tempore quietis faciunt in navi calceamenta, et tunicas ac camisias; aliqui sunt lotores et lavant in navi camisias et facileta pro pretio. Hoc autem commune est omnibus galêotis, quod sunt negotiatores, et quilibet sub transtro suo habet aliquid venale, quod in portubus exponit ad vendendum, et in navi cottidie simul negotiantur. Sciunt etiam communiter ad minus tres linguas, scilicet sclavonicam, graecam, et italicam, et major pars scit ad istas etiam turcicam. Inter galêotas etiam est ordo: nam aliqui aliis praepositi sunt, et illi, de quibus est major confidentia, ponuntur custodes circa ostia galêae, et dicuntur guardiani. Aliqui sunt praepositi prorae; aliqui praesunt in dextero latere; aliqui in sinistro; aliqui in puppi serviunt, et illi melius stant. Sunt etiam in galêis communiter tres vel quatuor juvenes masculi, qui discunt per funes currere, et in aliis animosis operibus student se exercere. Aliqui etiam praeter galêotas sunt bombardrini; aliqui tubicines, qui clangunt semper mane et vespere,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et ante mensam et post mensam, et in omnibus portubus. Aliqui etiam galêae mundatores et ornatores. Sunt etiam in ea rasores ad minus duo, qui etiam sunt medici et chirurgici; sunt etiam in ea tortores malefactorum, qui torquent sicut lictores, quos patronus jusserit torqueri. Est etiam quidam officialis satis potens in galêa, quem nominant scribanum, id est scriptorem, qui omnia nomina personarum galêae in scriptis habet, intrantes in portubus inscribit, et exeuntes, et ille lites ortas de cumbis componit et naulum exigit, et multa agere habet, et est etiam ut communiter homo omnibus otiosus, et illud sufficiat de officialibus galêae.

De Justitia et Judicio, quae servantur in galêa exacte.

Ut autem in tanta multitudine pax servetur, justitiae locus datur, et in galêa exacta justitia servatur. Sunt enim in navi judices, qui cunctis diebus, et causis emergentibus sedent pro tribunali, et audiunt partes, et examinant causas; et rigorosus processus est in galêa. Insuper si aliqui de tractatu facto in galêa discordaverit, nisi in navali judicio concordaverit, in nullo judicio admittitur unus contra alium extra mare: nec unus tenetur alteri stare extra navem; nec aliquis judex terrae se intromittit de contractibus celebratis in mari. Si unus concessit X ducatos in mari, postquam ad terram venerint, si ille negat se accepisse, per nullum judicem cogetur, nec testes admittuntur contra eum. Ita dicunt marinarii; an autem ita sit, et, si de facto ita fiat, an sit rationale, videat, qui vult. Ideo autem exacta justitia servatur. Fures etiam puniuntur, sed leniter. Nemo adjudicatur morti, sed illa est severissima sententia navis, quod reus aliquo gravi facto ad chordas trahitur, et percutitur et post castigationem in proximum (**49 A**) litus deportatur, et ibi dimittitur, et navis recedit; sic vidi fieri cuidam homicidae, et tantum de illo: sequitur aliud.

De divino Officio, quomodo in galêa peragitur.

Nec praetereundum est, videre qualiter se navigantes habeant ad Deum in actibus latriae. Dignum enim est, ut in

tantis discriminibus et periculis existentes Dei non obliviscantur. Tribus ergo vicibus per diem adorant in navibus Deum. Primo mane in ortu solis, tunc enim aliquis de servis domini patroni, stans in alto ante castellum, imperat fistula silentium, quo facto erigit tabulam, in qua depicta est beata Virgo puerum tenens in ulnis; quam cuncti videntes genua flectunt, et Ave Maria dicunt, et alias orationes si placet. Statim autem ut tabulam remittit, incipiunt tubicines canere tubis, et tunc unusquisque procedit ad opera solita. Secundo circa horam VIII. ante meridiem iterum signum fit ad orationem, et capsa, quae stat superius ad malum, operitur cum panno aliquo pulchro, et ponuntur super eam duo candelabra, cum accensis candelis, et in medio candelabrorum tabula Crucifixi, et liber missalis, ac si officium Missae deberet celebrari; et omnes peregrini ascendunt, circumstant malum. Tunc accedit sacerdos stolam in collo habens, et incipit: Confiteor; et consequenter omnia legit, cum omnibus moribus sacerdotis celebrantis, dempto canone, quem non legit, quia non conficit: et ita perficit Missam, sine sacrificio Missae, concludens eam cum Evangelio: In principio erat verbum. Illas Missas nominant Missas torridas, vel aridas. An autem hic modus sit in jure fundatus, non memini me legisse. Sed hoc scio, quod quibusdam doctis non placet. Dicunt enim quod legere ea, quae manifeste cantantur a choro, non est inconveniens; sed ea legere cum stola et Missae moribus et sacerdotalibus sollemnitatibus, sit deceptorium. In festivitatibus cantant illas Missas. Sed Eucharistia nunquam in navi conficitur. De cujus carentia ante maturam deliberationem saepe miratus fui, et negligentiae nostrorum Praelatorum adscripsi, quasi minus curarent de filiorum ecclesiae salute, quam dignum et justum ac necessarium esset, praecipue tamen cum legamus, quod tempore B. Gregorii fuerint Missae in navi celebratae, vel ad minus Eucharistia in ea conservata, ut patet 3 Dialogorum, ubi habetur, quod quidam periclitati in mari Adriatico communicati fuerunt corpore et sanguine Domini. Et in legenda B. Ludovici, Regis Franciae. Et videbatur mihi magna ecclesiae negligentia, quod in tantis periculis constitutis non esset provisio facta dudum cum sacramentis et signanter peregrinis,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui illa pericula subeunt pro amore et honore divino. Sed cum rem hanc diligenter cum ratione ponderarem, inveni, quod prudens et sancta mater Ecclesia hoc sacrosanctum Eucharistiae sacramentum non vult confici, nec conservari in navibus, et pluribus rationibus. Primo quia hoc sacramentum non est sacramentum necessitatis, sed sufficit ad salutem habere votum suscipiendi tempore et loco oportuno. In navi autem non est locus oportunus, ut patebit, etsi sit tempus: quamvis et ipsum tempus pro omni (B) momento sit inconveniens. Secundo: quia ibi non est proprius sacerdos, a quo singulariter est hoc sacramentum suscipiendum, sicut jura decernunt: parochia enim, ad quam navis devolvatur, ignoratur: ideo dimittitur. Tertio: ibi non potest conservari Eucharistia; nam panes solidi et magni et bene in clibano decocti non possunt durare in navibus, sed quam statim post paucos dies liquescunt et marcescunt; quanto minus possent species panis tenuissimi et non bene decocti manere. Nam tempore humido non possent sacramenti species tribus horis manere, quin essent resolutae in pastam liquidam. Ita enim contingit de bapiro, quae penitus inutilis fit tempore humido. IV. Eucharistia debet conservari in ecclesia et loco sancto; navis autem non est ecclesia, nec locus consecratus; nec aptus conservationi. V. Circa sacramentum Eucharistiae debet semper ardere lumen, quod in galêa esse non potest. Tantus enim est impetus ventorum et aquarum abundantia, quod saepe totam galêam involvit, et lumen nec in latebris nec in lucernis potest conservari. VI. Non debet Missa celebrari, nec Eucharistia conservari in galêis propter incertitudinem periculorum; subito enim, et in ictu oculi adveniunt tempestates, quibus advenientibus navis importune movetur, et si sacerdos in altari staret, non posset subsistere, nec calix posset manere, nec tabula, aut mensa altaris; sed in momento contingeret omnia everti. VII. Propter ventorum importunitatem, quo flante lumina ardere non possent, et corporale cum aliis altaris mappis de ara ejicerentur. VIII. Propter incertum illapsum aquarum, quae nunc huc nunc illuc diffunduntur; etiam ad parvum ventiflatum, dum non speratur, nec timetur, illabitur aqua galêae copiose, et quae contingit, confundit; ideo Missa non habetur in navi. IX. Propter

irreverentiam. Nam in navi non est locus, ad quem non sit quandoque irreverentialis concursus. Galêoti enim in necessitate suo cursu nec sacerdoti celebranti, nec sacramento deferrent [reverentiam], sed omnia, sacerdotem, altare simul cum sacramento subverterent. Sunt enim labores navales subiti, et quodammodo ignei, urgentes, nec moram capiunt, ut deferantur: in omni etiam loco galêae dormiunt homines, comedunt, bibunt, et confabulantur, mentiuntur, et perjurant, quae omnia sunt contra sacramenti reverentiam. X. Non debet ibi Missa celebrari propter praesentiam indignorum. Sunt enim frequenter in navibus illis Judaei, Turci, Sarraceni, schismatici, haeretici, et excommunicati a jure et a judice, et interdicti, et si non isti indigni omnes simul reperiuntur, semper tamen aliqui eorum ibi sunt, coram quibus non debet celebrari. XI. Propter grandia et enormia peccata, quae in navibus committuntur. Ibi cottidie ludunt ad taxillos et chartas, ibi execrabiliter Deum et Sanctos blasphemant, perjurant, et mentiuntur, detrahunt et litigant, furantur et rapiunt, se ingurgitant, replentur et inebriantur. Utinam verum non sit, quod saepe audivi recitare, quod exerceant peccatum nefandissimum sodomiae in galêis galêstreli (**50 A**) orientales; ideo indignus est locus pro tanto sacrificio, ubi committuntur tanta vitia. XII. Foetor turpis et immunditia galêae et hominum dehonestant locum. XIII. Propter derisionem infidelium, et scandalum eorum. Si enim audierint Deum nostrum in navi praesentem esse in sacramento, secundum fidem nostram, et viderint nos nihilominus criminose vivere, vel tribulatione quassari, grave sumerent scandalum, et derisionem facerent sacramento dignissimo. XIIII. Propter malorum Christianorum fatuitatem. Si enim hoc sacramentum praesens esset in galêa, et maris tempestas incideret, et navis in periculum tenderet, nec statim consolatio seu adjutorium adesset, hoc illi fatui Christiani in injuriam sacramenti statim retorquerent, et si non ore tamen corde dicerent: si tu es Christus, salvum fac temet ipsum et nos. Simile vidi oculis. Nam quodam tempore grassante tempestate et durante, ego et caeteri religiosi et sacerdotes conversi ad Dominum cantavimus letanias et Sanctos Dei invocavimus pro adjutorio, quia erat periculosa tempestas.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed dum tempestas permaneret, aliqui nobiles milites facti in Jerusalem perversi, dicebant; quod ab orationibus cessaremus; credentes quod propter orationes nostras tempestas magis saeviret, et interrumpentes psalmodiam et letanias dixerunt: si orationes vestrae essent Deo gratae, jam dudum essemus ab his periculis erepti. Sic absque dubio, si Eucharistia in navi conficeretur, idem contingeret. Putarent enim rudes et dubiosi seculares, quod praesente sacramento nihil triste accidere deberet, et si accideret, ejus praesentiae adscriberent. Sic fecerunt filii Israel ducentes secum in praelium arcam Domini, putantes se nihil posse pati ab inimicis. Sed eo non obstante prostrati fuerunt, et arca Dei capta, ut habetur 1. Regum. 4. Magis enim est irae Dei provacativum indigna et irreverentialis contrectatio et circumductio, quam humilis et timida dimissio. Sic etiam aliqui rustici faciunt suos curatos sacramentum Eucharistiae per campos deferre, ne segetes grandine annihilentur: et si segetes proficiunt, parum grati sunt; si deficiunt, scandalizati manent, et contra Deum murmurant. XV. ratio, quare Eucharistia in navi non est sumenda, propter evomitationem facilem et subitam. Si enim sacerdos jam Missam celebrasset, et tempestas advenerit, cogeretur vi naturae Eucharistiam vomitu ejicere, nec posset retinere, et hoc est horribile audire. Ideo pia est illa sacramenti privatio. Tertium tempus, quo in galêa laudant Deum, est in occubitu solis: tunc enim omnes congregantur ad malum, ubi est galêae forum et genibus flexis cantant: Salve Regina; et in singularibus angustiis praemittunt letanias. (B) Post Salve facit cum fistula signum camerarius domini patroni, et statim in alto pronuncians optando omnibus bonam noctem ex parte patroni, et iterum sicut mane ostendit tabulam b. Virginis, ad cujus ostensionem dicunt tria Ave Maria, sicut fieri solet sero ad pulsum. Et istis actis descendunt peregrini in carinam ad cumbas suas. Porro post peregrinorum abscessum, cum jam tenebrae incipiunt esse, stat scriptor galêae in castello, et incipit quoddam carmen longum, in lingua vulgari italica, et annectit letaniam, ad quam omnes galêotae et navis officiales genibus flexis respondent, et multa ibi dicunt, et protrahunt orationem quasi ad quadrantale unius horae.

Huic orationi saepe adstiti. In fine autem injungit cuilibet ut dicat unum Pater noster, et unum Ave Maria pro anima parentum Sancti Juliani. Haec autem singulis noctibus faciunt, nec omittunt. Porro de oratione pro parentibus S. Juliani quaestionem habui, quare diceretur, quia in omnibus navibus per mare eam dicunt de sero, et dupliciter fui de hoc informatus. Quidam dixerunt, quod illa oratio dicitur in laudem Symonis leprosi, qui prius dictus fuit Julianus, et dominum hospitio suscepit, et ideo, ut ejus intercessione bonum portum et bonum hospitium apprehendant, eam dicunt. Ad quod ego dixi: quod eam dicerent non in laudem Sancti, sed pro animabus parentum S. Juliani; et si dicerent pro bono hospitio habendo, quare non potius dicerent eam b. Marthae, quae fuit singularis hospita Domini, et non poterant mihi respondere. Alii dixerunt, quod illam orationem dicerent pro parentibus S. Juliani, de quo habetur in Spec. Vincent. Part. 2. lib. 10. cap. 115. Qui cum esset juvenis, ignorans interfecit patrem et matrem suam in lecto, putans matrem esse suam uxorem, et patrem adulterum cum ea, ut patet supra. Quomodo autem haec consuetudo sit introducta ignoratur. Iste est ergo ordo divi cultus in mari. Tamen praeter illa multae orationes fiunt a peregrinis die ac nocte. Et postquam ad aliquem portum applicant, devotissime omnes ad ecclesiam currunt pro Missis audiendis. De celebratione autem dominicae et festivitatum in mari, dico quod pessime servantur. Indubitatum enim fuit in me, quin diabolus singulariter cooperetur, ut festorum celebritas debita impediatur. Notavi hoc saepe, quod semper majores inquietudines sunt in navibus in sollemnitatibus, quam alias: et quamdo 4. aut 5. diebus in aliquo portu stetimus, statim ut vespera sabbathi advenit, profectio parabatur, quae non nisi cum ingentibus laboribus et clamoribus parabatur: qua parata, per totam noctem navigatur, et in dominica nulla Missa habetur. Hoc adeo frequenter fuit factum in navibus, in quibus ego fui, ac si ex industria fieret. Tanto etiam in ipsa navi sunt majores et grossiores labores, quanto dies sunt sanctiores, ut patebit in processu. Ego solitus fui in navi sermonem facere diebus solemnibus, (51 A), sed quae mihi contigerunt in hoc opere pio dicam

breviter. In prima mea peregrinatione, me praedicante, unus filius Belial aliquotiens risibus interrupit Dei verbum, et nec rogatus, nec invasus quievit, sed magis risum concitavit. Qua propter ego quievi, nec ab aliis rogatus Dei verbum amplius proponere volui. Dicit enim sapiens Ecclesiastici 32. v. 6. ubi non est auditus, non effundas sermonem. Et Dominus, Matthaei 7. v. 6.: nolite sanctum dare canibus, et margaritas nolite projicere ante porcos. In secunda vero peregrinatione fuerunt magis nobiles et maturi viri, qui erant gratissimi, et rogabant me pro verbo Dei, quibus et complacui omnibus diebus festivis. Verum multorum nobilium inimicitias praedicando acquisivi, qui se notatos et proclamatos de certis vitiis aestimabant. Sicut enim obsequium amicos, sic veritas odium parit.

Officium funerum etiam spectat ad divinum cultum, et hoc modo peragitur in galêa: dum quis infirmatur, confitetur cui sacerdoti vult, quia ibi videtur esse articulus necessitatis, in quo quilibet sacerdos potest absolvere. Dum autem morti appropinquat, socii sui ejus curam habent vigilando et serviendo, nec est ibi Eucharistia ut dixi, nec extrema unctio, de qua etiam non est facta provisio; et videtur quod illa posset in navi servari, cum ipsum oleum non sit sacramentum, sed solum ipse usus. Moritur ergo tantum confessus, et cum mortuus fuerit, et linteamine involutus, ponunt eum in scapham, et ad proximum litus ducunt, si sunt prope terram, ibique sepeliunt in coemeterio, si est ibi ecclesia; si non, alias eum terrae commendant. Si autem prope terram sunt, et tamen est terra infidelium, non ducunt eum ad terram, sed in mare corpus mittunt. Porro si sunt remoti a terra, accipiunt linteamen et arenam tollunt de fundo navis, eamque super linteamen expansum fundunt, et ipsum corpus desuper ponunt, et involvunt, et saccum cum lapidibus ad pedes ejus appendunt, et circumstantibus cunctis et sacerdotibus canentibus: Libera me domine, galêoti corpus accipiunt, et de galêa in mare cadere permittuut in nomine Domini: et statim lapidibus sic gravatum abyssum petit corpus, et anima coelos scandit. Haec saepe vidi: nec vidi illum modum, quem aliqui dicunt se vidisse, scilicet quod corpus linteo involutum ligetur super

asserem et cum assere in mare mittatur. Verum tamen est, si defunctus habet socios, faciunt quod volunt de corpore defuncti, et ponunt in mari, vel sine lapidibus, vel cum lapidibus aut cum assere. Exposito autem corpore scriptor galêae omnia derelicta conscribit et patrono praesentat, et solvit debita, si defunctus caret sociis. Si habet socios, illi expediunt, et in proximo portu suas exequias peragunt; et nisi peregrini in conventione cum patrono praeveniant, sicut et nos fecimus, tunc patronus lectum defuncti et linteamina et vestimenta accipit. Aestimant multi illam sepulturam esse nobilissimam, magisque eligendam quam terrae compressionem. Ita Aethiopes hodie suos mortuos in flumen projiciunt, ut Diodorus refert: putantes esse optimum sepulchrum, sive corpus devoretur a beluis, sive in aqua putrescat, aërem nec terram inquinat. (B) Porro si in navi moritur aliquis de magnis Venetis, corpus ipsum in arenam, quae in navi est, sepeliunt, et usque Venetias ducunt; hoc vidi, ut patet fol. 165. p. 2.

Ita homines deducunt tempus in Galêa.

Regimen peregrinorum in galêa varium est secundum variam eorum dispositionem. Diversis autem negotiis se ingerunt, ut tempus in navigatione deducant, et nisi homo in galêa sciat tempus redimere, longissimas et taediosissimas habebit horas. Ideo aliqui statim ut de mensa surgunt, ascendunt, et per galêam inquirunt, ubi melius vendatur vinum, et ibi se ponunt, et totum diem juxta vinum deducunt. Ita communiter faciunt Saxones et Flamingi, et alii inferioristae. Aliqui ludunt pro pecuniis, illi in alea, isti in nudis tesseribus, alii cum chartis, caeteri in scaco et major quasi pars isti operi insudat. Aliqui cantant discantos, vel in lutaris, et fistulis et musis, clavicordiis, cytharis et aliis instrumentis musicis tempus deducunt. Alii disputant de rebus mundanis, alii legunt in libellulis, alii orant in paternostris; alii sedent et cogitant, alii clamant ex jucunditate. Illi rident, isti strident. Alii laborant manibus; alii ex otio dormiunt: alii totum quasi tempus dormiendo in cumbis suis deducunt. Alii per funes currunt; all saltant; alii suam fortitudinem probant levando

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

onera, vel alias faciendo animosa. Alii cum omnibus his communicant assistendo, tunc illis, nunc istis. Alii sedent et mare ac terram, quam transeunt, considerant, et conscribunt, et libellos conficiunt, quod fuit meum negotium cottidianum post dictas horas canonicas. Solliciti enim nec in navi existentes otiantur. Nam Jeronymus ad Asellam pulchram valde conscripsit epistolam de fictis amicis in navi, remeans a Roma Jerosolymam. Est denique inter omnes occupationes navigantium una vilis quidem, sed admodum communis et necessaria et cottidiana, quae est vermium vel pediculorum insecutio sive captio. Nisi enim homo aliquas horas ad hunc deputat laborem in peregrinatione existens, inquietam habebit dormitionem. In vita Philosphorum legitur de Homero philosopho, quod die quadam spatiabatur in litore maris, ad quod navis quaedam appulit, in qua homines sederunt, pediculos quaerentes et ridentes; a quibus dum philosophus causam risus quaesivisset, respondit ei unus: de hoc, inquit, ridemus, quia quotquot cepimus, non habemus, et quos non cepimus, retinemus. Homerus autem direxit cogitatum ad capturam piscium, et non potuit propleuma [problema] intelligere. Unde ex hoc in tantum amaricatus fuit, quod in insaniam versus se ipsum suspendio peremit. Haec autem omnia fiunt plus et minus secundus dispositionem temporum. Mutantur enim sensibiliter affectiones hominum in mari, secundum influxum coelestium corporum, et aëris impressiones, et motum maris amplius quam in terra firma. Vidi saepe diem, in qua omnes jocundi, hilares et boni socii eramus, nemo dormiebat, omnes gaudebant. E contrario, vidi diem, in qua tantum silentium, tanta quies erat, ut quasi nemo audiretur, in qua omnes dormitabant, et tristes sedebant. Saepe tanta pace et concordia conjunctos peregrinos vidi, ac si omnes fuissent unius matris fratres. Sed quandoque tot litigia et contentiones vidi oriri ex minimis causis, quod galêa erat quasi infernus propter maledictiones et blasphemias. Notavi manifeste, quod motus omnium passionum vehementior est in aqua quam extra. Sic ergo deducunt horas dierum in navi. Semper defecit mihi dies ante operum meorum completionem. **(52 A).**

De modo manducandi peregrinorum in Galêa.

Instanti hora prandii aut coenae surgunt quatuor tubicines, et trumpetae, et tubis concrepant pro cimbulo ad mensam, quo audito cum magna festinantia accurrunt omnes, qui de mensa domini patroni sunt, ad puppim, et idcirco festinant, ut accipiant locum quietae sessionis, quia, qui ibi tarde venit, male sedet. Tres enim mensae parantur in puppi bene et ordinate, et qui ad illas potest sedere, bene habet, qui vero tarde venit, extra puppim in scamnis galeotarum sedebit male et in sole, vento et pluvia. In ista sessione non est ordo, sed prior locat se ad placitum, nec pauper diviti defert, nec rusticus nobili, nec mechanicus sacerdoti, nec idiota doctori, nec saecularis religioso, nisi propter singularem familiaritatem aliquis alium honoret. Causam autem illius deordinationis et irreverentiae hanc esse opinor, quia omnes aequale pretium solvunt patrono, minores tantum quantum majores.

Credo bene, si magnae dignitatis personae solverent LX ducatos, et simplices ac plebeii XX., aut si patronus reciperet pecuniam ab unoquoque secundum proportionem, quod tunc honor et reverentia esset minorum ad majores. Propter hanc causam nobiles, qui habent famulos, manducant juxta malum, aut in cumbis suis cum lumine, etiam media die, quado aër est obscurus. Porro semper in principio mensae ministratur omnibus malfasetum, et sequens cibus communis est paratus more italico: et primum est salutucium lactuca oleatum, si olera possunt haberi; et carnes ovinae in prandio, et pulmentum vel menestrum de farre, aut de fracto frumento, aut hordeo, aut pannatum et caseum macrum: in diebus vero jejuniorum et non carnium ministrantur pisciculi dicti zebilini, salsi in aceto oleato; vel placenta de ovis cum uno pulmento. Panes recentes tribuunt prope portus. Post quintum enim diem non manet panis recens in galêa. Et his deficientibus dant paximates vel paximatios, panes bicoctos, quos biscotas nominant, qui sunt duri ut lapis, sed dum aqua aut vino perfunduntur, statim liquescunt. Vinum ministratur quantum quis bibere potest, pro tempore bonum, et quandoque exile, semper tamen aqua bene mixtum et baptizatum. Cum celeritate autem prandium

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

peregrinorum expeditur, et omnia festine apportantur, et eorum prandio finito, iterum tubicines tubis canunt; levatis autem mensalibus, de novo mensae parantur sollemniter pro domino patrono et suis consiliariis. Mensa vero ejus est magis frugalis, quam peregrinorum, et cibi ei apportantur argenteis vasis, et cum credentiis propinatur ei potus, sicut principibus nostris. Mulieres peregrinae non accedunt ad mensam communem sed manent in suis stantiis, et ibi manducant, ibi dormiunt. Domini mei habebant proprium cocum et manducandi proprium locum. Galêoti in suis transtris comedunt trini et trini, et per se sibi praeparant, quos saepe vidi carnes adhuc (B) sanguine rubentes manducare. Si qui peregrini cupiunt aliquid in singulari habere de coquina, oportet cocis argentum ostendere, quia sunt tres vel quatuor coci impatientissimi, qui non placantur nisi pecunia exhibita fuerit, de promissa non curant. Mirum tamen non est, quod coci impatientes sunt, quia coquina est arta, et multae ollae, variae res coquendae, ignis parvus, clamor ante coquinam magnus, multi postulantes, et labor cocorum utique est compassione dignus. Domini milites abominantur cibum patroni, et magnam dant cocis pecuniam pro singulari cibo. Cibum autem patroni dant pauperibus galêotis. Singulariter autem carnes patroni sunt abominabiles, quia bestias illas mactant, quas supervivere non posse vident, et oves morbidas. Quamcumque enim bestiam vident defectuosam per se cito morituram, hanc mactant. Extra horam prandii nihil datur de cellario patroni, sed ipsi galêoti vendunt vinum optimum, de quo emunt peregrini. Tempore tempestatum evomitatio et comestio celebrantur simul.

De inquieta dormitione peregrinorum in navi.

Coena peracta ad confabulandum se ponunt peregrini superius juxta malum, et nunquam transeunt dormitum nisi cum luminibus. Cum autem descendunt ad reponendum se, fit ingens tumultus in lectulorum stratione, et excitantur pulveres et communiter concitantur litigia magna inter collaterales, praecipue in principio, antequam assuescant. Nam ille collateralem suum inculpat, quod suo lectulo partem cumbae suae

occupet, alius negat, ille affirmat, et uterque suos adjutere-advocat, et quandoque integrae societates offenduntur ad invicem. Vidi in talibus contentionibus peregrinos gladiis et pugionibus evaginatis contra se insurgere, et horribili seditione conclamare. Si in tali seditione scriptor galêae descendisset, cui interest, cumbas aequaliter dividere, a peregrinis dilaniatus fuisset. Litigio illo sedato vel non existente, aliqui tardius se dormitum ponunt et luminibus suis, ac locutionibus diutius protractis aliis molesti sunt. Vidi quod aliqui impatientes peregrini cum urinalibus suis jactabant contra lumina ardentia ad extinguendum et tunc iterum excitabantur magna litigia. Aliqui omnibus luminibus extinctis incipiunt cum suis collaterabilibus expedire casus mundi, et protrahunt quandoque usque ad noctis medium, et dum ab aliquo corripiuntur, ut taceant, amplius clamant, et nova litigia inchoant; et nisi aliqui virtuosi et maturi adessent, qui litigantes compescerent, nunquam nox cum quiete transiret, praecipue quando ibi sunt ebriosi Flammingi. Sunt praeter jam dicta plura impedimenta quietis et dormitionis. Religiosi qui solitarii in suis cellulis consueverunt dormire, difficulter in navi quiescere possunt propter collaterales inquietos et stertitantes. Multis noctibus fui, quod nunquam clausi oculum. Insuper artitudo cumbae lectuli et duritia cervicalium causat inquietudinem. Vix potest se peregrinus movere sine contactu collateralis; locus etiam est clausus et calidissimus ac grossis vaporibus ac diversis plenus. Et ideo necesse est continue (**53A**) sudare, quod plurimum inquietat: pulices pro tempore sunt ibi infiniti, pediculi sine numero, mures et glires. Aliquotiens et quasi singulis noctibus silenter surrexi et ascendi sursum ad aërem et videbatur mihi, quod de squalido carcere ereptus essem. Quietem etiam impediunt somnus inquietus et stertitatio et locutio quorundam in somnis, et gemitus, infirmorum tussitationes excaciones. Fui in quadam galêa per aliquod tempus, in qua stabant equi et muli super nos: qui suis pedibus in asseribus continue strepitum habebant, per totam noctem et diem. Cursus etiam galeotarum superius, et maris sonitus, et alia multa dormitionem peregrini quietam tollunt; et tantum de illo.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Difficultas in opere naturae eundo ad secessum in galêa, et remedia, et de quibusdam aliis gravaminibus.

Aliquando in navigatione contingit, quod homo magnam difficultatem patitur in his, quae natura requirit, ut patet de commestione et dormitione. Praecipue tamen difficile valde est, quandoque opus naturae, vel vesicae necessitatem, aut ventris purgationem facere, cum tamen impedimentum ejus sit molestissimum naturae, ut dicitur metrice: Maturum stercus est importabile pondus.

De modo ergo, quo tam urinatio quam stercorisatio fit in navi, parum dicam. Quilibet peregrinus habet juxta se in cumba sua urinale, vas fictile, ollam, in quod et urinam emittit, et ea, quae eructando evomit. Sed quia locus pro tanta multitudine est strictus et tenebrosus, et multa deambulatio; ideo raro usque mane stat urinale non eversum. Aliquando enim unus importunus, et quem forte aliqua necessitas cogit festinare sursum, suo transitu evertit 5. aut 6. vasa, ex quo causatur foetor intolerabilis. Mane vero dum peregrini surgunt, et venter suum beneficium postulat, ascendunt, et ad proram vadunt, in qua ab utraque parte rostri prorae sunt loca pro sessione aptata. Stant ergo ante loca aliquando XIII. aut plures et exspectant, ut uno expedito alter sedem capiat, nec est ibi verecundia, sed potius iracundia, quando quis nimis diu locum occupat. Assimulavi illam expectationem ei, quam faciunt homines in quadragesima ante confessores, ubi stantes male contentantur de illis, qui longas faciunt confessiones, et expectant cum quadam angustia. Porro nocturno tempore habet magnam difficultatem venire ad illa loca propter homines, qui per totam galêam jacent et dormiunt. Oportet enim illum, qui ad locum secretum accedere vult, ultra XL homines pertransire, et quolibet passu habet sub se hominem, et necesse est caute pedem de scamno ad scamnum locare, ne ponat super hominem, et ne non tangendo scamnum labatur in medium (B) duorum scamnorum super alium jacentem inferius. Si transiens aliquem pede tangit, maledictiones in promptu habebit. Si quis autem non esset timorosus et vertiginosus,

super margines navis posset in proram ascendere, et se de fune ad funem trahere, quod ego saepe feci, quamvis incautum sit et periculosum; vel posset extra columbaria remorum supra remos sedendo se expedire, quod etiam timidis non expedit, quia sessio illa est etiam periculosa et ipsis galèotis ingrata. Maxima vero difficultas in tempestatibus, quando loca secreta continue sunt fluctibus operta et remi retracti super transtra. Ille ergo, qui se in tempestate vult purgare, oportet ut se exponat totali madefactioni, quapropter multi nudi omnibus indumentis despositis accedunt. Verecundia in hoc actu est multum nociva, et facit agere magis verecunda. Aliqui nolunt notari, et procumbunt ad alia loca, quae deturpant, et fiunt irae et rixae et dehonestatio bonorum hominum. Aliqui juxta cumbas suas ollas replent, quod est turpissimum, et multum gravans collaterales; nisi quis esset infirmus, cum quo merito patientia est habenda. Non possem brevi sermone explicare, quantum sustinui cum quodam collaterali infirmo. Magno studio caveat peregrinus, ne ventris alveum obstruat, ductus verecundia puerili et nenimium laxus fiat, quia utrumque perniciosum est naviganti. De facili constipatur homo in mari. Et consilium bonum est et salubre, ut peregrinus omni die ter quater, etiam absque naturae postulatione, ad locum se ponat, et discreto conatu ventris apertionem promoveat, nec desperet, si venter nec tertia nec quarta vice aperiatur. Accedat crebrius, solvat cingulum et vestimentorum omnium colligationes supra pectus et umbilicum aperiat, et habebit ventris beneficium etiam si lapides essent in eo. Hoc consilium dedit mihi quidam expertus marinarius, cum multis diebus fuissem durissime constipatus, nec est securum, pilulas aut suppositoria accipere in mari, quia per hujusmodi inducitur nimia laxatio, quae periculosior est quam constipatio. Aliae etiam praeter hanc purgationem sunt peregrino necessariae. Sunt enim plures in navi, qui non sunt provisi in mutatoriis, et sunt semper in sudoribus et foetoribus, ex quibus crescunt vermes tam in vestibus quam in pilis barbae et capitis. Idcirco peregrinus non negligat se, quin omni die se lustret. Contingit enim, quod ille, qui in hac hora non habet unum pediculum, in alia statim sequenti habeat mille, qui ei adhaeserunt, in aliquo loco alicujus pedi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

culosi peregrini aut galèotae. Sic ergo barbam et pilos cottidie lustret, quia si ibi superabundaverint, cogatur deponere barbam, et se dehonestare, quia exprobrabile est, non habere barbam in mari. Sic inutile est nutrire comam capitis, sicut quidam nobiles, nolentes eam deponere, quorum aliquos vidi adeo (54 A) pediculosos, et omnes suos socios replebant, et omnes commorantes gravabant: nec verecundetur peregrinus petere socium, ut sibi quaerat in barba. Similiter de lotione frequenti camisiarum, quam faciunt galèoti, sit singularis diligentia et linteaminum et lectuli munditia curetur, ut eo quietior sit, quia, qui in istis est negligens, remanebit inquietus, et omnibus reddetur odiosus. Navigantes peregrini multas sustinent incommodiates et gravamina; inter omnes tamen incommoditates, dempta infirmitate propriae personae, molestissima et pessima incommoditas est, quando peregrinus bonus habet collateralem malum, invidiosum, impatientem, litigiosum, inquietum, iracundum et immundum: expertus sum hujus mali poenam, et e contrario impretiabilis thesaurus est socius collateralis rationabilis, fidelis, patiens, quietus et mundus; et hoc idem experientia didici. Tantum enim bonum est habere collateralem talem, ut omnes aliae molestiae leves et tolerabiles videantur, et saepe gaudium in tribulatione habetur ex jocunditate socii. Multum cruciat peregrinos quidam malus foetor de galèa exhalans, qui non semper, sed pro tempore spirat, et ita male foetet, ut omnis alius foetor non sentiatur eo spirante. Quendam novi militem, qui foetore illo spirante solebat dicere grossis et impolitis verbis theutonicis: hominis posteriora et anteriora, latrinae, sentinae, stercus et urina, caseus putridus, cadaver, et inter pedicas rusticus, omnia haec sunt aromatica respectu illius foetoris. Quamvis autem sit valde malus foetor, non tamen laedit caput, nec vires debilitat, nec appetitum tollit, nec ad vomitum impellit, sed solum odoratum offendit et est amplior in antiquis galèis quam in novis. Praeter hunc faetorem spirant alii, non quidem ita intensi, sed magis nocivi, ut de urinalibus, de cacabis infirmorum, de reservaculis cibariorum, caseorum et carnium, et de aquis putridis, de lectulis et vestimentis sudoribus plenis, de stabulo bestiarum, de coquina, de sentina, de miseris galèotis; de quibus exhalat

foetor sicut de hospitali repleto infirmis decumbentibus. Insuper solis ardor superius et inferius caligo, artitudo, caliditas squalida, et aër corruptus. Et quamvis ventorum flatus sit navigantibus necessarius, est tamen multo molestus, quia agitata per eum navi, efficiuntur peregrini vertiginosi et debiles, et commoventur omnia interiora usque ad evomitationem omnium, quae sunt in stomacho, et totius cholerae commotionem: nec potest superius manere propter vim ejus, et propter aquas, quas injicit navi, et propter discursum et labores galeotarum: imo in cumbis suis manere non possunt, si velum in ea parte pendet, ubi est eorum cumba, sed oportet ad oppositam partem transfugere, et nonnunquam oportet lectulum (B) evertere, ut caput ad locum pedum ponat et pedes ad locum capitis, propter navis declinationem per velorum tractum ad unam partem. Insuper fumus coquinae per ventum in navim projectus peregrinos multum quandoque vexat. Sani tempestatum tempore efficiuntur infirmi, et debiles magis languidi. Continua sentinae expurgatio est peregrinis molesta, et propter foetorem inde exhalantem, et propter prohibitionem ascensus et descensus, quorum utrumque prohibetur illa purgatione durante. Pulices, quorum navis plena est, etiam multum molestant, et pediculi et muscae et inquietudo ex sudoribus, quibus homo magis vexatur, quam vivis vermibus. Successu temporis generantur in navi mures et glires in magno numero, et currunt tota nocte, et rodunt reservacula cibariorum, et perforant, et cibos foedant, et cervicalia ac calceamenta corrumpunt, et super vultus dormientium cadunt, et hoc plus vel minus pro tempore: non enim semper, sed suis temporibus illa moventur. Ad flatum namque alicujus venti omnia viventia in navi tabescunt, pulices, muscae, mures et hujusmodi, et evanescunt, quod nec unum reperiatur. Sed illo vento vel aëre mutato iterum generantur. Culices etiam suo tempore cantu suo et morsibus multum peregrinis molesti sunt. Ex humiditatibus etiam generantur in navi vermes crassi et albi, qui ubique serpunt et ad crura et in facies hominum insensibiliter ascendunt, quos ut homo sentiens digito tangit, putans esse muscam, mox rumpitur et sanie locus foedatur, ubi haesit. Quamvis autem multae immunditiae sunt in galêa ex

putredinibus generatae, nihil tamen venenosum in ea generari aut vivere potest. Ibi enim non sunt scorpiones, nec viperae, nec bufones, nec vermes perniciosi, nec araneae. Aqua namque maris venena depellit, scorpionis punctum sanat, viperarum et serpentum morsus curat, et omnibus venenatis contrariatur. Et nisi divina providentia sic ordinasset, nemo in magnis et antiquis navibus manere posset. Magnum etiam taedium est peregrinis in stratione lectulorum sero, et mane recolligatione. Mane enim lectulum cum linteaminibus, cervicalibus, et tegumentis quilibet colligat fune, et ad clavum super caput suum in pariete navis infixum suspendit, ut per diem sit ibi liber transitus, et sero iterum deponit et resolvit, et sibi sternit: et hoc habet magnam fatigam. Galêatarum infidelitas et rapacitas molesta est peregrinis, quia de nulla re securi sunt, quidquid galêota apprehendit, hoc rapit. Ideo prohibitionem habent galêotae, quod nullus audet in carinam descendere ad cumbas peregrinorum, nec vocati a peregrinis ausi sunt descendere.

Avisamenta, a quibus se debet peregrinus custodire et cavere in mari navigans.

Peregrinus terrae sanctae non solum debet cavere, ne sit vitiosus animo, et ne animae pericula incurrat: sed etiam ne sit incircumspectus, ut non incurrat vitae et corporis sui damna. (**55 A**) Ideo hoc in loco ponere volo avisamenta peregrino, mare tansfretanti, necessaria: non quidem illa, quae pertinent ad medicorum considerationem, sed ea, quae spectant ad amicorum ammonitionem, et quae experientia didici. Communiter enim medici suadent peregrinis, ut caveant a fructibus, a potu aquae, ab aëre marino, a piscibus; et contra calores haec conferunt, et contra frigora illa ministrant: contra sitem et contra constipationem, et contra ventris nimiam laxationem diversa remedia tribuunt: et contra vertiginem et ad promovendum appetitum, et contra venena: et alia multa dant et suadent navigare volentibus; quae certe salubria et bona sunt, et medicis sequelam in his praestare rationale est. Hoc tamen fateor me vidisse: novi quosdam peregrinos, qui tanta diligentia et studio mandata medicorum servabant, quod nihil

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nisi suasa a Medicis sumere aut facere ausi fuerunt, et tamen debiles et miseri in peregrinatione facti, aliqui mortui fuerunt. E contrario alios vidi, qui omnia, quae placebant, in mari et in terra comedebant, bibebant, faciebant, nullam diaetam servabant, et mensuram nonnunquam excedebant, et cum his omnibus nunquam decumbebant, semper laeti et semper hilares manebant. Sed haec non scribo, ut innuere velim, quod primi propter curam medicinae mortui fuerint, et secundi propter intemperantiam in vita servati, sed ut videatur incertitudo fortunae: et committat se primo peregrinus Deo, et deinde medicis temperate. In aliis servet sequentes cautelas: caveat se peregrinus, ne se mari profundo immittat balneando, quia multiplex periculum ibi est, etiam bene natare scientibus. Cautus etiam sit in navi iens de transtro ad transtrum, ne cadat, quia ubique casus est periculosus in navi, et semper cum bona deliberatione descendat et ascendat ad locum cumbarum vel stantiarum. Ego ipse feci duos casus per eosdem gradus; non mirum, si in frustra fuissem dissolutus. Post quos nunquam nisi cum deliberatione et cautela descendi vel ascendi. Vidi etiam aliquos ibi cadentes paene extinctos. Praecipue eundo ad locum secretum sit circumspectissimus, quia descensus ad eum est periculosus, et super margines incedens non confidat funibus, nisi concutiat eos manibus et bene tensos esse probaverit, si enim funis sequeretur tenere volentem, caderet in mare. Caveat etiam peregrinus, ne pauperes galêotas spernat, et offendat, quia in casu possunt sibi fieri necessarii, et utiles et similiter plurimum nocivi et praejudiciales. Gerat etiam se ad caeteros omnes de navi, ne sibi concitet inimicitias; valde poenale est, habere inimicos in navi. Vidi ego quendam superbum peregrinum, qui sprevit plures, et offendit multos: hic ad miseriam deductus in galêa, illos quos spreverat, exorabat, et dum sibi aliqui (B) magis pii charitatis exhiberent officia, nihilominus sperni se suspicabatur, qui se merito spernendum meruisse noverat. Caveat peregrinus, quod non occupet locum alteri assignatum, nisi de ejus pleno consensu, nec supra nec infra. Circa malum est locus communis standi in die, sed in nocte nullibi nisi in stantia sua. Nam quando quis nocte alium petit locum, quam

cumbam suam et hoc frequenter facit, eum non noscentes furem suspicantur. Si autem omnino propter causas manere in stantia sua non potest, ascendat et super onera, quae in marginibus galêae sunt, sedeat, pedesque contra mare dependere permittat, tenens se ad funes mali. Experentia multa de his docebit, quae homo in principio narranti vix crederet. Caveat peregrinus dum superius ad aliquem locum sedet, ne super funes sedeat, ne inopinate aëre mutato cum fune peregrinus projiciatur aut laedatur. Et nullo modo manu tangat funes, dum eos trahunt, ne sibi manus, aut digitus violenter eruatur, sicut saepe factum est: quia tractus illi sunt fortissimi et gravium ponderum. Consideret etiam peregrinus ne sedeat ad locum, ubi super eum dependent trochleae, et in casu arcus ipse aut graviter laedatur aut certe extinguatur, sicut contigit illi gubernatori, de quo fol. 16. B. dictum. Caveat etiam ne galêotis incipientibus currere ad labores impedimentum cursus praebeat, quia eum, si etiam nobilis multum esset, vel episcopus, trudunt et deorsum dejiciunt, super eumque procurrunt, quia labores navales sunt celerrimi et ignei, nec capiunt moram. Nec intromittat se de laboribus eorum, nec manum apponat pro adjutorio, quia non est eis gratum, et praecipue nocturno tempore non maneat superius cum eis existente tempestate. Caveat etiam ut caute sessum capiat, ne sedendo haereat, quia omnia sunt pice linita, quo liquato ad solis calorem, si aliquis desuper sedet, inquinatus recedet. Videat etiam ne causa solatii sedens super margines galêae, aliquid dilectum manu teneat, et sibi de manu in mari labatur. Cuidam nobili ibi mecum sedenti cecidit unum paternostrum de lapidibus pretiosis, quod sibi fuit dilectissimum et pro multis ducatis non dedisset, et irrecuperabiliter amisit. Sic mihi ibi sedenti et vigilias mortuorum legenti cecidit libellus de manu in fretum et periit, et multa sic labuntur de manibus incautorum, praesertim tempore ventornm pilei de capitibus. Caveat etiam peregrinus, ne nocte lumen sursum portet, quia marinarii hoc miro modo invite habent, nec sustinere possunt in cursu laborum eorum lumina. Ideo in tempestatibus cum industria omnia lumina extingunt etiam inferius, vel sub modio ponunt. Custodiat peregrinus res suas diligenter, et nec inter

notos eas jacere sinat, quia quam statim vultum avertit, evanescit: nec (56A) pecuniam in cista cumbae suae dimittat; sed inseparabiliter eam secum portet, et non confidat servis nec sociis. Est enim singularis inclinatio ad furtum in navi, etiam illorum, qui extra navim furtum detestantur, et praecipue parvarum rerum, ut panniculorum, cordularum, camisiarum, et hujusmodi, quae etiam socii sibi ipsis subtrahunt, quandoque, quia multiplex defectus in navi homini contingit, cui dum non potest obviare, providet sibi per phas et nephas. Ita dum quis scribit, si pennam deponit et faciem avertit, perdita est inter notos, et dum eam perdit, difficulter valde aliam, reperit etc.: de aliis rebus. Videtur enim in politia navali adhuc vigere lex vetustissima Aegyptiorum, quae furtum non vetabat, jubebat enim eos, qui furari volebant, nomen suum apud principem sacerdotum scribere, atque e vestigio furtum ad eum deferri. Similiter quibus res furto erepta erat, ad eundem rei sublatae tempus, diem et horam scribere tenebatur: hoc modo facile invento furto, quae remansisset, quarta multabatur parte, quae daretur furi. Satius legislator esse duxit, cum impossibile esset furta prohiberi, potius alicujus portionis quam totius (esse amissa) homines jacturam pati: ut habet Diodorus antiquarum historiarum lib. 2. cap. 3. Unde ad idem dicit Proverb. 6. v. 30.: non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit. Imo in veteri lege morti non plectabatur fur: ut patet Exod. 22. v. 1., sed in substantia mulctabatur. Nunc vero in statu perfectae legis vita privantur in communi hominum conversatione. Sed in navibus aliud videtur esse: innascitur enim navigantibus quidam furandi appetitus, praesertim in rebus parvis. In portubus caveat peregrinus, ne extra galèam exiens evagetur hinc inde: praecipue ad litora solitaria maris, ne subito rapiatur a piratis, et in perpetuam ac miserrimam servitutem redigatur, quod saepe fit. Novi ego quendam militem, qui solus repertus circa mare fuit, suis pecuniis et jocalibus spoliatus ad maenia civitatis per incolas. Caveat etiam ne domus ingrediatur ad nutus mulierum se vocantium, quia periculum magnum est, non solum honoris et rerum, sed etiam vitae. Quincunque vult honestati et probitati operam dare, et hanc sanctam peregrinationem mundam servare, non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

debet in portubus extra galêam dormire, sed advesperascente die redeat in galêam, ibique in cumba sua secure dormiat. Sunt enim hospitia in insulis maris lupanaria, ut patet fol. 15. a. Et nemo peregrinos theutonicos recipit in domum suam, nisi lenones; qui ut in plurimum sunt Theutonici residentes ibi cum scortis, quae tamen removent ad peregrinorum ingressum. Potest ergo religiosus bonus peregrinus per diem in domo manere cum aliis sociis suis, et ibi manducare, sed nequaquam dormire. Multa alia fugienda et cavenda docebit ipsa experientia. Nunc vero regrediendum erit ad persecutionem nostrae Evagationis.

Finit tractatus secundus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sequitur Tractatus tertius.

Continens Acta Peregrinorum Terrae Sanctae per mensem Junium, quo terminos Terrae Sanctae attigerunt.

(B) Junius mensis, dum primum diem suum inciperet, incepit et nostra maritima evagatio. Erat autem dominica prima post festum S. Trinitatis. Summo ergo mane die illo surreximus ante solis ortum, et cunctas res nostras in barcam magnam, quae ante portam domus hospitii nostri stabat, quam conduxeramus, portavimus. Et valedictis omnibus de domo in barcam descendimus, et per canale extra urbem venetianam navigantes ad Sanctum Nicolaum alliiu applicuimus. Et derelicto custode rerum in barca in ecclesiam ingressi sumus. Est autem ecclesiae illi grande monasterium annexum monachorum S. Benedicti. Et quaesivi sacristam, petens ab eo peramenta promissa, et ut de boccali boni vini provisionem faceret, praeter vinum sacrificii, et in altari collocaret. Indutus ergo sacris vestibus accessi et Missam de dominica legi praesentibus peregrinis. Post Missam vinum allatum in boccali benedixi benedictione S. Johannis Evangelistae, et Dominis meis peregrinis potum dedi, amorem S. Johannis pro felici et prospero successu. Quo devote peracto reingressi sumus in barcam, et extra portum venetianum navigavimus per medium duorum castellorum, quae claudunt portum illum. Stabat enim galêa nostra quasi per unum miliare extra portum in mari. Porro nobis navigantibus surrexit ventus nobis inutilis, et impedimentum praestitit, ita quod vix in duabus horis cum magna difficultate poteramus galêam attingere. Tandem autem cum ad eam venissemus, ascendimus per gradus, eamque plenam hominibus reperimus, et socios nostros, quos quatuor dies antepraemisimus, debiles invenimus, quia ex ventorum impulsu navis contrariis motibus agitata ad anchoras jacens eos debilitaverat. In nostro tamen aspectu laetificati melius habere coeperunt, et Dominis amaritudines maris, quas modicum valde gustaverant, narraverunt. Eodem die rogavit me quidam miles, ut secum in barca redirem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in civitatem, pro cista longa, quam sibi fieri fecerat ad cumbam suam, afferenda, super qua noctibus dormiret, quia dedignabatur jacere in terra, et stantia sua fuit in tali loco, quod in eo potuit cistam locare. Descendimus ergo simul in barcam et Venetias regressi sumus, et accepta cista eam usque ad galêam duximus cum difficultate, propter impedimenta venti: et tarda hora cum cista in carinam descendimus, et miles ipsam posuit ad cumbam suam cum gaudio putans se magnam quietem habiturum super eam. Sed si scivisset futura, nequaquam gavisus, sed inconsolabiliter turbatus fuisset. Nam super eadem cista miles ille dura (**57 A**) et horribili morte obiit: et fuit sibi non lectulus quietis, sed grabatum aegritudinis, et mare profundum fuit suum tumulum et coemeterium. Veruntamen non erat de societate mea, sed de alia quadam. Disposuimus ergo cumbas nostras cum lectulis ad quiescendum cum multo tumultu et labore et corrixatione, quia nondum assueti erant. Cum autem jam tenebrae essent, et omnia lumina extincta et omnes silerent; ecce ventus vehementissimus surrexit, qui navem agitans nobis pavorem et inquietudinem fecit. Sic ergo nobis jacentibus et silentibus et dormientibus in tenebris et timore inopinate quidam nobilis somnio horribili perterritus alta voce adeo terribiliter clamare coepit, ac si gladio perforatus esset; ad cujus clamores omnes in galêa expergefacti stupentes et in tenebris tumultuantes putabant militem latronis alicujus mucrone confossum, et surgentes nobiles gladios suos in tenebris quaerebant: alii ad fugiendum se parabant, timentes peregrinis esse aliquod malum paratum, et factus fuit periculosus tumultus in tota galêa inferius. Sed collateralis illius, qui clamaverat, rem intelligens clamavit voce magna, petens, ut quilibet se in locum suum reponeret, sicque nox ista transivit cum sua inquietudine. Et dominus patronus nondum galêam intraverat.

Secunda die Junii, ante ortum solis venit dominus patronus cum suis servis, et cum omni familia sua, ducens secum quosdam peregrinos, quos recenter in galêam acceperat. Inter quos erat quidam Flandrensis cum sua uxore intrans galêam. Ad ingressum autem illius mulieris multi turbati fuerunt, pro eo, quod ipsa sola erat in galêa, quia nulla mulier erat

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nobiscum, sed dominus Augustinus patronus alterius galêae omnes mulieres in suam galêam collegerat. Nec erat aliquis in nostra galêa, cui ingressus illius vetulae non displiceret, pro eo, quod una sola muliercula inter tot generosos viros commorari deberet, signanter cum satis vaga et curiosa primo aspectu videretur; et de facto sic fuit. Nam pro vero dico, quod VII illae vetulae, cum quibus prima vice transfretavi, ut habetur fol. 12. 4., quietiores fuerunt et rarius videbantur, quam illa unica anus. Discurrebat enim continue per navem, et curiosissima erat, omnia videre aut audire volens, et se multum odiosam faciebat. Maritus vero ejus videbatur vir honestus, propter quem multi tacuerunt: sed si ipse non fuisset, male illa stetisset. Omnibus erat spina in oculis haec foemina. Igitur cum jam omnes in galêa essent, et dies illuxisset, galêotae ad hoc deputati ornaverunt galêam, suspendentes septem vexilla serica et magna de castello puppis, et de keba dependentia deorsum, et ipsam kebam panno depicto circumducto ornabant. (B) Primum et principale vexillum fuit Dominorum peregrinorum S. sepulchri: et erat album cum rubea cruce de extremitate in extremitatem deductum. Secundum fuit Dominorum Venetorum S. Marci, etiam album cum rubeo leone mare anterioribus, et terram sub posterioribus pedibus habente. Tertium vexillum fuit S. D. Papae Sixti IV., aërei coloris, cum quercu virenti, glandes aureas habente, cum duabus apostolicis clavibus. Quartum fuit domini patroni, diversorum colorum et pulchrorum. Quintum fuit mixtum armis Venetorum et patroni: duo alia vexilla erant aequalia alba cum leone nigro. Galêa ornata incoeperunt navem aptare ad recessum, quia ventum bonum habebamus, qui ipsa vexilla in altum evexit, et inceperunt galêoti cum valido clamore anchoras extrahere et sursum in galêam trahere, et antennam in sublime cum involuto accatone erigere; et barcas sursum de mari galêae inducere, quae omnia maximis et durissimis fiunt laboribus et clamoribus, et in fine soluta galêa a tonsillis et explicatis velis ventoque impraegnatis et repletis cum ingenti laetitia a terra remoti sumus. Tubicines enim tubis concrepabant ac si jam ingressuri essemus praelium; et galêotae clamabant, et omnes peregrini simul cantabant: In Gottes

Nahmen fahren wir ꝛc. sicut habetur fol. 31. B. In his ergo galêa forti conamine sulcabat mare, et ejecta longius a portu venetiano ipsam urbem a tergo habuimus, a qua tanquam a carcere erepti laetantes recessimus, quia ad Jerusalem desideranter aspiravimus. In tantum autem vi bonorum ventorum navis impellebatur, quod infra spatium trium horarum nullos montes, nullam terrae petiam, nulla littora, nullam partem totius aridi videre poteramus, coelum et aquas solum prae oculis habentes. Adeo enim in alto maris eramus, in tam brevi spatio, quod etiam ipsas altissimas alpes supergressi, eis superiores effecti, nec ipsas, uti in profundo existentes, videre poteramus, objiciente se maris rotunditate. Extra mundi autem aspectum ejecti deposuerunt galêoti omnem navis ornatum, eamque ferialem fecerunt aptantes ad labores. Porro meridie transacto, cum comedissemus, vidimus ad sinistrum latus contra septentrionem montana Hystriae, quae est una natio provinciae Dalmatiae, et optabamus in eam applicare, ad portum parentinum, quia ventus prosper desierat flare. Non autem poteramus in Parentiam venire, sed praetergressi eam sumus, non tamen prospera navigatione. Sicque die deficiente, defecit (58 A) et ventus, et tota nocte mansimus sine profectione in instabili agitatione et inquietudine.

Tertia die aspirante luce factus est nobis ventus totus contrarius, et coacti fuimus nos vertere ad montana Hystriae, et cum magno conatu eripuimus navem a ventis contrariis, et ad montana appropinquavimus, inducentes navem in portum rubinensem, duobus miliaribus supra Parentiam, ubi alius patronus cum suis peregrinis erat. Portus autem ille Rubinae civitatis est quidem inconsuetus, sed est securus et pinguis. In ipso vero portu praestitit nobis patronus hanc gratiam, quod prandio nos refecit, quia hora prandii in eum venimus, quod tamen non tenebatur, cum in bono portu fuerimus, in quo nobis ipsis provisionem facere potuissemus. Finito prandio descendimus de galêa in barcam, et in civitatem nos duci fecimus, et in ecclesiam cathedralem ascendimus, orantes ibi Deum et Sanctam Eufemiam virginem, quae ibi honorifice in magna tumba marmorea jacet integra sepulta, quam tumbam ecclesiae praepositus nobis patefecit, et corpus sacrum ostendit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quomodo autem S. Eufemia de Chalcedonia sit huc translata, et qualis sit illa civitas Rubina, et de portu ejus, dicam in reversione. Mansimus ergo in oppido usque ad coenam, et hospitio conducto coenavimus in eo, et bene viximus, et post coenam remeavimus in galêam, sperantes nos in nocte recessuros. Sed ventus ille inutilis, non audeo dicere malus, mansit per totam noctem, et nobis eam inquietissimam fecit, et navem tonsillis et anchoris alligatam importune agitavit et nos multum indispositos reddidit.

Quarta die mane non erant venti prosperi, idcirco extra galêam navigavimus et ad ecclesiam S. Eufemiae transeuntes ibi Missas legimus et audivimus, et post divina cum nostro hospite manducavimus. Erat autem hospitium nostrum quaedam exilis domuncula, quam conduximus a paupere quodam, in qua cocus Dominorum meorum paravit pro nobis ea, quae emimus sibi ad manus. Sufficientia autem omnium ibi reperiebatur. Sed hospitia non habentur in illis partibus sicut apud nos. Et si etiam sunt aliqua hospitia, sunt tamen miserrima, non habentes nec ollas, nec sartagines, nec caldaria, imo non scutellas, nec cochlearia. Ideo in magnis civitatibus coguntur necessitate domini peregrini intrare loca publica et lupanaria, in quibus reperiuntur necessaria, ut dixi, et habetur fol. 15. etc. Multas miserias sustinent peregrini propter defectum hospitiorum; praesertim illi, qui non habent propria paramenta. Peracto prandio ascendimus barcam, et in quandam (B) insillam, id est parvam insulam, navigavimus, ad ecclesiam S. Andreae, quae in ea erat, et circa ecclesiam est parvum monasterium, in quo quondam fuerant monachi ordinis S. Benedicti, quibus locum deserentibus fratres minores intraverunt, et possederunt, et conventum pulchrum aedificaverunt, more ordinis eorum: et ipsam insillam plantaverunt, et quasi paradisum fecerunt: de qua ligna et alia necessaria possunt habere, quia humus insillae fertilis est et pinguis, sicut omnium fere insularum terra fructuosa est. Et quia saepissime in sequentibus mentio fit de insulis in hoc Evagatorio, id circo hic de iis in generali aliquid dicam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De insulis maris, et quomodo generentur, et quam bonae sint.

Insula est magna terrae petia, in mari super aquas elevata, de profundo consurgens, aquis undique circumdata. Insilla est diminutivum ab insula, et dicitur parva insula. Porro, si de mari consurgit terra dura et infructuosa, ut sunt montes petrosi et rupes, non dicuntur insulae nec insillae sed scillae et scopuli, quos Italici nominant scoyas. Dicitur autem insula, quasi in salo sita, idest, in mari: undique enim insula aquarum fluctibus clauditur, et tamen illaesa manet nec frangitur, nec dissolvitur, sed per repercussionem fluctuum potius solidatur. Sunt autem in omnibus maribus insulae. In Oceano Hibernia, Britannia, Anglia, Thanatos, Scotia etc. In mediterraneo, in quo nunc sumus, multae, ut patebit, et in pontico pauciores. Porro tantae bonitatis sunt quaedam insulae, ut fortunatae dicantur et nominentur, ut hoc suo vocabulo significent fere omnia bona, quasi felices et beatae fructuum ubertate. Sua enim aperte natura preciosarum poma silvarum parturiunt, fortuitis vicibus juga collium vestiuntur, ad herbarum vicem messis et olus vulgo est. Unde gentilium error, et saecularium carmina poëtarum propter soli foecunditatem easdem esse Paradysum putaverunt. Et hodie plures credunt Venerem in monte Veneris, qui est in insula Cypri, ducere vitam voluptuosam cum suis, cum qua canunt esse quendam dictum Tannhuser, de quibus habetur fol. 150. part. 2. Quomodo autem insulae generentur facile est videre. Siquidem cum mare per occultos gurgites et meatus subterraneos aquas mittit, et terram circumjacentem cavat per longa annorum spatia, et tandem, dum fundamenta, quibus terra sustentabatur, per aquae penetrationem sunt corrosa, tunc uno impetu mergitur tantum de terra, quantum per aquae corrosionem fundamentis privatum fuerat. Sic aliquando labitur tota terra adjacens, et una petra, cujus fundamenta corrodi non poterant, manet. Aliquando spatium terrae unius miliaris sicut insilla illa S. Andreae, aliquando ad spatium X. aut XX. aut centum miliarium (59A) remanet, caetera omnia per multum spatium merguntur, et pars remanens efficitur proprium regnum ab eo distinctum, cuius

aliquando erat pars. Ideo dicitur mare esse fur et spoliator regionum. Occulte enim subintrat, subitoque duas petias terrae regioni rapit, et in medium se ponens longe a primo aliud regnum efficit. Sic Siciliam Italiae abstulit et Cyprum Syriae, et Cyclades Macedoniae ac Graeciae. Et hanc insillam Histriae rapuit, eamque partem S. Andreae constituit, distinctam ab aliis terrae partibus. Rubina enim est in terra continenti, ita ut inde in Ungariam aliaque regna per terram transiri possit usque Jerosolymam, quamquam id cum magna difficultate fieri posset; et ab illa terra decisa est haec insilla modo praefato. De vulchana insula Siciliae dicitur, quod olim non fuerit, sed tempore Pompeii primo apparuit, quasi ex maris profundo se super aquam extollens. Cernis nunc, charissime lector, quam bene et convenienter libellum hunc Evagatorium nuncupaverim, in quo ab insilla minutissima deveni ad insulas maximas, Oceani et maris magni, et earum ortum et conditiones breviter expressi.

Igitur cum per aliquas horas in insilla praefata cum fratribus nos ducentibus circuivissemus, ad monasterium regressi sumus et cum fratribus collationem charitatis fecimus, quam dominus Johannes Truchsass liberaliter eis refudit in nostro recessu. In ipsa autem collatione cognovi unum de fratribus, quem videram in mea prima peregrinatione in monte Syon, ubi fuerat Vice-Gwardianus, et ipse etiam mei notitiam habuit, et charitative me suscepit, a quo certa avisamenta didici. Post collationem regressi sumus in barcam, et cum magna difficultate venimus in Rubinam, quia ventum contrarium in mari reperimus. Fecimus autem coenam in oppido, et deliberavimus manere per noctem extra galêam, et in scamnis dormire potius, quia graves noctes habuimus in galêa alligata anchoris et agitata ventis. Sed statim coena facta insonuit dominus patronus buccina, quod erat signum regressionis omnium in galêam. Hoc audito in galêam remeavimus. Eodem sero, ante solis occasum, levaverunt gubernatores anchoras, et solverunt galêam a tonsillis, et extra portum navigavimus: quamvis boni venti non essent in mari. Viderant enim a longe Augustinum cum sua galêa et timebant ne nos praecederet: ideo inutilem conatum fecerunt. Quam cito enim extra portum venimus, per inutilem ventum longius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuimus ad mare projecti, et sic in undis fluctuantes illa nocte mansimus satis inquieti.

Quinta die, manente eodem vento, inter fluctus eramus delati ad pessimum maris districtum, quem Cornerum nominant, in quo navigantes semper cum periculo versantur, quia mare ibidem velocissimo cursu contra Anconam tendit: et naves magna industria et vi a navigantibus teneri oportet, ne mare sequantur, quae tamen aliquando violenter rapiuntur, et in portum anconensem projiciuntur cum maximo discrimine navis et navigantium. In isto golfo existentes (B) vidimus montana quae dividunt fines Dalmatiae et Crawatiae a regno Ungariae, et Ungari, qui peregrinantur ad S. Mariam de Loreto, ibi mare ascendunt, et ad locum B. Virginis navigant. Sic ergo die illo parum navigavimus, et tamen in forti motu navis continue fuimus, et est bene mirabile apud non expertum, quod navi velocissime currente non navigatur, quod reputetur. Nocte adveniente invaluit ventus inutilis, et inquietissimam noctem habuimus, in qua plures de peregrinis debiles multum effecti sunt: ut capitis vertigo, et stomachi subversio, et gravis ac dolorosa evomitatio cunctis communis fuit: aliqui tamen debiliores aliis inde fuerunt facti. Porro tempestate invalescente, cum galèoti velum grande tenere vellent, et antenna jam erecta in altum supra kebam mali esset, alligata sibi involuto accatone, et cum ipsam antennam in alteram partem ruere sinerent, solutum est velum, et cecidit supra remos illius lateris, et cum ventus ipsum velum repente impleret, et sursum cum vehementia duceret, inhaesit velum remis, et navim adeo inclinavit ad illud latus, quod ipsa antenna aquam tetigit, et malus cum tota galêa in latus ruinam repentinam minaretur: propter quod factus est cursus magnus cum clamoribus superius, et nos inferius de lectulis nostris cecidimus in latus aliud, et patronus in puppi paravit se ad evasionem, scaphamque scissis funibus eiicere mandavit, ut in eam saltaret nave mergente: quod tamen peregrini inferius ignorabant. Si scivissent, intolerabilis tumultus ex festinantia fugientium ortus fuisset. Res tamen illa deo nos juvante cum pace fuit terminata, et ventus velum de remis tulit, navisque restituta fuit in suum solitum cursum. Si navis, prout in foribus fuit,

in latus eversa fuisset, nullus de peregrinis, qui erant in carina, mortem evasisset.

Sexta die adhuc manebant venti inutiles, et doluimus, quod de portu rubinensi egressi fuimus, et navem iterum ad montana convertimus, ut aliquem portum intraremus ad expectandum ventos secundos. Stant enim signa in montibus mari adjacentibus, quibus navigantes cognoscunt, ubi sint securi portus, et ad terram possit esse accessus, et nisi illa signa viderint, non audent cum magnis illis navibus terrae appropinquare. Viso ergo signo securi portus et accessus convertimus rostrum galêae nostrae contra montana, et inter parietes rupium venimus, et ingressi cum galêa in vallem portum securum ibi reperimus, et ejectis anchoris ad rupes navem alligavimus sicque eam stabilivimus. Est autem portus nihil aliud, nisi locus montibus et collibus circumdatus, in quo naves absque ventorum molestia stare possunt, nec tamen posset esse portus solum ratione securitatis, sed etiam oportet, quod mare ibi sit profundum; nec insuper requiritur ad portum, quod ibi sint hominum (**60A**) habitationes, sed sufficit, quod naves ibi possint stare securi a ventorum impulsibus, sive sit locus habitabilis, sive inhabitabilis. Portus enim ille erat in loco deserto in insulis Assaro dictis, qui locus per circuitum scopulosis et petrosis montibus erat cinctus. Prandio ergo in navi sumpto projici nobis scapham in mare postulavimus, et ad litus navigavimus, et pro temporis deductione per insulam deambulavimus. Stabant autem herbae odoriferae ibi: salvia parva nobilis sine mensura, et agnus castus. Transcursis autem aliquibus collibus venimus ad agros hordei, et laetati sumus sperantes prope aliquam villam esse, in qua panes recentes et ova emenda reperiremus: et procedentes per viam venimus ad quandam misserrimam domunculam, in qua erant pauperrimi homines Schlavi, nihil penitus in domo habentes, nisi quasdam radices, quas ad solem exsiccabant, et induratas terebant et molebant in farinam facientes, et panes de ea coquentes. De illo pane ministrabant nobis, sed erat insipidus et nigerrimus: nec erat aliqua alia habitatio in illa insula nisi ista. His visis ad litus maris ex opposito galêae nostrae reversi sumus. Multi autem extra magis taediosi fuerunt, quam in navi et illi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

reintraverunt. Porro ego cum quibusdam nobilibus mansi extra in litore, a quibus cum industria me subtraxi, et in montem solus ascendi ad circumspiciendum, et vidi non longe a me quendam in habitu ordinis praedicatorum currentem, cui mox in occursum properavi eoque salutato interrogavi, unde esset aut quo pergeret, sed pauper ille frater nihil mecum loqui scivit, nec latinum, nec italicum nec theutonicum, quia purus Dalmata sive Sclavus erat, et transivit ad galêam, ut mendicaret. Dimisso eo quaesivi mihi locum umbrosum et aptum, in quo me mundarem a vermibus tam albis quam nigris: et invento loco rejectis vestibus venari coepi. Sed me sic laborante sensi in cruribus magnam multitudinem pulicum parvorum et macrerum, reperi etiam vestimenta repleta pulicibus; propter hoc coactus fui nudus alium locum quaerere, et me tam ab illis alienis quam a meis mundare. Unde autem illi pulices ad locum illum desertum venerint, ignoro. Deinde ad mare descendi, et quendam galêotam reperi, carpentem herbam, quae de rimulis petrarum excrescit, quam dixit esse pro salutucio sapidissimam, et dixit quod nominaretur porcella. Et erat boni saporis salsa et acetosa sicut nasturtium, pinguior tamen e substantiosior. Et mirabar quomodo tam bona herba crescere poterat de petris sale respersis, quia totum maris litus est sale respersum, quod contingit, dum in tempestatibus aqua maris supra petras ejicitur, et post sol splendens eam aquam in sal decoquit, et sal naturaliter sterilem reddit humum. Haec autem herba contra omnium naturam ex sale crescit. Collegi ergo de ea ad portandum in galêam. Reperi etiam ramos de nobilissimo agno casto, de quibus accepi, ut ejus odore faetorem navis repellerem a cumba mea. De hac planta vide P. II. fol. 189. plura. De ea naturales et praesertim dicit (B) Albertus VI. Vegetab. Tract. 1. c. 5., quod arbusta illa agnus castus est vocata, eo quod ejus succus flores et folia sunt efficacia inducendo castitatem, quia sua caliditate desiccat humoris seminalis materiam et ventositatem genitalia ad libidinem extendentem. Idcirco Graeci sapientes hanc herbam in dominibus suis substerni fecerunt, ut castitatis honor in matronis eorum polleret. Et hoc fuisse documentum Pythagorae, quia haec planta solet hominem mitem et castum, ut agnum

reddere. Propter hoc sacerdotes Solis et virgines deae Vestae dicatae, quarum religio votum castitatis habebat, agni casti folia lectis et domibus suis substraverunt. Hujus plantulae notitiam a pueritia habui, quam Basileae accepi, quia habebatur in horto conventus nostri, quam quidam de partibus maritimis tempore concilii basiliensis plantavit in horto nostro. Et dicebatur, quod non posset transplantari, sed solum in loco, ubi ille posuerat, cresceret: quod non est verum, quia ego tempore, quo ibidem cursor extiti, unum palmitem discerpsi cum parte radicis, et ad hortum infirmorum posui, et crevit in magnam arbustam. Folia habet, quasi ut salix, sed sunt leniora et mollia, flores fert similes lavandro, ideo nominatus salix marina, et est odoris boni, acuti et sani. Multi tamen abominantur odorem ejus, nec possunt eum sustinere. Igitur in occasu solis redii in galêam, portans mecum porcellam herbam pro salutucio, et agnum castum pro odoramento et ornamento cumbae meae. Porro coenam communem neglexeram et ideo feci mihi salutucium de porcella, et eo refectus contentus fui. Nocte aspirante confortati sunt venti contrarii, et in tantum invaluerunt, quod etiam in portu existentes periclitabamur, et gubernatores aliis rudentibus navem stabilire cogebantur; quia procellae de alto maris accurrentes in scopulos nos circumdantes inpingebant, et usque ad nos pertingebant. Circa medium autem noctis fuit orta gravissima tempestas cum importuno vento, tonitruis, fulgure et magna pluvia, ita ut aquae ad nostras cumbas defluerent; et ita nullam requiem eadem nocte habuimus, et multum timorem, quamquam in portu fuerimus. Nam aqua ita importune allidebatur parietibus galêae, quod mirum est, quomodo lignum tantam impactionem possit sustinere.

Septima die nulla fuit dispositio pro bona navigatione, et ideo prandio paracto iterum sicut heri ad litus in barca educti fuimus, non quidem omnes, sed aliqui, quorum ego unus fui. Difficulter tamen et cum periculo poteramus de galêa in barcam descendere, quia mare fremebat, et barcam elevat, et dijiciebat similiter et galêam. Id circo non audebant barcaleri cum barca prope galêam accedere, ne ventus eam ad galêam allideret, et comminueretur. Elevabatur

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

enim a fluctibus in altum supra galêam, et rursum remergebatur in profundum ita quod de (61 A) galêa non poteramus eam videre, objicientibus se fluctibus. Si quis ergo illis temporibus de galêa in barcam vult descendere, vel de barca in galêam ascendere, oportet eum supra gradus galêae stare, et diligenter considerare, quando barca ita prope galêam sit, quod eam possit saltu attingere, non enim permittunt eam proprius accedere, et dum ita prope advenerit, statim oportet insilire, quia in momento, nisi saltaverit, iterum longius a galêa rapitur fluctibus, et dum in barcam saltaverit, non potest se in ea continere, quin cadat, vel in faciem vel in dorsum pronus vel supinus, quem inexistentes levant. Et illud est unum de majoribus et frequentioribus periculis peregrinorum quod quidem in principio durum videtur, sed postquam homo assuescit, opere facit, quod prius vix prae timore ausus fuit inspicere, vel cogitare. Vidi foeminas timorosas in principio, quae vix mare audebant inspicere, ita usu confortatas, quod jam de galêa in barcas audebant saltare. In principio quidem videtur homini, quod potius velit in galêa manens miserias sustinere, quam per tam periculosum saltum in bonum et solatiosum portum transire; sed quando homo multis diebus in navi tempestatibus et miseriis est conquassatus, et inedia extenuatus: dum venitur ad aliquem bonum portum, antequam maneret, quinque saltus periculosos subiret. Eadem autem difficultas est, dum barca ad litus venerit. Nam si litus est scopulosum et saxosum, non audent quovismodo mari fremente prope litus accedere, causa praedicta: ideo iterum oportet saltare, vel super scopulos vel in mare: et cum hoc oportet bene et caute observare recessum maris, quia dum adest, etiam scopulos altos operit; ideo sunt communiter aliqui servi in portubus, qui ad maris recessum currunt ad barcam, et eportant eos, qui volunt eis dare denarium, et festinant, ne mare accurrens eos inveniat. Haec et his similia multa videt mare transiens. Nunc ad propositum regrediar. Itaque ad litus perveni cum quibusdam peregrinis et galêotis, et fecimus in litore ignem, et per colles deambulavimus, et ita diem illum usque ad vesperas deduximus, et sero in galêam reversi sumus ad coenam victo periculo saltus de barca in galêam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Octava die, quae erat dominica 2. post Trinitatis, adhuc mansit aura caliginosa et ventus contrarius, facto autem prandio paene omnes in barca educti sumus ad litus, et ibi per devia montium et collium aliqui discurrebant; aliqui simul confabulantes sedebant et jocundum diem habuimus. Hoc enim incomparabile bonum erat in ista galêa, concordia, pax, et omnium peregrinorum amicitia et unitas, cujus contrarium fuit in galêa meae primae peregrinationis, in qua fuerunt irae, rixae, contentiones et multae maledictiones, ut patet fol. 14. B. Igitur cum sol ad occasum tenderet ad coenam in galêam reversi sumus, nec illa nocte (B) nos a loco movimus, quamvis rigor ventorum lentesceret.

Nona eduxit nobis Deus ventun de thesauris suis prosperum, bonum et nobis gratissimum: et levatis anchoris et solutis chordis, velis expansis ac vento commissis, statim ut educti extra portum fuimus in altitudinem maris ejecti sumus et ante meridiem ad Iadram civitatem Dalmatiae nominatam venimus. Ibi ergo dimissis velis et una injecta anchora et scapha in mare missa misit patronus servos in barca cum vasculis in civitatem ad efferendam aquam, quia aquae, quas tuleramus de Rubina, nobis defecerant: nec in insulis Assaro erat una gutta aquae potabilis. Noluit autem patronus, ne aliquis peregrinus educeretur, quia statim recedere intendebat. Nobis vero sic ibi stantibus, ecce dominus Augustinus cum sua galêa etiam venit, et nos praeterivit: longe tamen in maris alto eam vidimus repente ventum prosperum sequentem. De hoc nostri gubernatores turbati fuerunt, quia omnino proposuerant et conatum ad hoc adhibuerant, quod eum semper vellent cum nostra galêa antecedere, usque ad terram sanctam, sed ibi propositum suum annihilatum fuit. Aqua autem in galêa adducta statim secuti sumus Augustinum navigantes via multum solatiosa, in qua ab utraque parte habuimus villas, castra et terram fertilem, et venimus ad veterem Jadram, cujus ruinas grandes vidimus et ita adjuvante nos vento satis longam viam illo die fecimus. Verum in occasu solis siluit ventus noster bonus, et quidam alius nobis inutilis ei successit, cui navem accepimus, et eam ad montana convertimus, ne nos longius a semita nostra deduceret. Et ingressi montana in quodam portu

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deserto navem stabilivimus: noctem vero tempestuosam et terroribus plenam habuimus, propter aëris intemperiem, fulgura et tonitrua, quae navigantibus magis sunt molesta, quam in terra degentibus. Et dicebatur portus ille Oneum et est Crawacia, quae est una natio Dalmatiae.

Decima die non erat ventus nisi inutilis mane in ortu, et desperavimus nos illo die posse ab Oneo recedere. Verum post duas horas mutatus est ventus, et soluta galêa eam remis extra portum eduxerunt. Reperimus autem extra in mari ventum non multum nobis utilem lateralem, qui circumduxit nos usque post prandium. Quo peracto advenit ventus felix, validus et prosper, qui repente navem cum impetu per rectas maris semitas duxit. Sed ut fortius curreret, traxerunt galestreli trinketum supra kebam mali, et supra antennam ipsam ad collum kebae suspenderunt. Insuper et cowertam, hoc est, opertorium navis acceperunt, quo suis temporibus tota galêa a prora usque ad puppim operitur contra calores et pluvias, et sub polistrelo accatonis expanderunt per latitudinem galêae, de uno latere ad aliud oppositis malo, et omnem ventum puppalem possibilem retineri in adjutorium cursus nostri captivaverunt, et ita cursum valde velocem fecimus, et pertransivimus (**62 A**) Lesinam civitatem et Cursulam et multas alias, de quibus in reditu Deo donante dicam. Duravit autem ille felix ventus et optatus cursus noster illo toto die, et sequenti nocte, in qua quietissime dormivimus. Repente enim et dulciter ferebamur, quia galêae cursus non erat obliquus, sed directe currebat, et dormitionem promovebat. Quando enim ventus est prosper omnino et non nimis importunus, vix potest percipi motus ejus ab his, qui in carina sunt, quia currit quietissime, sine claudicatione, et tam peregrini inferius quam galêoti superius quiete dormiunt et omnia in silentio sunt: dempto illo, qui speculatur maris stellam, et illo, qui clavum gubernaculi tenet, de quibus fol. 47. Hi enim quodammodo applaudando felici cursui et fortunae bonae auram et ventum salutant, Deum et b. Virginem et Sanctos laudant, et sibi invicem respondent, nec tacent, quamdiu cursus directus est. Ad illum cantum si qui essent in navi, qui alias dormire non possent, de facto obdormirent,

sicut pueri inquieti plorantes ad cantum matrum obdormiunt, qui in silentio flerent, et magis quiescunt ex eo, quod cantu sentiunt matrum praesentiam, quam propter suavitatem cantus. Ita et peregrini magis quieti sunt ex eo, quod cantu prosperum et directum navis cursum intelligunt, quam propter ipsum cantum; non enim aliter vociferantur, nisi sicut vigiles civitatis ulmensis, qui nocturnas horas pronunciant, quae pronunciatio neminem a dormitione impedit sed multos inquietos dormire facit. Porro in tempestatibus, quando sunt venti validi et prosperi, tunc importune et cum inquieta agitatione currit navis velocissimo cursu in tantum, quod sagitta de balista aut arcu emissa non potest aequari cursui navis. Hoc galêoti saepe ad oculum demonstrant, ponentes se ad puppim cum arcu et contra proram jacientes: sagitta retro manet et navis antecurrit. Tanto enim impetu ventus trahit velis navem, quod aqua maris videtur contra proram currere, et prorae rostrum videtur in contraconantem amnem impetuosissima sulcatione conari, ita quod aqua nonnunquam supra cornua prorae elevatur; ita fortiter enim aqua contra puppim currit, quod etiam saepe usque in domini patroni tabernaculum insilit, et cum hoc ventus vela implet, et ita fortiter trahit, quod videtur aqua contra galêam currere, et tamen notum est, quod ventus prosper est in puppi, et vadit nobiscum, imo nos trahit secum, et ipsum mare nobiscum currit. Adeo tamen fortiter, ut dixi, ventus navem impellit, quod aqua videtur contra proram currere, quae tamen in veritate contra puppim currit tanta celeritate, quod vix visus potest ipsum mare comitari. Imo mihi videbatur, quod sagitta emissa non posset cursui maris contra galêam advenire, cum tamen galêa in decuplo fortius currat, quam ipsum mare. Paene incredibili celeritate in tali maris et aëris dispositione naves currunt. Credo enim quod in tempestate prosperae navigationis in una die et nocte tantam viam faciat, quantum est inter Coloniam et Venetias iter (**B**). Nam dum navis lento transitu progreditur et quasi pro nihilo transitus reputatur, non est equus adeo velox, qui posset tantum currere, quantum potest navis lente transire, et quando paene nihil transit, nullus cursor posset cum ea coaequare cursum, dum solum serpit. Verum

quandoque contingit, quod vix movetur et omnino subsistit, et hoc navigantibus molestum valde est ut habetur fol. 44. Nos ergo ista nocte sic repente, sine tamen tempestate navigantes magnum processum fecimus. Interea obiit quidam miles nobilis de Holandia, cui persolvimus officium funeris modo supra dicto folio 51., eumque in maris profundo sepelivimus.

Undecima die, quae est festum Sancti Barnabae Apostoli, cursu nostro prospero profecti sumus, percurrentes civitatem Ragusinam totius Dalmatiae et Sclavoniae caput, de qua in reditu dicam. Et vidimus illo die terminos regnorum, ubi scilicet principatus Dalmatiae et Illyrici, et ducatus Albaniae et Moreae sive Achajae, et regnum Ungariae, et regnum Bosniae et Macedonia Graeciae se contingunt. Omnia enim ista ad oram maris se extendunt, et faciunt finem Christianitatis contra septentrionem, quia Turcus Achajam, Albaniam, Bosniam et Macedoniam possidet. Solatiosum ergo diem habuimus, et ventum bonum et pulchrum ab omni parte aspectum. Piscabantur autem galêoti hoc die, quia viderant infinitam piscium magnorum multitudinem, quos non aliter capiunt nisi cum cuspide tribus acuminibus acutissimo. Stant enim supra margines galêae et piscem visum repente perfodiunt, et educunt, et multos quidem vulnerant, sed paucos captivant. Circa vesperas remissus factus fuit ventus noster, sed sole occidente factus fuit fortis ut prius, et noctem prosperam habuimus, et viam magnam perfecimus.

Duodecimo die navigantes prospere longe a terra in mari eramus et vidimus Scodrum civitatem, quam nominant Scutarum, quam Veneti anno praeterito Turcis tradiderunt, ad redimendum vexationes eorum, et venimus ex opposito Duracii, quae est nunc Turcorum civitas magna, in cujus loco Constantinus Constantinopolim decreverat fundare, ut dicam in reditu. Venimus etiam ex opposito urbis Lavilone, juxta quam fluvius de Turcorum terris egreditur et in mare funditur, per quem fluvium Turci de penetralibus terrae suae in mare vehuntur ad faciendas praedas in Christianos. Illo toto die captivavimus ventum per omnia, sicut supra die 7. fecimus. Et sole occidente invaluit ventus bonus, et partem velorum remisimus, ne nimis repentina nocturna navigatio fieret, et

fuimus illo sero valde laeti omnes jubilantes, cantantes et fistulantes usque ad tenebras. (**63A**) Et per totam noctem optatum habuimus ventum.

Tertia decima die in crepusculo invaluit ventus et factus est fortior et aliter mutatus. Gubernatores ergo vela etiam mutaverunt, in revolutione autem antennae navis in partem unam repente inclinata fuit, et peregrini quasi omnes adhuc in lectulis jacentes, de lectulis suis lapsi fuerunt, et fuit magnus terror in carina, sed superius nullum erat periculum. Porro orto jam sole vidimus ad partem sinistram insulam Corziri, quam Corphun nominant, quae est principium Graeciae, de qua dixi fol. 13. et ejus descriptio habetur fol. 184. part. II. Hanc insulam repente posttergavimus, quia pestis in ea grassabatur, et progressi mare epyroicum ingressi sumus, et a latere dextro Apuliam habuimus et Siciliam. Illo die felice cursu multas Turcarum insulas postergavimus et transcurrimus. Sole autem occidente conticuit ventus noster prosper et illa nocte paene nihil navigavimus, de quo turbati ideo fuimus, quia dominica instabat dies et sperabamus nos futuros in ea Metonae pro Missarum audientia, sed diabolus hoc non libenter admittit, ut dixi fol. 50. B.

Quarta decima die processimus via nostra et montana Achajae vidimus, ubi prope civitas Patras est, in qua S. Andreas crucifixus fuit, et orto sole stetimus nullum ventorum adjutorium habentes. Post prandium advenit ventus tepidus, qui galêam tarde serpere fecit contra Metonam, quam Modon nominant civitatem, ad quam venire desideravimus. Advesperascente die venit ventus bonus et fortis, et nos ab aspectu insularum Samafrae tulit, et ad montana Moreae in regionem Carenzae delati sumus et inde in Belventor venimus. Et cum sero factum esset, vidimus ad sinistram Archadiam regionem Turcorum valde bonam. Et ad dextram vidimus insulam quandam sine montibus, quam Strivale nominabant. In hac insula habitant monachi graeci regulae S. Basilii, quos Turci nunquam valuerunt inde ejicere, cum tamen multos conflictus cum eis habuerint. Mox enim ut Turci veniunt, monachi cum armis suis erumpunt, et cunctos contra se venientes in fugam convertunt: hoc totiens fecerunt, quod Turci contra eos

amplius venire non audent. Contra illam insulam processimus, eam tamen, dum prope essemus, ad sinistram dimisimus. Porro dum jam nox esset, cessavit noster bonus ventus et illa nocte parum fecimus de via.

Quinta decima die, quae fuit dominica 3. post Trinitatis, et festum Sanctorum Viti et Modesti, idum aspiraret sol, inceperunt galêoti remis galêam trahere, quia venti non erant contra portum (B) urbis Metonae, a quo non nisi per unum miliare almanicum eramus, et cum magnis laboribus circa horam VIII. ante meridiem in portu eramus. Statim autem in scapham descendimus, et in civitatem navigavimus, et in ea peregrinos domini Augustini invenimus. Duxi autem Dominos meos et alios peregrinos ad ecclesiam fratrum Praedicatorum et ibi missam audivimus dominicalem. Prior vero loci et alii fratres optime me noverunt, ex prima peregrinatione. Porro finita missa ingressi sumus domum furnorum, ubi paximates vel paximacii coquuntur pro navigantibus, in qua domo habitat quidam theutonicus senex, et ibi prandio parato cibum sumpsimus. Caeteri vero peregrini ad domum dominorum theutonicorum transierunt, et ibi sibi provisionem fecerunt. Post prandium moenia civitatis ascendimus, et super ea circuivimus, et in expugnabiles ejus munitiones mirati sumus. Non enim est insula, sed terra continens, Turcorum terrae continua, de qua plenius dicam in reversione. Porro galêa domini Augustini etiam erat in portu illo et omnes peregrini sui in civitate, et habuimus simul jocundam et bonam societatem, quod tamen patronis displicuit, quia putabant, quod sicut ipsi discordiam et inimicitias adinvicem habebant, quod et nos eodem veneno deberemus esse infecti, et a mutua conversatione fugere: sed non curavimus, et simul comedimus et bibimus: eosque in nostram galêam videndam, et ipsi nos in suam, induximus, et ita simul diem usque ad vesperas deduximus, cum laetitia gaudentes, quod in medio viae maris convenimus. Nam Metona civitas dicitur esse in media via a Venetiis usque ad Jerusalem. Porro circa vesperas ambo patroni insonuerunt buccinis vocantes peregrinos in galêas. Signo ergo audito omnes in galêas remeavimus. Eodem sero Augustinus cum suis peregrinis recessit;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sed nos usque in crastinum in portu mansimus: hanc civitatem describam in reditu meo.

Sexta decima die ante plenam lucem traxerunt galeotae navem remis extra portum usque ad cornu montis, et ibi vento navem commisimus, et mare maleum ingressi sumus, pertranseuntes civitatem Coronam in rupe sitam. Post meridiem flare coepit ventus fortis, et festinanter processimus ad radices Maleae sine contrarietate et per promonctoria ejus sine difficultate navigavimus, quod tamen raro contingit. Semper enim occurunt in loco illo difficultates et pericula, ut patet fol. 170. partis secundae. Per totam autem noctem cum illo vento processimus pertranseuntes scyllas et scopulos multos in tenebris cum bona fortuna. Valde enim difficilis est navigatio in illa regione maris, quando venti prosperitas non arridet. (64A)

Decima septima die vidimus insulam Cretam, sive Candiam aut Centapolim. Porro post meridiem factus est ventus remissus et sine profectu in fluctibus nunc huc nunc illuc volvebamur, nec Cretam illa die adire poteramus. Alius autem patronus Augustinus dimissa Creta de Malea in Cycladum insulas navigavit. Noster vero patronus Cretam praeterire noluit, quia visitare dominum patriarcham constantinopolitanum, qui archiepiscopatum cretensem tenet, voluit. Idem enim Patriarcha erat venetianus, et pater ac genitor nostri patroni: quare declinare ad illam insulam decrevit. Sed ne peregrini ocasionem contra eum murmurandi ex hoc acciperent, exposuit illo die unum sericum pannum, atlas dictum, VI. ducatorum, ut pro eo luderent cum chartis. Hunc pannum lucratus fuit Dominus Beer de Hohenrechberg, unus de Dominis meis. Et fuit die illo magna saecularis laetitia in galêa propter ludorum varietatem. Nam omni die fiebant magni et criminosi ludi a nobilibus in navi cum chartis et taxillis, et nunc ille perdidit, nunc iste lucrabatur, et erat dissolutio magna in ista galêa, sine tamen contentionibus. Novi quosdam juvenes nobiles milites, qui tantam pecuniam secum attulerunt, quod cum ea ad Sanctam Katharinam pergere intendebant, et sufficientiam ad hoc habebant. Sed maledicto ludo interveniente ad inopiam et defectum venerunt, ita quod non poterant habere expensas usque in Jerusalem; nisi socii eis concessissent, sine militia

ad propria remeassent. In diebus festivis, dum verbum Dei in galêa facerem, multum et terribiliter contra illos lusores clamavi, aliquos Dei gratia averti; aliquos vero magis duros reddidi: qui cottidie a mane usque sero ad tenebras sederunt ad lusum habentes in mensis ante se L. LX. C. aut CC. ducatos, quas ad unum ludum exponebant. Illo ergo die fuit laetitia magna licet stulta in societate mea, propter illius panni serici lucrationem.

Decima octava die post ortum solis habuimus ventum tenuem, qui contra Cretam paulatim navem nostram movit. Circa meridiem vidimus quandam armatam galêam non longe a nobis in mari vagantem, quam nostrae galêae armiregio sic ad se vocavit. Emisit contra eam bombardum, cujus sonitu audito illi, qui eam gubernabant, proram statim converterunt ad nos, et remis eam usque ad nos traxerunt: et injecta scapha in mare patronus ejusdem galêae et armiregio ejus ascenderunt ad nos in nostram galêam et colloquebantur quam diu cum nostro patrono et gubernatoribus. Nam et ipsa galêa S. Marci de Venetiis erat sicut et nostra. Est enim illa consuetudo maris, quod quando duae galeae vel plures se conspiciunt, illa, quae principalior vult esse, aliam modo praedicto advocat. Si venetiana galêa est, major vocat minorem, et oportet ut minor compareat. Si non est galêa venetiana, si venit, dum vocatur, bene: si non venit, statim movet se illa, quae vocaverat, contra eam omni conatu; et committere cum ea bellum festinat, (B) disponens bombardas, arcus, balistas, et jacula, quod alii cernentes si timent, remittunt velum in signum subjectionis et amicitiae. Si non remittunt velum, signum est quod volunt reniti et rebellare, et tunc ab utraque parte ad congressionem se disponunt. Advesperascente itaque die in Cretam venimus, et hospitium quaesivimus pro coena, sed non aliud hospitium invenimus, nisi quod pudet dicere prostibulum, quod regebat quaedam mulier theutonica, magistra domus, ad quam ducti fuimus, quae moxut ingressi fuimus, omnes nobiles, sacerdotes et religiosi, domum mundavit, eamque cum omnibus cameris nobis assignavit. Erat autem mulier illa urbana et reverentialis, et discreta, et omnia nobis necessaria procuravit abunde, et habuimus gloriosam coenam cum vino cretico, quod

no malfasetum dicimus. Et reperimus ibi uvas maturas illos die albas et nigras et in abundantia. Quia autem ventus bonus erat, dictum fuit nobis, quod in nocte recessuri essemus, ideo coena peracta in galêam reversi sumus et noctem in ea egimus.

Decima nona die, quae est Gervasii et Protasii, cum surrexissemus et recessum speraremus, vidimus quod galeotae eportaverunt de navi in civitatem suas merces ad forum, ad venditionem exponendas. Hoc viso intelleximus galeam non profecturam, statim et in barca ad litus reducti civitatem intravimus, et ad Praedicatores Missam audivimus. Post Missam ad hospitium nostrum transivimus et prandium bonum habuimus; facto autem prandio per ecclesias et monasteria civitatis transivimus, et reliquias deosculati sumus, de quibus omnibus in reditu clare dicam. Advesperascente die per tubarum voces revocati sumus in galêam, et cum in eam venissemus, cessavit ventus bonus, qui tota die flaverat, et mansimus per noctem sic in portu cum taedio et murmure et impatientia.

Vicesima die ante lucem cum magno labore eduxerunt galêam extra portum cretensem et per tepidum ventum delati sumus ad Standiam insillam. Sunt enim Candia insula et Standia insilla ex oppositio sitae, et stabamus in medio earum sine profectu. Circa meridiem autem venit ventus recens et bonus, et tulit nos de mari cretico in mare aegeum ad insulas Cycladum, in quibus ferebamur hoc die et nocte sequenti.

Vicesima prima in medio Cycladum eramus, conantes contra Rodum insulam, quae prima et caput insularum Cycladum est, a parte orientali. Circa meridiem ex circulo Cycladum ejecti sumus in regionem, quae dicitur Napulia, quae regio est prima, quam Turci obsederunt. Post longam enim orbis evagationem (65A) in hanc regionem venientes interfectis habitatoribns ejus et oppressis ibi regnare coeperunt. Ex hac regione totam Asiam minorem Christianis ablatam sibi subjugaveruut. Igitur transacta meridie ventus paululum desiit ad horam: sed postea fortior a Napulia nos contra Rodum duxit, et celeriter ad montana Rodi ascendimus, contra Colossum civitatem, principalem insulae. Interea sol occidit noxque nos comprehendit, antequam in portum

colossensem veniremus: beneficio tamen luminis lunae adjuti navigavimus usque in ipsum portam et ibi nave stabilita per noctem quievimus. In ipso autem portu reperimus galêam domini Augustini, qui cum suis peregrinis in civitate erat.

Vicesima secunda die, quae fuit dominica 4. post Trinitatis et festum decem millium Martyrum, obtenta licentia a magistro magno militum Ierosolimorum, sine cujus expresso consensu nemo ingredi civitatem permittitur, egressi sumus de galêa et colossensem civitatem, quam Rodum nominant, intravimus. Ascendimus autem in castellum dominorum in ecclesiam S. Johannis et ibi dominicale officium audivimus. Finita missa advenerunt domini Johannitae, nobiles de Alemannia, ad Dominos meos, et eos ac nos omnes cum multa reverentia et laetitía susceperunt, et reliquias ostenderunt: et post hoc nobis in domo quadam honesta optimam provisionem fecerunt, et ibi pransi fuimus. Infra prandium dominus Augustinus cum suis peregrinis recessit. Quod videns dominus Piro Lando, noster patronus, tuba cecinit, nosque in galêam revocavit, et festinanter processimus ad galêam. Dereliquimus tamen in civitate quosdam bonos et probos milites, qui infirmi facti ulterius non poterant procedere: inter quos erat dominus Jerotheus de Ratzenhusen et quidam Johannitae, qui de Venetiis nobiscum venerant, et fideles ac jocundi socii nobiscum fuerant, de quorum amissione omnes turbati fuimus. Valde enim socialis et jocunda familiaritas contrahitur in navibus, sicut in studiis et in balneis, et separatio sequens est poenalis. Remansit etiam unica mulier, quae nobiscum erat, quia extra civitatem ad quandum ecclesiam evagata fuerat, non existimans, galêam hoc die recedere. De illius autem mulieris nemo tristis erat absentia, nisi maritas ejus, quia fecerat se ultra modum odiosum suis fatuis locutionibus et curiosis indagationibus rerum inutilium. Erat etiam quidam pauper, quem patronus Dei amore usque huc duxerat, sed amplius eum ducere nolebat. Ille stetit in littore plangens et ejulans, quod non posset venire in Ierusalem. Cui Domini mei miserti eum in galêam susceperunt, et de expensis provisionem fecerunt. Quendam alium socium de partibus nostris egentem, qui etiam

non poterat ulterius procedere, susceperunt, provisionem ei facientes. Ita ergo eodem sero recessimus inde (B).

Vicesima tertia die, quae est vigilia S. Johannis Baptistae, fortissima navigatione processimus, et nocte praecedente ita repente navigavimus, quod mane nullam terram vidimus, sed solum mare adriaticum et carpaticum. Cumque sol occubuisset et jam tenebresceret, disposuerunt se marinarii nostri ad faciendum ignem S. Johannis in galêa, et hoc modo fecerunt: acceperunt ultra ultra XL. lucernas de ligno et cornu perspicuo factas et impositis accensis luminibus suspenderunt eas, unam post aliam ad longam chordam vel funem; cum lucernis accensis sursum ad kebam traxerunt, ita quod lucernae ardentes a keba usque ad transtra dependebant et totam galêam illustrabant. Ad hoc spectaculum omnes de prora et puppi et de carina et de penetralibus galêae ascenderunt et circum circa steterunt. Et inceperunt trumpetae sive tubicines tubis canere, et galêotae et caeteri marinarii cantare, jubilare, chorizare, saltare et manibus plaudere; ex hoc omnes circumstantes moti clamore laetitiae et plausu manuum singuli gaudebant ob reverentiam beatissimi praecursoris Domini. Ante hunc ludum non vidi practicam de gaudioso manuum plausu, ad quem inducit psalmus, psalm. 46. dicens: Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Domino etc., nec credidissem, quod communis plausus manuum multorum hominum simul factus ex laetitia tam vehementer movere posset humanum animum ad gaudendum. Facta est ergo laetitia magna in galêa et duravit quasi usque ad medium noctis, et cum omnibus his fortis et veloci ac tranquilla navigatione processimus via nostra. Deinde ad dormiendum nos collocavimus omnes tam peregrini quam nostri marinarii, et navem sequi ventum permisimus, cuitamen nunquam ita confidendum est, ut humana industria et custodia cesset, cum in ictu oculi mutari possit, ut patebit.

Vicesima quarta, quae est festum S. Johannis Baptistae, mane vidimus Cyprum, cujus tamen aspectus perturbavit rectores galêae, quia viderunt, se multum a recto maris tramite declinasse, et verum iter per obdormitionem amisisse: nimis enim ad laevum fuerat galêa projecta; et si non dormivissent rectores, hoc mane in aliquo portu Cypri optato galêa

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

stetisset. Quapropter facta est contentio et indignatio inter patronum et gubernatores: et rectores inter se concertabant, et galeotos inculpabant. Avertebant ergo galêam a coepto itinere ad dextram, et circa vesperas ad veram maris semitam revenimus. Sed mox ut semitam apprehendimus, siluit ventus et paene nihil illa nocte navigavimus. (**66 A**)

Vicesima quinta venimus ex opposito antiquissimi portus Cypri, qui dicitur Paphum, de quo habetur Actuum 13. v. 6. et 13., circa quam vidimus montem Veneris, ut dicam in reditu, et tarda erat nostra navigatio usque ad meridiem. Meridie venit bonus ventus, qui tulit nos inde, et repente pertransivimus ad latus regni Cypri portum limonnicensem et biscopiensem, et circa vesperas ad salinensem portum applicuimus et navem anchoris et tonsillis alligavimus. Statim autem dominus patronus cum suis famulis educi se fecit ad litus, et ibi conductis equis in Nicosiam civitatem et caput regni Cypri ad reginam equitavit, visitare volens uxorem suam, quae cubicularia reginae erat. De hac civitate dixi fol. 16. A. et ejus descriptio habetur fol. 143. B. P. II. Cumque dominus patronus recessisset, stetimus nos peregrini supra galêam terram respicientes, et ego stabam cum eis, dicens mecum stantibus de portus illius sterilitate, et conditiones illius regionis, quia in priori peregrinatione multis diebus ibi fueram. Ostendi etiam dominis peregrinis loca terrae, quae novi: et inter alia ostendi eis montem S. Crucis, qui est altior mons totius regni cyprii, et in ejus cacumine est ecclesia, in qua pendet crux dextri latronis cum Christo crucifixi, et dixi Dominis ea, quae referuntur de illa cruce, ut patebit. Cumque Domini mei, et alii peregrini starent et mirarentur de illa cruce, et montem respicerent, qui quinque theutonicis miliaribus a nobis distabat, dixi eis: ecce charissimi socii, dominus patronus intravit Nicosiam, et cras de sero vix revertetur, et ante ejus reditu recedere non possumus, et cras longissimam et taediosissimam diem habebimus: nunc igitur si quis vult mecum proficisci ad montem sanctum, veniat ad puppim, et visitabimus crucem sanctam, et die crastina tempestive hic erimus. Et his dictis processi ad puppim, et multi nobiles sequebantur me, putantes me joco illa dicere et facere. Conduxi ergo in puppi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

famulum, cui nota erat via ad sanctam crucem promittens ei marcellam a quolibet sibi dandum mecum ituris, conduxi etiam barcalerum, qui nos ad litus educeret. Videntes autem nobiles, non esse jocum quod gerebatur, abierunt omnes de mea societate retrorsum. Mecum tamen manserunt hi peregrini:

Dominus Hainricus de Schowmberg nobilis miles, vir audax.

Dominus Johannes Presbyter, archidiaconus transsylvanus, vir devotus et doctus.

Dominus Caspar Siculi, miles, vir juvenis audax et strenuus.

Dominus Burchardus Nusdorffer, miles, vir bonus et jocundus.

Rudolfus quidam Suitensis de Thurego, vir longus et probus.

Johannes quidam, mercator de Flandria, vir multum sitibundus.

Et frater Felix, motor omnium illorum, et famulus per me conductus, Andreas nomine. Nos octo de galêa in barcam descendimus, et educti ad litus (B) de nostra peregrinatione contulimus. Erat autem tarda hora, et sol occubuerat, et tenebrescebat. Servus ergo noster et ductor, duxit nos sic in tenebris ad villam quandam, quae dicitur Ornyca, distans 1· miliare a mari ; et ibi excitato quodam homine rustico, quem noverat ductor noster. Protulit autem rusticus panem et vinum et caseum et manducavimus et bibimus. Conduximus etiam in villa octo mulas, super quas sedimus, et cum jubilo processimus. Interea luna exorta est, et sua luce expulsis tenebris nos laetificavit: erant enim electi VIII. socii, et tempus pulchrum, et provincia nobilis, et via bona, et cum hoc virgulta illius terrae suavissimum spirabant odorem, quia paene omnes herbae illius insulae sunt aromaticae diversarum specierum, et praecipue noctibus melius spirant, cum rore madescunt. Continuavimus autem iter nostrum usque ad ortum Luciferi, qui solem antecedit, et in villam venimus, quae dicitur villa S. Crucis, ibique ligatis bestiis et accenso lumine socii mei biberunt: ego vero dixi matutinas, et abstinui, quia in monte sancto celebrare Missam proposui. Reclinavimus

etiam nos ad quiescendum paululum, et usque ad claram diem dormivimus, jacentes juxta bestias nostras in terra.

Vicesima sexta, quae est Sanctorum Martyrum Johannis et Pauli, dum surrexissemus, rogavimus Graecum illum, ante cujus domum quievimus, ut de bono prandio nobis provisionem faceret, quia jejuni vellemus de monte ad eum reverti. Ascensis ergo bestiis processimus, montem sanctum prae oculis habuimus, horrentes quodammodo ejus celsitudinem. In pede autem ipsius montis venimus in vallem deliciosam, per cujus medium decurrebat aqua clara, dulcis et viva, cujus alveus floribus pulcherrimis nobis incongnitis et virgultis redolentibus erat plenus. Multae etiam arbores plenae corobi ibi stabant, quod saeculares nominant panem Sancti Johannis; per hanc vallem ascendimus in magno refrigerio, quia sol, licet suis ardoribus jam montes in circuitu incenderet, nos tamen in valle nondum tangere poterat. Tandem autem ad clivum praecipitem montis devenimus, per quod in bestiis ascendere montem non poteramus, et ideo bestias arboribus alligavimus, et pedibus transeuntes ascendimus cum grandi labore et multis sudoribus. Est enim mons altus et praecipitem habens clivum, et per omnia dicitur esse similis monti Thabor in terra sancta, in quo Dominus transfiguratus fuit; hoc audivi a quodam, qui utrumque ascendit. Cumque summitatem ejus attigissemus, ante ecclesiam prostravimus nos in oratione, et consedimus ad auram, antequam ecclesiam ingredi vellemus, ut spiritum resumeremus, et sudores, quibus pleni eramus, extergeremus, et incensio nostra tepesceret. Quo facto ego celerius me expediens, ut decens fuit, ecclesiam intravi, et campanam ibi pendentem pulsavi, ut aedituus audiens adveniret. Statim venit unus clericus latinae linguae ignarus, et protulit libros vetustissimos (**37 A**) latinos cum aliis paramentis ad Missam. Compulsatione autem facta Missam legi de sancta cruce, et collectas recepi de sanctis martyribus Johanne et Paulo, et de iter agentibus. Finita Missa verti me ad socios et fratres meos, et exhortationem eis feci, pro digna et debita veneratione crucis, et dixi differentiam illius crucis nobis ostendendae respectu dominicae crucis, et convenientiam earum in aliquo. Hortatus etiam fui, ne nimis curiosi

investigatores essent, et miraculum videre ne cuperent, quia nec in Jerusalem in sanctissimo sepulchro Domini visuri essemus miraculum, quanto minus hic quaerere deberemus. Hoc autem ideo dixi, quia satis rara et insolita de illa cruce audivimus, quae ibi viderentur. Accepi ergo post haec accensam candelam ad manus, et transivi ad locum crucis, et sequebantur me fratres mei peregrini: et capellanus comitabatur me. Dum autem ad locum venissemus, patefecit capellanus locum, ita quod crucem sanctam in prospectu coram oculis habuimus. Ego ergo primus accessi et crucem deosculatus fui, eamque diligentius ante et retro perspexi. Deinde accesserunt socii mei, eam honorantes, et diligenter considerantes unus post alium. Est autem crux satis magna, ab anteriore parte argenteis laminis deauratis obtecta, sed in parte quae respicit murum, nuda est, de pulchro et sano ligno, ac si esset cypressus. Et dicunt, quod sit crux Dysmae, latronis dextri, cui Dominus Jesus in cruce promisit paradysum. Nam sancta Helena, dum tres invenisset cruces sub monte Calvariae, unam crucem, scilicet Gesmae, sinistri latronis, abjecit. Secundam crucem, Dysmae, sibi retinuit. Tertiam vero Christi crucem toti mundo honorandam exhibuit. Crucem ergo suam Dysmae integram in montem hunc de Jerusalem adduxit, et hic monachorum monasterium construxit magnum, et ecclesiam, in quam crucem hanc tanquam singularissimas reliquias reposuit, et juxta altare in muro habitaculum sive reservaculum sibi construi fecit: eamque illac posuit. Et ibi usque nunc stat irremota, quamvis ipsum monasterium dudum sit per Turcos et per Sarracenos funditus eversum, et monachi ordinis S. Benedicti, cultores loci, sint dispersi. Porro mirabilis est hujus crucis positio sive locatio in loco. Stat enim in fenestra, non perspicua ipsa crux; et ambo brachia ejus sunt foraminibus in muro factis immissa, et pes crucis foramini fundamenti est immissus. Sunt tamen foramina brachiorum et pedis magna, ita quod non est proportio eorum ad foramina, nec tamen tangit murum, sed libera et soluta est ab omni parte a contactu muri; et hoc est mirabile famatum de hac cruce, quod sine fulcimento pendeat in aëre, et cum hoc stat ita firmiter, ac si solitissimis clavis esset affixa, vel muro connexa,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod tamen non est, quia foramina omnia tria sunt magna, ita quod homo potest manum immittere, et tactu percipere, quod ibi nulla est fixura nec in dorso nec in capite crucis. Ego quidem potuissem hoc curiosius investigasse quam feci, sed Deum timui, et (B) quod aliis facere prohibui, ipse non facere debui. Ascendi enim montem hunc ad crucem honorandam, non ad miraculum experiendum, vel ad Deum tentandum. Ut autem haec crux venerabilior esset, apposuerunt particulam unam de vera Christi cruce. In hac capella pendet una campana, quam pulsavimus, tam ante quam post Missam, et dixi sociis meis, quod amplius non essemus audituri campanam aliquam usque ad reditum nostrum in Christianorum terras. Et hoc fuit verum, quia postea in quatuor mensibus nullam audivi campanam, nisi hanc, quam credimus esse huc positam per Sanctam Helenam, quae et crucem huc collocavit. Sed qua ratione mota fuit illa sancta foemina ad ponendum illam crucem huc? Dicere possemus, quod hoc fecit rationabiliter illa sancta mulier multis de causis. I. Pro destructione gentilium rituum et errorum. Erat enim in monte hoc templum Veneri consecratum, cui et tota insula dicata extitit, quia in ea ubique exempla suae impudicitiae dereliquit. Ideo pudicissima Helena templo hoc destructo crucem pudicitiae regulam huc collocavit, et viros religiosos castitatis sectatores hic in confutationem Veneris habitare constituit. Et montis nomen mutavit: qui prius Ydolius dicebatur, jam mons Sanctae Crucis dicitur. Veteres etiam dixerunt, quod Perseus, totius nobilitatis Graeciae pater, ex hoc monte volatum accepit ad liberandam Andromedam, alligatam scopulo Joppae, et beluae marinae traditam devorandam. Ex eo etiam evolavit ad expugnandum Gorgonem. Multi ergo propter haec fantastica huc ascenderunt ad videndum. Ideo sancta mulier crucem, de qua latro volavit in paradysum, huc posuit. II. Hoc fecit pro confortatione Cypriorum, id est, hominum de Cypro. Nam in quodam loco hujus montis hiatus est, et ex eo agente spiritu quidam audiebantur rumores et murmura progredi, et dicebatur ibi esse descensus inferorum, et ex eo Cyprii magis infernum timebant, cum ejus descensum apud se esse cernerent. Contra hunc mutilem timorem opposuit sancta

foemina crucem. III. Hoc fecit pro devotione peregrinorum. Nam peregrinantes ad terram sanctam ipsam terram totis praecordiis cupiunt videre, et quanto ei propinquiores fiunt, tanto magis videre eam concupiscunt. In hoc autem monte serenato aëre videtur terrra sancta. Ideo peregrini antiqui frequenter in eum ascenderunt ad videndam desiderabilem illam terram. Quapropter Sancta Helena huc crucem posuit, et monasterium construxit, pro peregrinorum devotione et consolatione. IV. Hoc fecit pro morum instructione in hoc facto ostendens, quod quicunque crucem Christi perfectam cupit ascendere, oportet eum prius crucem poenitentiae latronis assumere. Igitur cum in ecclesia essemus expediti, egressi sumus et habitaculum aapellani intravimus, sperantes nos aliquid pro nostra confortatione invenire. Sed habitatio illa erat inanis et vacua, nec fuit ibi aqua frigida, nec paximacius, **(68 A)**, nec loqui nobis poterat, quia purus Graecus erat, et latinum erat sibi barbaricum; italicum arabicum; et theutonicum tartaricum: et ita sine consolatione exivimus; et in supercilio montis deambulavimus, et antiquas spissas murorum ruinas ibi vidimus de templo Veneris relictas. Ad omnem etiam plagam circumspicientes longe lateque per insulam et mare vidimus. Sed quia prae nimio caumate erat quodammodo aër caliginosus et nebulosus, non poteramus terram sanctam videre: nec montes Armeniae, nec Cappadociae nec Coelesyriae, nec Galileae, quae omnia vidissemus, si aërem purum habuissemus. His peractis ingressi sumus ecclesiam et salutata ac deosculata sancta cruce de monte festini descendimus usque ad bestias nostras, et equitavimus in villam Sanctae Crucis et prandium paratum invenimus adoptatum, et cum gratiarum actione manducavimus. Porro recedere statim a loco non poteramus, quia valde incaluerat, et sol ut ignis ardebat. Transivimus autem in unam ecclesiam Graecorum, quae erat prope hospitium, ut in ea post orationem paululum in umbra quiesceremus. Nobis in ea sedentibus, venit clericus quidam, et latina lingua dixit nobis: quid, inquit, facitis in ecclesia graeca? Hic prope est alia ecclesia latina de ritu vestro, in qua orare et pausare debetis. Surreximus ergo, et cum eo in ecclesiam latinam venimus. Protulit autem ex

archivo ecclesiae brachium S. Annae, matris b. Mariae Virginis argento venerabiliter inclusum. Protulit et unum clavum similiter argento ab inferiori immissum, quem dixit esse unum de clavis Christi, quo cruci confixus extitit. Has reliquias deosculati sumus, et clenodia nostra eisdem applicavimus ad contactum, ut dixi fol. 36. A. Didici autem, quod clericus ille erat monachus, quod tamen habitu cognoscere non potui, quia toga de schamlotta opertus erat, et fuit ambarum ecclesiarum plebanus, graecae et latinae, et per omnia se regebat secundum utrumque ritum. Nam dominicis diebus celebrabat primo Missam in ecclesia latina, et conficiebat more occidentalium in azymo. Illo officio finito transibat ad ecclesiam graecam, et more orientalium conficiebat in fermentato. Hoc mihi plurimum displicuit, et judicavi sacerdotem illum haereticum pessimum, seducentem populum hinc et illinc. Sunt enim illi duo ritus incompatibiles in una persona, et vix compati se possunt in una civitate, propter difformitatem in multis gravibus et magnis articulis. Ecclesia romana toleravit quidem olim ritum Graecorum, et tamen nec tunc licuit esse Graecum et Latinum simul, multo minus nunc, cum eos ecclesia tanquam schismaticos et haereticos condemnet, et ipsi Graeci nos in suis officiis vitent, et omnibus dominicis diebus ecclesiam latinam excommunicatam pronunciant suo populo, et nos Latinos usque ad exterminium odio habent. Quomodo ergo potest vir probus et bonus catholicus esse plebanus latinus et graecus? Nemo hoc agit nisi qui cupiditati et voluptati satisfacere (**B**) intendit. Tales enim ea, quae in utroque sacerdotio ad voluptatem pertinent, acceptant: onerosa vero et dura tam hic quam illic respuunt. Multi namque sacerdotes latini ad ritum graecum se transferunt, ut uxores ducere audeant, sed cum hoc libertatibus latinorum sacerdotum gaudere volunt, quae tamen eorum non sunt etc. Igitur cum solis ardores mitescere inciperent, meridie transacta bestias nostras ascendimus, et contra mare descendimus usque ad ecclesiam S. Lazari, quae supra maris litus stat: et galêa nostra ex opposito ejus longe in mari; ibique bestias dominis suis remisimus. Erat autem super litus maris magnum forum et hominum multorum congregatio propter galêam nostram,

ex qua marinarii nostri mercimonia producebant, et negotiabantur cum Cypriis. Sic ubique fiebat in omni loco, ad quem applicuimus. Viso autem foro in galèam remeavimus ad Dominos et confratres nostros, eosque tristes et murmurantes invenimus pro eo, quod patronus nondum venerat, et taedio magno illo die affecti fuerant, et omnes peregrini ad nos congregabantur audire cupientes de his, quae videramus. Quibus auditis beatos nos dicebant, et dolebant se non fuisse nobiscum profectos.

Vicesima septima, cum videremus patronum tardare, iterum aliqui peregrini ducere se permiserunt ad litus, ut ibi diem deducerent, quorum ego unus fui. Major tamen pars peregrinorum in galèa remansit, timentes aërem cyprium, qui ut communiter nocivus est Theutonicis, nisi sint bene complexionati et fortes. Ideo nobiles cuti suae timentes Cyprum non ingrediuntur. In litore ergo existentes transivimus ad locum salinae, ubi ex ruinis comprehendimus olim civitatem non modicam stetisse. A tergo civitatis est locus collibus circumdatus, qui pro tempore mari intumescente aqua impletur, et fit quasi lacus, et dum mare iterum diminuitur, omnis aqua maris in loco illo remanens a sole in optimum et preciosum et albissimum sal decoquitur: et hoc sal venale ad multas regiones defertur, et regina Cypri multam pecuniam inde recipit a mercatoribus salis. In prima mea peregrinatione vidi multos homines ibi laborantes in salis segregatione ab aquis nondum decoctis: et multi alti cumuli salis ibi erant sicut monticuli; sed jam non erat unus homo ibi, et ubi prius stabant salis cumuli, jam fuit aqua profunda. Itaque circa vesperas in galèam remeavimus et indignati contra patronum eramus. Eodem sero revenit mulier illa, quae in Rhodo remanserat imbarcata. De cujus ingressu parvum gaudium erat. Compatiebar tamen misellae propter angustias ejus ex recessu navis perpessas. (**69 A**)

Vicessima octava ante solis ortum venit patronus de Nicosia cum quibusdam Cypriis, loca sancta in Jerusalem visitare volentibus, inter quos erat una pretiosa mulier, de pedissequis reginae, quae intende bat vitam suam in Jerusalem finire circa loca sancta. Levatis ergo anchoris et navi soluta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

a portu illo tarda navigatione recessimus propter ventorum tarditatem. Porro in meridie venit ventus fortis, sed contrarius, et repente retrorsum nos rejecit contra promontoria terrae Cypri. Ibi ergo bolide mari immissa invenimus terram prope temonem, et statim, ne in scyllas aut bythalassum incideremus, remisimus vela, et navem de manibus ventorum eripuimus, et ejectis anchoris et navi ligata ibi secundos ventos exspectavimus. Poenalis autem fuit nobis illa exspectatio, quia desiderio terrae sanctae flagravimus, scientes nos amplius terram nullam visuros nisi illam desiderabilem. Magis autem poenalis fuit illa tardatio domino patrono et suis, timentes ne Augustinus, qui nos praecesserat cum suis peregrinis terram sanctam ingredi permitteretur ante nostrum adventum, quia si hoc factum fuisset, tamdiu oportuisset nos in portu mansisse, quousque illi peregrinationem suam peregissent, et ad mare reversi fuissent: et hoc fuisset mors nostra, et nobis intolerabile. Si enim in portu terrae sanctae eos non invenissemus, statim in Cyprum reverti nos necesse fuisset, et ibi degere usque ad reditum eorum. Porro post solis occasum venit tenuis ventus, cui navem commisimus, et parum nocte illa serpuimus.

Vicesima nona die, quae est sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et erat dominica V. post Trinitatis, impulit nos ventus contrarius retrorsum, et prope portum limonicensem, quem quinta feria praeterivimus, venimus: ibique anchoram fiximus. Galêoti autem acceptis securibus in nemus propinquum navigaverunt, caedentes ligna ad coquinam, nec cogitabant esse festum Apostolorum et diem dominicum. Cum autem sero factum esset, mutatus est ventus in melius, et soluta navi repente a Cypro sublati sumus in maris altum, et nullam terram aut insulam videre potuimus, quia longius ejecti eramus.

Tricesima die, quae est commemorationis S. Pauli, et ultima Junii, fortiter navigavimus et cum ingenti desiderio exspectavimus illius desiderabilis et nobilis terrae promissionis jocundissimum aspectum. Sicut enim Moyses, dum per vastissimum eremum venisset et terrae promissae jam propinquus esset, desiderio ejus accensus ascendit in montem in verticem

Phasca, et inde terram sanctam contemplabatur, ut dicitur Deut. 34. v. 1.; sic et nos educti de terris nostris per mare magnum, et facti propinqui terrae sanctae ad superiora navis (B) continue ascendimus, ut eam terram, ad quam tendebamus, visu praeoccupare possemus. Beatum enim se quilibet aestimasset, si ipse primus hanc de mari terram vidisset. Qua propter prece induximus et precio conduximus juvenes galèstrelos vigiles kebae, ut diligentius circumspicerent per maris latitudinem, et visa terra sancta clamore nunciarent, et cuiuscunque hoc nunciantis vocem primo audiremus, eum bona curtusia remunerare vellemus. Fateor hoc de me ipso, non ad aliquam jactantiam sed ad describendam decentiam, quod in utraque peregrinatione in illis diebus, quibus suspicabar nos terram sanctam citius videre, taeduit me dormire, manducare et bibere, et nocturnae tenebrae quieti humanae deputatae erant mihi poenosae, lectulus factus fuit mihi stimulus, cumba infernus, nec amplius potui legere aut scribere, nec colloquiis pristinis interesse, sed solatium meum erat sedere in prora super galêae cornua, et ibi incessanter oculos per latitudinem maris circumferre: ut saltem oculorum labore possem aestum mentis mitigare. Noctes advenientes turbato animo suscepi, et quod vix audeo dicere, eis nonnunquam ex subreptione maledixi, pro eo quod medium videndi, lucem scilicet, mihi auferebant. Porro omnibus his diebus auroram praeveni sedens in prora, eamque illuscescentem gaudens suscepi, et deinde ortum solis praestolabar, et diligentissime per superficiem maris visum sparsi, et in orientem defixi, quem tamen infra aquam esse imaginabar, propter maris altitudinem. Ideo in altum non suspexi, sed partem coeli, quae parti maris conjungi videbatur termino orizontis, irreverberato intuitu inspexi, ut sole ad ortum procedente considerarem, an aliquod obstaculum aut corpus opacum videre possem, inter corpus solare lucidum et corpus aqueum clarum, et corpus sic se objiciens nihil aliud fuisset nisi mons aliquis terrae sanctae, quam ego scivi ad orientem contra nos esse. Nam quando galêa natat in alto maris et sol oritur, tunc videtur, quod de aqua prodeat, et nullum medium videtur inter solem et aquam, quod etiam in occasu fit, ubi sol quasi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aquis immergi videtur. Sed dum galêa prope terram est ad XX vel XXX miliaria theutonica, tunc sol oriens videtur a montibus illius terrae prodire, ita quod montes ante solem cernuntur in rutilatione aurorae, quia inter solem et mare opponuntur. Sed quam statim sol ortus super montes est elevatus, montes illi amplius in duabus vel tribus horis videri non possunt. Sic ergo mane in crepusculo in prora stabam, et terram sanctam ante ortum solis cernere cupiebam, et propter ipsam terram solis ortum desiderabam, ipsumque solem orientem gaudiose salutabam, quia non nisi ejus beneficio terram illam cernere poteram. Sed dum solem viderem super mare elevatum, nec in ortu aliquid demonstratum, tristis visum repressi, et ad horam aliis intentus fui. Eodem modo erat et aliis peregrinis, non quidem omnibus, sed solum amantibus et desiderantibus. Ach Deus meus, quam dulce potest esse in devotis et contemplativis desiderium patriae coelestis, cum indevotis et (70 A) miseris criminosis et vagis peregrinis tam suave, dulcens et fervens desiderium patriae terrestris! Sicut enim Maria Magdalena igne amoris succensa saepe se inclinavit, et in monumentum sui dilecti introspexit: sic amorosus peregrinus in navi saepe erigit se et ad orientem intuitum defigit, ut terram monumenti sui dilecti cernere queat. Ideo toto die sedebamus respicientes per mare an aliquid possemus praeter aquam videre: et nonnunquam ex forti imaginatione aestimabant se aliqui terram videre, aliosque advocabant et ad videndum invitabant, et pio litigio concertabant, his dicentibus se terram videre, aliis hoc negantibus. Et aliquando altercantes unus se alteri obligabat pro sua veritate, et judicium committebant speculatori sedenti super kebam, qui data sententia unus alteri malfasetum aut aliam rem, quam obligaverat, solvebat. Inter haec prospera navigatione processimus et bonum valde ac tranquillum ventum habuimus. Videbatur autem nobis, quod ipsum amarum mare jam inciperet dulcescere suavem praestans navigationem, et hoc propter propinquitatem dulcissimae terrae illius, quae fluit lacte et melle. Sicque transivit dies illa cum nocte, et per consequens finem habuit Junius mensis.

Finitur Tractatus tertius.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Modus procedendi in tractatu peregrinationis terrae sanctae et Jerusalem.

Evagatione deducta per mare usque ad terram sanctam ex Dei dono consequenter ita procedendum erit, quod continuabo de die ad diem processum peregrinationis communiter incipiendo diem a vespera praecedente, sic enim processus per loca sancta agitur, ut patebit: et cum hoc loca, ad quae peregrinatio se extendit, describam fideliter cum omnibus, quae nobis contigerunt. Non autem intromittam me de descriptione aliorum locorum, ad quae non ducuntur peregrini, vel totalis terrae sanctae, aut antiqui status civitatis Jerusalem, nisi in quantum per accidens coactus fuero etiam de his, quae non vidi, facere mentionem. Si cui autem placet videre terrae sanctae descriptionem pulcherrimam et verissimam, legat libellum fratris Burcardi, ordinis Praedicatorum, Ulmae in Libraria Praedicatorum. De qua etiam ingenuus Dominus Bernhardus de Braitenbach, ecclesiae moguntinensis dignissimus decanus, meae peregrinationis socius, sumpsit descriptionem terrae sanctae, suo peregrinali sive viagio inserens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sequitur Tractatus quartus,

Continens Acta peregrinorum terrae sanctae per mensem Julium, cum descriptione sanctorum locorum in Ierusalem et in circuitu ejus.

Julius mensis, peregrinorum jubilus, mensis in cujus prima die omnium terra terrarum dignissima illis peregrinis apparuit, qui in hoc evagatorio notantur. Nam cum prospera et repentina navigatione de mari pamphilico in pelagum Syriae et Phoenicis venissemus; inde contra austrum retracti in optatum fretum palaestinum incidimus ipsa nocte. Mox autem ut aurora rutilare coepit, resplenduit et terra sole clarior, terra inquam sancta, terra Chanaan, terra nominatissima. Quam cum vidisset primo speculator in keba vigilans, in hunc subito prorupit clamorem: o Domini peregrini surgite et ascendite, ecce apparet terra, quam cupitis videre. Hoc clamore audito confestim omnes de galêae penetralibus eruperunt, viri et foeminae, senes et juvenes, sani et debiles, et sursum ascenderunt, ut viderent terram illam, propter quam proprium solum reliquerant, seque multis miseriis et mortis periculis exposuerant. Verum quia adhuc longe a nobis distabat, nos nihil nisi mare videre poteramus. Ipsi autem marinarii omnes affirmabant, se terram videre. Habent enim usum maris et valde a longinquis patet eis adventus navium aut terrarum iutuitus: quem visum non habens nullo modo potest discernere. Porro post spatium unius horae cum magis et magis appropinquaremus, incepimus et nos promontoria videre et montium cacumina quasi de mari prominentia. Marinarii tamen nostri adhuc dubitabant, quae terra esset. Quidam dicebant, quod esset Cappadocia, alii quod esset Cilicia, caeteri affirmabant quod esset Syria Phoenicis. Major pars dicebat, quod Cappadociam haberemus ad sinistram, et supra eam jam ascendissemus, ita quod in latere Antiochiae essemus, et illud apparens ad sinistrum supra nos esset Syria Phoenicis. Hoc autem ante

faciem ex opposito esset longe, (71A) tamen esset Palestina Phylistinorum, terrae sanctae contermina, et ita erat. Cumque jam nullum dubium esset quin terram sanctam videremus, et montes Israel prae oculis haberemus; imperavit patronus silentium fieri, et praeconis voce certificavit nos hanc illam esse terram benedictam, in qua filius Dei Jesus Christus, Dominus noster, conceptus, natus, conversatus, crucifixus, mortuus, sepultus et tertia [die] de sepulchro resuscitatus est, sicut certissima fide confitemur. Idcirco dignum et justum esse intimavit, gratias redemptori agere, et altissimis vocibus hymnum laetitiae decantrare. Duo ergo de peregrinis sacerdotes et religiosi bene vociferati ascenderunt de transtris ad malum, ad locum, ubi solet legi Missa navalis, et uniformiter alta voce emissa canticum Ambrosii et Augustini inchoaverunt: Te Deum laudamus; quod caeteri clerici more ecclasiastico prosecuti sunt, cantantes unusquisque secundum notam chori sui. Nunquam audivi tam laetum et suavem cantum. Erant enim voces multae, et ex multiplici dissonantia dulcis quodammodo discantus et harmonia causabatur. Nam omnes eadem quidam verba sonabant, sed notis quadam suavi modulatione dissonabant, et jocundum valde fuit audire, tot clericos simul eundem cantum concinere ex laetitia. Ibi erant clerici latini multi, sclavi, italici, lombardi, gallici, franci, theutonici, anglici, hibernici, ungari, scoti, daci, bohemi et hispani, et multi eiusdum quidam linguae, sed de diversis dioecesibus et de diversis ordinibus. Et hi omnes mirabile Te Deum cantabant, quibus etiam saeculares tam galêotae quam peregrini consonabant praegandio ad sortem conclamantes. Sed et tubicines vel trompetae nostri fortissime tubis vel trompetis concrepabant, et schalmiis sonabant, et bogadellus quidam joculator cum tympano et sambuce ludebat, et quidam alii fistulis et musis voces dabant. Inter haec quidam contra terram sanctam orabant, alii prae gaudio in cantu flebant; et sic cantabant omnes canticum novum ante sedem Dei, et rosonabant terra et mare in voces eorum. Videbatur enim nobis sic cantantibus, quod galea nostra resultaret et celerius curreret, mareque liberius sulcaret, ventus quoque vela ipsa copiosius impleret, et aqua vento mota velocius nos impelleret. Itaque finito hymno et laudibus sig-

num cum tubis ad mensam dabatur: et cum gaudio quilibet se ad mensam parabat. Quidam autem sacerdos vir corpore gravis, honestus et annosus, qui ad latus meum dextrum cumbam habebat, ad stantiam suam post cantum festinabat, et dum per scalam descendere vellet, et pede primum scalae gradum lubricatum ex continua deambulatione tangeret, facillari coepit pedibus, et deorsum subito ruens importune in carinam cecidit, et ibi quasi mortuus (B) jacuit: ad hoc omnes accurrimus pro fratris consolatione. Sed vir ille confracto capite et dissolutis membris pro mortuo trahebatur in cumbam suam. Post horam tamen ad se reversus ligaturas et curas accepit, et aliquantulum post tempus aliquorum dierum convaluit. Prandio finito in marginibus navis stetimus, et tantum montana videre poteramus, quae omnia calva et alba nobis videbantur. Post meridiem vidimus in aquilonari parte montes altos, inter quos mari propinquior erat mons Carmeli, in provincia Phoenicis. In cujus aspectu recordabar, quomodo sanctus propheta Helias in eo monte Deum pro pluvia deprecatus est, quando non pluerat annis tribus et mensibus sex, et quomodo eo orante ascendit nubecula parva quasi vestigium pedis de mari illo, ex qua generata fuit grandis pluvia, ut habetur. 3. Regum. 18. Cogitavi etiam, quomodo rex Saul in illo monte erexit fornicem, arcum triumphalem ad gentilium morem, in quo descripsit suos triumphos, et in altum erexit, ut a transeuntibus terram et mare navigantibus videretur fornix, in quo facto Deum valde offendit, ut dicitur. 1 Regnum. 15. Admirabar etiam cur sponsus, Cantic. 7., caput suae sponsae huic monti assimilari voluit, dicens: caput tuum ut Carmelus. Ab hoc denique monte propter sui foecunditatem tota terra sancta denominatur Jerem. 2.: introduxi vos in terram Carmeli. In isto monte fratres Carmelitae sumpserunt exordium, et olim ibi habebant magnum conventum. Fuit autem hic ordo institutus ab Alberto quodam patriarcha Jerosolymitano tempore, quo Christiani latini habebant Syriam, et tradidit eis dictus Albertus cappam ferre superiorem ex serico quibusdam largis virgis et griseis circulatam. Sic enim dicunt Heliam Prophetam vestitum fuisse, quod tamen nec ex canonica scriptura nec authentica auctoritate haberi potest. Post modum

Honorius III. Papa chlamydem circulatam mutavit in album, sub titulo b. Mariae Virginis de Carmelo confirmavit et approbavit. Dicunt autem Soldanum Aegypti ordinem istum, dum priori habitu uteretur, mirum in modum reverentia, devotione, et eleemosynis et beneficiis amplexatum esse ob memoriam Heliae prophetae, quem Sarraceni colunt: eo mutato e finibus atque omni regno ejecisse, unde necesse fuit monasteria in Europa fundari, sicque a monte Carmel rejecti ubique nunc in Christianitate sunt diffusi. Si habitum album non assumpsissent, usque hodie sine impedimento Saracenorum Carmeli montem incolerent. Nam apud Sarracenos albae vestes ita in pretio habentur, ut nemo christicola eis uti permittatur: et idcirco fratres Praedicatores, quia albis vestiuntur, ejecti fuerunt ab agro Acheldamach, quem emerant multo auro a Soldano, et hodie si fratres minores mantella alba susciperent, eos Sarraceni non sustinerent Ierosolymis. Sub eo monte est torrens Cison, in quo Elias propheta prophetas occidit Baal, ut dicitur 3. Reg. 18. Sub eo etiam sunt illae magnae civitates Tyrus, Sydon, Acon sive Phtolamaida, de quibus multa in scripturis habentur. Demum ab aquilone avertimus oculos, et contra orientem eis conjectis vidimus Judaeam cum montanis suis, et praesertim montem Modin, super quem erant sepulti Macchabaei, et super sepulchra eorum aedificavit Symon aedificium altum visu, lapide polito, retro et ante, et statuit septem pyramides eisque circumposuit columnas magnas et super columnas arma ad memoriam aeternam, et juxta arma naves sculptas, quae viderentur a navigantibus mare. 1 Machab. 13. Hunc montem et alia, quae noscere didici, ostendi Dominis meis de mari. Inter haec terrae sanctae appropinquavimus, et ad portum Joppen applicuimus ibique galêam domini Augustini cum suis peregrinis nondum eductis invenimus, de quo plurimum omnes laetati fuimus, quia si educti fuissent, nos neglecti fuissemus, ut patet supra fol. 69. die 28. Cum autem non longe a galêa Augustini essemus, injecimus mari bolidem, et invento fundo anchoras injecimus et navem stabilivimus extra scopulos Andromedae, qui portum illum muniunt. Non enim ausi fuimus propius litori accedere, ne Sarracenos offenderemus, quorum salvum conductum non habuimus. Et ut notarent illi Sarraceni, qui in turribus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Joppen portum custodiebant, adventum nostrum esse pacificum remisimus antennam, et involvimus velum grande, et nulla festa penitus (72 A) fecimus in portu isto, sicut in aliis portubus facere consuevimus: nulla enim vexilla ereximus, nullas bombardas sonare fecimus, scapham non submisimus, omnem galêae ornatum cavimus, tubis, schalmiis et cornibus non cecinimus, sed ut timorosi, humiles, domini Soldani tributarii, salvo ejus conductu necessarii, Maurorum et Saracenorum captivi servi, exspectantes gratiam ex opposito turrium Joppen stabamus. Porro dominus Augustinus alterius galêae patronus ante adventum nostrum miserat famulum suum ad eos, qui in turribus Joppen erant, ut tractaret cum eis de habendo salvo conductu pro sua duntaxat galêa. Dum Sarraceni intellexissent, adhuc aliam galêam cum peregrinis superventuram, nolebant dominum Augustinum audire, et repulerunt a se, cogentes regredi in galêam, quousque et alia galêa saperveniret, quod tamen fuit contra mentem patronorum, quia quilibet intendebat suos peregrinos per se, sine societate aliorum, per loca sancta ducere propter invidiam, quam adinvicem habebant. Sed Sarraceni se mentibus intentionibus peregrinorum magis conformabant quam illorum invidorum. Erat enim peregrinorum ambarum galearum mens et voluntas, ut simul omnes per loca sancta duceremur. Sic ergo finita fuit prima dies Julii, et per noctem, sicut opertuit, quievimus in galêa.

Secunda die Julii, quae est visitationis gloriosae Virginis Mariae, ante solis ortum submiserunt gubernatores scapham ad mare, et patronus misit aliquos servos ad hoc aptos, ut navigarent ad litus, et de salvo conductu providerent. Similiter fecit Augustinus, alius patronus. Porro Augustinus habuit unum galeotum natum de Jerusalem, Saracenum baptizatum, qui et mores et linguam eorum scivit, quem etiam pro expeditione illius causae emisit. Ascenderunt ergo utrorumque patronorum servi Ramatha et adventum peregrinorum praefecto Ramathae intimaverunt et consequenter ascenderunt in Ierusalem, et negotium patri Gardiano montis Syon nunciaverunt: rogantes eum, quatenus sine mora a capitaneis Ierusalem, Ramathae et Gazarae salvum conductum procuraret, et Trutzelmannum Calinum cum armatis Mamalucis adduceret, et

asinos cum asinariis disponeret, et omnia alia pro inductione peregrinorum necessaria, citius quo posset, ordinaret, et veniret, eosque de mari tolleret. Interim autem, quo haec aguntur, peregrini in navibus manserunt, exspectantes eorum eductionem. Eodem die, hora qua Missae celebrari consueverunt, convocavi omnes peregrinos theutonicos et eis sermonem feci de peregrinatione beatissimae Mariae Virginis, quam peregit in visitatione et transitu per montana Iudae, et regulas nostrae peregrinationis ex ejus devotissima peregrinatione collegi et proposui, et praeconia ac laudes nostrae peregrinationis exposui et peregrinationem hanc Ierosolymitanam extuli. Sed montis Synai visitationem super omnia laudavi, volens movere aliquos, ne nimis trepidarent. Eram enim ego intentionis peregrinationis Synai, sed nulli hoc manifestavi, nec aliquis mihi de se, et ideo vehementer timui, ne forte (B) in tanto peregrinorum agmine nullus esset ad montem Synai iturus, sicut et in priori peregrinatione contigit. Si ergo finita fuit dies illa et iterum noctem in galêa egimus.

Tertia die cogitavi tempus adesse, quo Dominis meis intentionem meam de peregrinatione montis Synai manifestarem. Et solos quatuor Dominos convocavi in partem segregatis omnibus servis et lachrimosis oculis ac moesto corde et facie dixi: ecce generosi Domini mei, et charissimi filii, fratres et socii, de gratia vestra usque huc perductus sum, fateor, et per vos licentiam et expensas pro isto tempore habui, pro quo beneficio ingentes grates refero. Sed unum est, quod plurimum me conturbat et sollicitum ac anxium reddit. Sperabam in egressu nostro de terris et locis nostris, si Deus nos omnes sanos usque huc perduceret, quod ad minus aliquis vestrum, etsi non omnes simul, post terrae sanctae lustrationem ulterius peregrinaturus esset, ad sanctum montem Synai, ad Sanctam Katharinam, cum quo et mihi oportunitas daretur veniendi ad eadem loca sanctissima; sed heu! spe mea frustratus sum, quantum ad hoc. Insuper nec audeo, nec debeo petere licentiam a vobis recedendi, et vos derelinquendi, cum in reversione majus periculum vobis immineat. Si tamen licentiam mihi sponte dare dignaremini, pro munere gratissimo eam accipere vellem a benignitate vestra. Quam

Quam si dare nolueritis, vobiscum libens revertar usque Venetias, sed Venetiis procidam ad pedes vestrarum Dominationum et expensas petam revertendi huc, nec unquam Alpes transcendam, nisi montem Dei Oreb et Synai ascendero, et sepulchrum beatissimae Katharinae Virginis visitavero. Hoc enim voto dudum emisso promisi. Cum autem Domini mei audivissent hanc meam intentionem, et serium vidissent, deliberandi spatium acceperunt, et post horam me revocantes licentiaverunt. Et ne, inquiunt, putetis, quod nobis non fueritis dilectus capellanus, ostendimus signum nostrae dilectionis ad vos in nostra separatione, et contribuemus et subveniemus vobis in expensis. Si autem nihil factum fuerit de illa peregrinatione, vel vos poenituerit, eritis in nostro consortio sicut prius, et deducemus vos usque in domum vestram. Hoc cum audivissem, gratias egi cum debita et condigna reverentia Dominis illis, et me pro hac gratia in perpetuum eorum obsequium exhibui: et peregrinationem hanc ita me facturum promisi, ac si ab eis ad hoc motus et missus fuissem. Tantum autem laetificatus fui ex illa licentia, quantum fui Ulmae dum data fuit mihi licentia ire Jerosolymam. Hoc ergo sic juxta votum adepto transivi per galêam ad milites mihi notos, an aliqui inter eos ad Sanctam Katharinam essent peregrinaturi, et inveni quinque electos nobiles milites, qui in scriniis pectoris sui hoc hucusque celaverant. Post prandium descendi de galêa in barcam et duci me feci ad galêam domini Augustini, ac si aliquos (**73 A**) mihi notos visitare vellem. Dum autem ad eos venissem, secrete investigavi de illa peregrinatione montis Synai a quodam mihi magis noto, qui occulte dixit mihi, quod XII peregrini essent in eadem galêa, qui inter se conjurassent ad illam peregrinationem peragendam, inter quos unus et principalis esset dominus Johannes de Solms, Comes; nollent tamen hoc praedicari in publico, sed in occulto haberi. Nam semper illi peregrini, qui intendunt visitare montem Synai, occultant, quam diu possunt, illa ratione, ut si illos non ire contigerit, non derideantur. Porro magna mihi cura erat statim explorare, an aliqui essent montem Synai adituri, quia experientiam habui, nisi hoc in navi existens fecissem, in terra sancta et in Jerusalem, veritatem vix hujus

rei percepissem. Sunt enim peregrini in terra sancta nimis occupati, et raro vel nunquam omnes simul et distracti, et nisi in navi rem illam cum Dominis meis expedivissem, omnino me ipsum neglexissem. Percepta ergo veritate in galêa domini Augustini remeavi cum laetitia in galêam nostram gaudens me invenisse socios. Porro post laetitiam statim subsecuta fuit tristitia. Quum enim de barca in nostram galêam ascendi et ante puppim cum quodam starem, vocavit me dominus patronus in commodum suum et ingressus inveni cum eo sedentem unum Mamalucum armatum, qui in barca de Joppen venerat, et nova, quae recitaverat, voluit patronus me etiam audire. Dixit enim Mamalucus ille, quod Arabes devastassent monasterium S. Katharinae sub monte Synai, et omnes monachos occidissent, et propterea hoc anno nulla posset fieri peregrinatio ad montem Synai. Eodem etiam die venerunt aliqui Sarraceni ad nos adducentes de terra panes recentes et aquam et uvas, et ea nobis vendebant, qui eosdem rumores dicebant de Arabia. Auditis his malis rumoribus prima quidem fronte turbatus fui, sed postquam deliberavi, spem accepi. Suspicabar enim statim, quod ex practicis patronorum haec divulgarentur mendacia, ut peregrini terrerentur et a proposito peregrinandi ad montem Synai resilirent, quia in quolibet peregrino montis Synai perdunt XII ducatos, et hoc avaritiae eorum est adeo intolerabile, quod exquisita mendacia excogitant, et pro conformatione mendaciorum mendaces Sarracenos et apostatas Mamalucos inducunt. Minus ergo curavi verba illa, et socios meos territos confortavi, quia sciebam patronorum fallacias in hoc facto. Ita etiam me firmavi, quod si verum fuisset hoc, quod dicebatur, nihilominus ad montem Synai (B) intendebam ire, quia etsi Arabes poterant destruere Sanctae Katharinae monasterium, et ejus vastare sepulchrum, nunquam tamen poterunt montem Dei Oreb et Synai destruere, aut transferre, ad quem magis anhelabam quam ad sepulchrum S. Katharinae. Toto ergo die illo fui in illa re occupatus, ut rem ad suum terminum deducerem in illa quiete; quare post exitum de galêa scivi tempus nullum vacare ad tractandum. In illo die incepimus primo gustare fructus terrae sanctae, et aquas

ejus bibere. Praefatus autem mendax Mamalucus, qui nova illa in galêa divulgaverat, sedit in castello cum patrono et aliis, et contra legem Machometi sui bibit vinum, et inebriatus fuit, ita quod de galêa in barcam descendere nequaquam poterat propter vertiginem, et ita in galêa nobiscum pernoctavit illa bestia maledicta.

Quarta die cum sol oriretur, nescio ex qua dispositione aëris, aquae vel elementorum accidit, quod pisces maris supernatabant, et se plus solito ostendebant in superficie maris. Et ibi vidimus mirabiles pisces. Quidam erant magni et totaliter rotundi sicut vannus. Quidam habebant capita canina cum auribus longis dependentibus, et delphinos multos vidimus illo mane, et magis manifeste quam prius. Porro post prandium vidimus exercitum armatorum Sarracenorum venientem in equis et mulis, qui in litore et circa turres Joppen et in monte fixerunt tentoria et erexerunt tabernacula contra nos. Hoc cum vidissent patroni, navigaverunt ad eos, putantes advenisse praefectos et dominos: sed non erant nisi servi praemissi ad loci praeparationem, et in crastinum venturi erant domini Mauri. Toto ergo die illo concurrebant ex adverso in litore, et sedentes in mulis faciebant inter se jocosas congressiones ac si bellare vellent. Vidimus etiam cavernas et speluncas super litus maris in clivo montis, ad quas intrudendi eramus, et Sarracenos vidimus toto illo die ingredi et egredi continue, et mirabamur, quid facerent in obscuris hospitiis nostris. Sed quid egerint in speluncis nec suspicari quidem poteramus, donec cum molestia narium experti sumus: faedaverunt enim locum urina et stercoribus, ut patebit.

Quinta die mane confluxit magna armatorum multitudo, ut operiretur superficies terrae, et mirabantur patroni et omnes galêotae et marinarii, quid sibi vellet tanta multitudo populi, et conturbabantur, quia nunquam cum tanta potentia prius eos viderant (74 A) venire, et timebant quod malum aliquod esset nobis paratum. Tres enim potentes capitanei praefecti cum suis armatis personaliter aderant: scilicet: praefectus de Jerusalem, et praefectus Gazarae, et praefectus de Rama. Ad hos navigaverunt patroni cum suis muneribus, quibus eos in eorum affectionem flectere conabantur, eisque salutationem

cum muneribus exhibebant, et pro nostra pacifica inductione instabant, quilibet patronus pro suis peregrinis. Et accipientes munera patronorum promittebant, se fideliter nobiscum acturos. Interrogaverunt autem patroni dominos Mauros, cur cum tanta potentia advenissent, et quae necessitas, peregrinos inermes cum tot armatis inducere. Ad hoc responderunt, quod Arabes de locis desertis ascendissent in terram in magna multitudine, et spoliarent obviantes eis, nec alicui parcerent, nisi potentioribus se: et jam actu exercitum magnum in montibus ducerent, et opinio multorum esset, quod propter peregrinos Christianos venturos illum exercitum collegissent. Id circo cum forti manu venissent, ut nos tute in Jerusalem possent ducere. Praeter hanc causam illius insolitae multitudinis aliam assignabant quidam dicentes, quod in isto vere facta sit valida tempestas in regione civitatis Mechae, ubi templum sepulchri detestabilis Machometi est, in qua tempestate fulgur de caelo cecidit, et sepulchrum Machometi cum ejus maledicto corpore combussit et in pulverem redegit. Ex quo facto sui cultores argumentum cessationis suae perversissimae legis accipiunt, et Christianos eis dominaturos metuunt: idcirco cum valida manu venerunt, ne aliquid per peregrinos fieri posset. Ambae autem causae fuerunt verae. Secundam autem de Machometi comminutione ipsi non dicebant manifeste, sed fuit nobis per quendam Mamalucum occulte dicta. Sed ne cultores Machometi diffiderent, et desperarent, et peregrinationem, quam annue in Mecham faciunt, dimitterent, tale mendacium excogitaverunt sacerdotes eorum. Dicunt enim, Deum Sarracenis hoc anno fuisse nimium offensum et eos voluisse penitus delevisse. Sed Machometus intercessit pro eis, et Deum petivit, ut averteret iram ab eis, et in se malum eorum retorqueret; quam petitionem Deus audivit, et fulmine misso de coelo corpus ejus comsumpsit. Hoc mendacium populo praedicant, et major jam est peregrinatio ad Mecham, quam prius fuerat. De illa peregrinatione vide part. II. fol. 62. Interea dum patroni cum dominis colloquerentur, vidimus alium novum exercitum ad litus maris venientem, in quo exercitu non erant equi, sed (B) tautummodo asini, qui erant collecti de diversis villulis pro nobis. In illo asinorum exercitu,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

venerunt etiam aliqui domini de Jerusalem, duo scilicet Calini, major et minor Trutzelmanni, et venerabilis Pater Gwardianus montis Syon cum duobus fratribus, et cum eis aliqui mercatores christiani de cinctura.

De egressu peregrinorum ex galêa et introitu eorum in terram sanctam.

Evagatio diu desideranti animo exspectata jam jam instat. Cum enim patroni cum praefectis locuti fuissent et eis placuisset, ut nos de galêa in terram ducerent, navigavit ad nos venerabilis Pater Paulus, provisor ecclesiae latinae in Oriente et Gwardianus montis Syon cum suis fratribus, et cum Calino majori, Sarraceno, qui erat magister hospitalis in Jerusalem, et consederunt cum patrono nostro puppi. Convocatis autem omnibus nobis, incepit Pater Gardianus, vir maturus, barbatus et doctus, latino sermone nos civiliter et ornate salutare, et beneventos esse dicere, et hortabatur nos ad devotionem, et ad patientiam et ad exemplaritatem, et promisit quod in Rama regulas regiminis nostri per terram sanctam inter Sarracenos vellet nobis tradere. Sic etiam dominus Calinus Sarracenus, Trutzschelmannus noster, nos honorifice salutavit, et prohibuit, ne quis arma, gladium aut arcum secum de navi eportaret, sed inermes sicut peregrini procederent. Et his dictis Pater Gardianus cum suis fratribus et Calino descendit in barcam dicens nobis, ut citius nos expediremus et sequeremur. Erat autem prandii hora, et vocatis peregrinis ad prandium comedimus et bibimus cum festinantia, ut citius in terram sanctam veniremus. Sub prandium venerunt omnes galêotae officiales unus post alium, et de peregrino ad peregrinum cum argenteis phialis transierunt, petentes curtusias, quas nos bibales nominamus. Et improba valde erat eorum postulatio, et quicunque eis denegavit donum, hunc nolebant de galêa in barca ad terram ducere. Et fuit magna inquietudo in navi, propter invereundam et improbam illorum petitionem. Peracto illo inquieto prandio et solutis curtusiis disposuimus nos ad exitum, et accepimus duo vascula vini et saccis immisimus, ne Sarraceni viderent, quia non patiuntur vinum manifeste circumduci.

Sed si vident, vasa ipsa, si possunt, rumpunt. Accepimus etiam in sacculos nostros caseum et arefactas ad fumum carnes, et flasculos nostros, et omnia nostra (75 A) peregrinalia, et de carina in puppim ascendimus. De puppi vero in barcam descendimus, et contra terram sanctam navigare incepimus, et cum gaudio magno altis vocibus cantavimus: In Gottes Nahmen fahren wir, seiner Gnaden ꝛc. ut habetur fol. 10. Hunc autem cantum nostrum non poterant audire Sarraceni in litore, quia inter nos et litus erant scopuli Andromedae, in quibus mare magno fremitu saevit, et sonat et hoc sono noster cantus non audiebatur. Venimus autem in ipsos scopulos, et inter scyllas per stridentes undas transeuntes aqua perfusi et madidi facti raptum naviculae et allisionem in rupes, quae minabatur, evasimus, et usque ad litus venimus et de navicula egressi sumus. Statim autem ut humum sanctam pedibus nostris calcavimus, proni in facies nostras cecidimus, et terram sanctam cum ingenti devotione deosculati sumus. In ipso vero contactu terrae benedictae indulgentias plenariae remissionis accepimus, quae signo tali (††) consequenter denotari ordinavi. Nam ubicunque ponitur crux simplex, ibi est indulgentia septennis: ubi vero ponitur crux duplex, est indulgentia plenariae remissionis a poena et a culpa, sicut solet dici: et prima crux significat indulgentiam culparum, secunda vero indulgentias poenarum. Finita ergo gratiarum actione de alveo maris ascendimus sursum per praeruptas rupes, quibus mare ibi cingitur et ora pelagi septa est. Stabat autem superius Pater Gardianus montis Syon et sui fratres cum praefectis terrae et senioribus Sarracenorum et Maurorum cum scriptore, et ita ordinaverant se ab utraque parte, quod per medium eorum transire peregrinos necesse erat: nec duo peregrini simul poterant transire, sed unus post alium; non autem sinebant nos transire continue, sed quemlibet tenebant, et acute intuebantur, ac nomen suum proprium et patris sui nomen requirebant, et scriptor ambo nomina in scriptis redigebat. Nescio autem quam difficultatem hoc nomen Felix in eorum lingua facit: quia tam in altera, quam in illa peregrinatione aliquotiens oportebat me eis ipsum nomen replicare, et tamen nec exprimere, nec scribere poterant, nisi

praemisso quodam raro dyptongo et fractis in gutture syllabis non Felix, sed quoddam nomen mihi inexprimibile loco ejus ponebant. Illam difficultatem cum illo nomine postea melius notavi. Fuit enim mihi familiaris factus quidam Sarracenus, Calinus minor, qui italicis verbis aliquotiens petivit nomen meum. Cui cum eum dicerem, nullo modo poterat ipsum exprimere, sed horribile quoddam nomen loco ejus expressit, de quo mirabar, cum fuerit in lingua italica peritus. Quam statim ergo nomen peregrini et sui genitoris inscriptum fuit, fuerunt ibi Sarraceni deputati, qui mox ipsum peregrinum rapuerunt, et trahebant ad introitum cujusdam tenebrosae et vetustae habitationis ruinosae testudinis, in quam ipsum contrudebant, sicut ovis jam emulgenda contrudi in stabulum solet. (B) Porro in ipsa spelunca septennis est indulgentia (†), quam consequitur peregrinus, dum devote ingressus fuerit. Et dicuntur haec speluncae cellaria S. Petri. Propter has indulgentias et alias consequendas multi de peregrinis fecerant prius in galêis mihi et aliis suas confessiones, et aliqui hic in litore maris confitebantur. Igitur cum in speluncas essemus intrusi, invenimus ipsum locum mansionis nostrae abominabiliter foedatum et deturpatum urina et humanis stercoribus necerat locus sedendi nisi in stercoribus. Ideo unusquisque locellum pro suo corpusculo cogebatur mundare, et stercora pedibus removere ad medium: unde factum est, quod in medio habitaculi congestus fuit magnus cumulus stercorum et immunditiarum. Et locavimus nos ad parietes per circuitum unusquisque ad latus alterius, sicut in galêa, super nudam et madidam humum. Ecce quam miserum pandocheum, quam defectuosum hospitium, quam immundum habitaculum! Numquid merito posset peregrinus devotus et Deo familiaris ex pia impatientia vel potius admiratione querulari et dicere: o Domine Jesu, quali curialitate recipis tuos peregrinos, terrae tuae sanctae hospites? de transmarinis et cisalpinis et de extremis mundi partibus venientes, ut curiae tuae se praesentent, te honorent, seque tanquam milites regi suo subjiciant. Numquid, piissime Jesu, propter te tanto itinere fessis et longae viae labore confectis debueras melius sternere, quam in irrenatorum foetidissimo stercore? Numquid non habes alium

stratum, nisi horridum sterquilinium? Ad haec Dominus, non est, inquit, servus major Domino suo, neque discipulus super magistrum, neque apostolus major eo qui misit illum. Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim. Si ergo haec et majora his passus sum, et vos eadem passione armamini. Advena ego fui in terra hac, et peregrinus, et quando primo die de mari divinae profunditatis et de navicula uteri virginalis ad hanc terram descendi, non in triclinio, sed in stabulo foetido, in diversorio inquieto, in pandochio defectuoso fui susceptus: nec in molli lectulo, sed in praesepio duro stravit mihi mater mea dulcissima, et inter bestias collocavit, quia alias non erat mihi locus in diversorio. In tota vita mea propriam mansionem non habui in terra hac: quia in propria quidem veni, sed mei me non receperunt. Inquilini enim domus meae sicut alienum habuerunt me, et quasi peregrinus fui in oculis eorum, Job. 19. In hac terra vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; filius autem hominis non habuit ubi caput suum reclinaret. Si quidem non sub murata testudine, sed in monte sub divo frequenter eram per noctes in oratione. Denique in opulenta et regali civitate Jerusalem non habui stratum, nisi ignominiosum crucis patibulum, nec habui proprium sed alienum post mortem sepulchrum. Sic enim oportuit filium hominis (**76 A**) pati, et ita intrare in gloriam suam. Non ergo dilecte peregrine sit tibi molestum, si in terra hac non habes molle lectisternium, si locaris in sterquilinium, si hospitaris in sentina immunditiarum. Recordare quod Dominus suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat. Sic David existens juxta de post foetantes accepit eum et regem Jsrael constituit. Inclytus Job depauperatus et ulcere pessimo percussus sedit in sterquilinio, et sua patientia duplicia promeruit. In sterquilinio enim dicit Gregorius super Job latet margarita Dei, scilicet cognitio propriae vilitatis, et abnegatio paupertatis. Hanc margaritam tu peregrine quaere, sedens in sterquilinio. His auditis devotus peregrinus gratias agit, pro eo quod dignus est habitus esse imitator sui Domini. Igitur in loco turpitudinis existentibus venerunt Sarraceni pauperes et

stramina, sarmenta collecta nobis vendiderunt, quibus humum humectatam cooperuimus, et nobis stratum aptavimus. Insuper mercatores, qui venerant de Jerusalem et de Rama, cum suis suaveolentibus mercimoniis ad nos ingressi, ibi forum fecerunt, portantes in vitriolis aquam rosaceam de Damasco pretiosissimam, et pro uno denario venetiano vendebant. Aliqui balsamum habebant, aliqui muscum, aliqui savetiam, aliqui lapides pretiosos, aliqui fasciola de bysso candidissimo, et mitras, et alia multa pretiosa et odorifera fuerunt ad nos illata; sed et ipsi mercatores et Sarraceni sunt unguentis aromaticis et liquoribus destillatis delibati, ita ut procul ex eis odor diffuudatur. Denique ipsi mercatores foetorem et squalorem habitaculi non ferentes incenderunt thura et thymiamata arabica: et ita factum est, quod locus ille turpissimi foetoris factus est apotheca svavissimi odoris, et illi, qui locum ante deturpaverunt, per se mundaverunt, et suis pedibus immunditias conterentes deportaverunt. In brevi enim spatio ex continua deambulatione factus fuit locus, paulo ante abominabilis, totus humanus et delectabilis, et quem ante bestiae intrare horruissent, nunc homines delicati et infirmi si intrassent, ex ordoribus bonis convaluissent. Cum magna quidem displicentia et amaritudine ingressi sumus; sed in spatio unius horae refrigerium et solatium ibi habuimus. Interea venerunt aliqui Sarraceni, et ova in frixorio oleo infuso coxerunt, aliqui panes, aliqui aquam frigidam, aliqui fructus, aliqui lacticinia aliqui placentas de ovis calidas apportantes, et nobis vendiderunt. De quibus emimus et comedimus, et pro dormitione nos aptavimus, quia dies jam inclinata erat. Cumque jam quilibet in loco consisteret, ubi per noctem manere volebat, **(B)** ingressus est ad nos unus Sarracenus saevus armis accinctus, fustem manu bajulans, et exegit a quolibet peregrino unum denarium Venetianum, quod prius non videram, ad redimendum tamen vexationem solvimus denarium pro hospitio. Porro cum jam tenebrae fierent, conduximus pretio duos Sarracenos, qui nocte ad ostium speluncae vigilarent, ne quis ingrediens nos molestaret, quia populus varius et multus erat ibi. Sic ergo noctem illam non sine formidine egimus. Aestimo autem, quod exactor praefatus fuerit nunc

dominus et possessor illius speluncae, unde audaciam accepit petendi censum pro jure sibi debito.

Sexta, quae fuit dominica VI. post Trinitatis, antequam plene illucesceret, rediit ille saevus exactor, qui in sero nos vexaverat, et posuit se cum fuste ad fores speluncae, nec aliquem sinebat exire ad opus naturae complendum, nisi dato sibi denario. Quem cum impatientia solvimus omnes, et non tantum imputavimus exactori, quantum patronis et patri Gardiano et Trutschelmanno, qui superius sub papilionibus quiescebant, et nos hic incarceratos novis exactionibus vexari sinebant, qui tamen tenebantur nos protegere et ab his defendere. Itaque denario soluto permissi sumus exire ad necessitates naturae, nec ausi fuimus longius ire, nisi ad oram maris, quia undique circumdati fuimus armatis paganis. Interea venerunt mercatores cum suis mercibus, et coci cum suis instrumentis, et juxta nos pro lucro suas operas exponebant, et diem dominicum ignorabant. Intendebam autem, in ipsa spelunca peregrinis pronunciasse evangelium diei dominicae cum exhortatione, et tantus erat tumultus circa mercatores et cocos et concursus Saracenorum et juvenum discursus, quod non potui complere horas, nisi cum multis impedimentis. Videntes enim me in libro legere, circumsteterunt, riserunt, clamaverunt, literas inspicientes et admirantes. Prandio peracto venit ad nos in speluncam Calinus parvus, id est, magister hospitalis minor, dictus Elphahallo, Sarracenus, probus tamen, ut sequentia docebunt, qui me optime novit, ex priore peregrinatione, et sciebat loqui italicum et corruptum theutonicum, quod didicerat a peregrinis, cum quibus saepe ad S. Katharinam peregrinatus fuerat. Hunc ergo virum interrogavi, quomodo res se haberent circa montem Synai, et dixi sibi, quae in galêa fuerant dicta. Respondit, omnia dicta illius mamaluci esse mendacia, et quod peregrinatio S. Katharinae esset jam securissima, quamvis anno praeterito Arabes monachos tribulaverint ad S. Katharinam, Soldanus tamen totam [rem] complanasset. His verbis fui multum laetificatus et duxi virum ad Dominos meos, eos sibi commendans. Statim autem vir dixit nobis, ut iremus secum et eduxit nos de specu, et circumduxit undique per medium (77A) castrorum, per tentoria Sarracenorum, et ostendit nobis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

apparatum eorum, et magnas ruinas civitatis Joppensis, et circuivimus duas turres in alto stantes, quae ibi derelictae sunt, et singulis lustratis reduxit nos in carcerem. Invenimus autem ipsam speluncam inquietam, propter juvenes Sarracenorum, qui diversis modis exercitabant et vexabant peregrinos, et multos insultus faciebant eis, de quibus longum esset dicere. Quaerunt enim cum industria occasionem, ut peregrinum offendant, si possunt, sine magna occasione ei data, et eo offenso accipiunt causam irascendi, et pecuniam postulandi. Circueunt peregrinos, et quicquid repererint, furantur, vel rapiunt, et aufugiunt. Quidam nobilis duxerat secum de Candia grandem flasconem cum malfaseto pretioso, et ipsum vas suspenderat juxta se ad parietem, quod videns quidam armiger Sarracenus per medium peregrinorum irruit, et flasconem arripuit, et fugit. Post modicum reversus flasconem evacuatum in habitaculum projecit. Quidam imberbis juvenis peregrinus de Biccardia valde fuit per eos vexatus turpibus jocis, non poterat se ab eis abscondere, quantumcunque latitaret inter peregrinos, nec pacem habere. Conquestus est autem rem Trutschelmanno, qui parvi pendit querimoniam, dicens: si aliquis sibi irrogasset injuriam et percussisset et nocuisset, vellet eum defendere et vindicare; sed propter jocum juvenum non posset aliquid facere, nec jocum juvenibus interdicere. Hoc audito peregrinus ille, ne aliquam maculam famae et honoris incurreret, et ne cottidianum ludibrium Sarracenis esset, postposuit peregrinationem, et remeavit in galêam, ibique exspectavit inter galêotas, donec peregrini reverterentur percursis locis sanctis. Erat enim peregrinus ille juvenis valde pulcher et propter hoc Sarraceni eum infestabant, forte magis ad vexandum, quam ad abutendum. Mille modos quaerunt juvenes illi, ut peregrinos subtiliter ad impatientiam provocent; ut, si ex subreptione percussionem aliquam facerent, poena pecuniaria mulctentur. Ibi locum habet illud Matth. 5. nolite resistere malo. Siquis consilium hoc tenere nequiverit, per terram sanctam cum pace non ibit. Similiter locum ibi habet illud Lucae. 6.: qui aufert, quae tua sunt, ne repetas. Et necesse est etiam ad literam illud Mathaei 5. servare: siquis

percusserit te in unam maxillam, praebe ei et alteram. Cum autem jam sero factum esset, et tenebrae essent, venit quidam et stetit in ostiolo speluncae, meque ex nomine vocavit, sic clamans: domine Felix egredimini foras. Territus autem respondi, me ibi in loco quietis esse, nec velle me exire; ad quod rogare me coepit, dicens: magnam imminere necessitatem. Exivi ergo ad eum, et erat quidem barcalerus nostrae galêae, missus a quodam, qui in galêa constitutus in agone mortis pro me clamavit, ut mihi confiteretur. Licet autem invitissime ad galêam reverterer, tamen ne animam fratris negligerem, in tenebris ad mare descendi, et in barca per scopulos periculosissimos in galêam navigavi, quae pene ita remota stabat (**B**) a litore, sicut Seflingen ab Ulma. Et statim infirmum illum expedivi, et lectulum meum de cumba mea sursum portavi, et in uno transtro, de quo mihi erat aspectus ad litus, quievi, ut in casu, quo peregrini de spelunca educerentur ad recessum, motum exercitus videre possem. Ex remotione enim lucernarum ardentium juxta tentoria dominorum Maurorum potuissem peregrinorum recessum percepisse. Nam juxta quodlibet tentorium pendebant VI ardentes lucernae in altis stipitibus propter honorem Machometi, et dominorum ibi dormientium reverentiam, et propter populi consolationem. Haec ego vidi de mari, et magnum compassionem cum Dominis et fratribus meis peregrinis habui, qui in spelunca squalida, et tenebrosa jacebant, et omni solatio luminis carebant, et illi canes Sarraceni illustratione copiosa gaudebant.

Septima die ante solis ortum descendi in barcam, et per stridentes aquas inter rupes ad litus remeavi festinus, quia putavi, nos illico recessuros. Sed quia patroni nostri discordes erant, ideo diutius detinebamur. Discordia vero illa Venetiis incepit, videlicet fol. 33., et usque huc duravit. Conabatur ergo quilibet suos peregrinos per terram sanctam ducere sine alterius patroni peregrinis, et volebant duos societates, vel duas separatas turmas facere, quae nec eodem tempore, nec in eisdem locis convenirent. Nos vero omnes petivimus duci simul et semel sub eadem pactione, quod et Sarracenis placuit in tantum, quod nullo modo volebant nos dividi ab invicem, pro qua tamen divisione ambo patroni constanter

instabant. Videns autem Pater Gardianus montis Syon, quod discordia illa patronorum peregrinationem impediret, et Sarracenos scandalizaret, eosque impatientes redderet, convocatis ad se notabilioribus peregrinis et quibusdam pacificis ac maturis Sarracenis, pro pacificanda lite laborabat. Sed post multa hortamenta et verba non erat ibi vox neque sensus concordiae, et post multas interlocutiones videbantur patroni magis indurari, et contra se invicem commoti. Toto ergo die illo de pace tractabant patronorum. Porro alii peregrini, qui tractatibus illis non intererant, animosi et audaces facti sunt, et de caverna exierunt ad litus maris, et ad locum, in quo stabant asinarii cum asinis, et in exercitum Sarracenorum transierunt sine timore, et emebant a Sarracenis, et cum eis societatem contrahebant. Ego etiam cum quibusdam sociis per longum spatium per litus maris descendi ad fontem aquae vivae, fluentis de saltu, et ibi bibimus gratis de aqua illa. Multis enim diebus non biberamus aquam nisi argento comparatam et emptam. Infra hunc fontem stat una rupis in mari, de profundo se super aquam erigens, circa quam dicunt S. Petrum Apostolum piscatum fuisse, et addunt simplices scripturam et evangelium ignorantes, quod ibi sit locus, ubi Dominus Jesus ipsum Petrum et fratrem ejus de mari vocaverit, dicens: venite post me etc. sicut habetur Matth. 4. et saeculares milites in suis libellis scribunt hic contigisse. Sed verum non est, quia illa vocatio apostolorum facta fuit in mari Galileae, nec legitur quod (78A) Dominus Jesus fuerit personaliter in Joppe, licet S. Petrus legatur hic fuisse. Actor. 9. Ideo non nego, eum hic forte piscatum fuisse. Reperimus etiam in maris litore innumeram multitudinem de testis ostrearum in multiplici et varia forma, de quibus collegimus eas, quae nobis magis pulchrae et mirabiles videbantur. Eodem die quidam miles emit a quodam Sarraceno lapides, quos venales habuit in spelunca, pro 5. ducatis, et putavit quod essent pretiosae gemmae. Quos dum suis sociis ostenderet, comperit, non esse gemmas veras sed sophisticas et falsas de vitro colorato. Retulit ergo vitrum ad mercatorem, et aurum suum rehabere cupiebat. Sed mercator ille nequam nec aurum reddere voluit, nec vitrum

recipere. Miles ergo patrono suo dolum indicavit, et patronus praefecto de Rama Sarracenum accusavit. Statim autem, ut praefectus audivit, misit apparitorem cum baculo ad carcerem nostrum, in quo mercator cum suis rebus sedebat, et abstulit ab eo vi illos quinque ducatos, restituens eos peregrino, et eo multis plagis cum baculo vapulato tradidit et vitrum. Sic ergo deduximus diem illum cum minori taedio, quam praecedentes. Cum vero nox facta esset venerunt quidam juvenes Aethiopes valde protervi et mali, scutiferi dominorum Maurorum, et volebant ingredi speluncam ad furandum et ad nos vexandum, sed custodes, quos conduxeramus, non permittebant eos intrare, et diu simul concertabant et litigabant ante introitum. Cum autem vidissent, quod ingressus eis non pateret, posuerunt se ante ostiolum, et tota nocte cantaverunt, ululantes, latrantes, grinientes sicut bestiae, canes et porci. Pessimas enim voces habent omnes Orientales, nec possunt formare melodiam, sed cantus eorum est caprarum clamor et vitulorum. Cum ista ergo inquietudine nox illa transiit.

Octava laborabat Pater Gardianus et alii maturiores de peregrinis et Saracenis pro concordia patronorum, sed nihil proficiebant. Quod cum domini Mauri et Sarracenorum praefecti vidissent, prudenti usi consilio ambos patronos advocaverunt, dicentes, quod nisi in continenti unirentur, eos captivare vellent, et ad Gazaram in custodiam mittere, quousque per dominum Soldanum diffinitum fuerit, quod de iis fieri deberet. Peregrinos vero vellent repellere in galeas sine locorum sanctorum visitatione, et eis de aliis patronis providere, et ad propriam terram remittere. Hac comminatione coacti sunt duo patroni se unire, et dextris sibi invicem datis pax inter eos facta est. Et conventione facta cum praefectis et dominis pro omnibus nobis, venit Elphahallo, minor Calinus, dicens, quod deberemus nos disponere ad recessum. Disposuimus ergo nos reperte, et sacculis ac flasconibus onerati stabamus exspectantes. Cumque domini Sarraceni se ante speluncam nostram locassent, ut iterum, sicut quando de mari ascendimus, numerarent nos, et multi peregrini jam dimissi essent ad asinos, ecce subito conversi in furorem, nescio qua de causa nos cum magna indignatione in specum retruserunt violenter (B) cum baculis minantes, in

speluncam sicut bestias a se repulerunt; illos autem peregrinos, qui jam numerati descenderunt et circa asinos erant cum baculis percusserunt, et ad speluncam recurrere compulerunt. Et ita hoc die etiam in specu mansimus, nec unquam poteram experiri, quae causa fuerit illius repulsionis.

Descriptio portus Joppen, et [de] civitatis illius antiquitate et sanctitate.

Antequam de portu illo recedamus, videre de eo convenit, quando ortum habuerit, et in quibus locis sacrae scripturae insertus sit praecipue, cum ad eum amplius non sint peregrini reversuri: quia in portu Alexandriae naves ascendimus, quando revertebamur, nec illum portum ulterius vidimus. Joppen portus antiquissimus et civitas vetustissima provinciae Palaestinae, et fuit octava mundi civitas, ante diluvium Noë aedificata, in cujus signum fuerunt ibi repertae arae post diluvium illorum deorum, qui ante diluvium colebantur. Est autem haec civitas binomina. Dicitur enim Japha a Japhet, filio Noë, qui hic dicitur ad tempus habitasse, eamque reaedificasse post diluvium; et dicitur Joppen a Job, viro simplici et sancto, quem etiam hic moratum fuisse aestimant. Porro in divisione terrae XII. tribuum Israel, cecidit haec in sortem tribus Dan. De hoc portu loquitur S. Jeronymus de distantiis locorum, dicens: Joppe oppidum Palaestinae in tribu Dan, ubi hodie quoque saxa monstrantur in litore, in quibus Gigas virgo, Andromeda, filia Cyphei, matris crimine et Amonis sententia alligata scopulo, et monstro marino exposita, stabant que parentes ejus in litore flentes. Perseus autem, qui fuerat totius nobilitatis Graeciae pater, filius Jovis et Danis, habuit equum alatum, et scutum Palladis, et talaria ensemque Mercurii. Hic de monte Ydolii in excelsum volatum arripuit, et dum in excelso volaret in equo suo alato, vidit virginem illam scopulis alligatam, in portu Joppe, et marinam ingentem beluam eam devoraturam. Hoc viso statim advolavit, et pactus cum parentibus, si eam a belua liberaret, uxor sua esset. Quod cum parentibus placuisset, venientem horridam beluam interemit, et virginem liberavit et nuptias cum ea habuit. Quod videns Phyneus, frater Cephei regis Joppe, cui ante sententiam

Andromeda fuerat desponsata, vi voluit eam sibi auferre. Sed Perseus eum devicit, et abiit in Persas, et bello Persidem obtinuit eamque a se denominari fecit. Quod autem Cepheus fuerit rex Joppe, ostendunt antiquissimae (79A) arae, in quibus veteres ejus titulum repererunt. Ossa vero illius marinae beluae, quam Perseus occidit, erant ingentia, et in litore ante civitatem Joppen jacebant in publico, et advenientibus Joppen ostendebantur. Sed postea per Titum et Vespasianum translata fuerunt inde Romam, et in publico suspensa, propter admirationem, quia erant admiratione digna. Omnes enim costae ejus quadringinta unius pedum longitudine prodentebantur. Porro S. Sylvester et alii Sancti, qui Romam Christo dedicaverunt, illa ossa et alia monstruosa comminuerunt, ne propter talia peregrini illuc venirent, et ne peregrini etiam ob honorem Dei et apostolorum Romam visitantes aspiciendo illa monstruosa tempus perderent, et devotionem amitterent. Sunt alii, qui dicunt, haec ossa fuisse Andromedae Gigantis virginis, quod non videtur, quia Perseus duxit secum Andromedam in Persidem, et ibi finivit vitam, et ad Joppen nunquam rediisse legitur. Josephus dicit, se vidisse catenas et circulos aeneos ingentes in scopulis, quibus Andromeda alligata extitit. Hujus Andromedae meminit Jeronymus saepe, singulariter in superallegato loco, et de peregrinatione S. Paulae. Et Boccatius lib. 12 de genealogia deorum, cap. 25., et Josephus. Canonica etiam scriptura hujus portus persaepe mentionem facit. Nam ad hunc portum misit rex Tyri Hiram ligna cedrina de Libano per mare, et inde tulit ea Salomon et duxit in Jerusalem, pro aedificio templi, ut habetur 2. Paralip. 2. et 1. Esdrae 3. Insuper rex Josaphat fecit in portu hoc classem, ut iret in Ophir insulam propter aurum inde tollendum, sed divino judicio confractae sunt naves, ut habetur 3. Reg. 22. Ad hunc portum fugit Jonas propheta, ut dicitur Jonae 1. Et ascendit hic navem, ut fugeret in Tharsis, id est in Affricam, in civitatem Charthaginensem, quam Jeronymus dicit nuncupari Tharsim et dum extra scopulos venisset intumuit mare. Unde libenter reingressi fuissent portum, sed non poterant quicquam proficere, nisi Jona in mare misso, quem piscis devoravit, eumque post triduum ad litus Joppe evomuit. Hunc

portum Judas Macchabaeus cum omnibus navibus ideo succendit, propter Judaeorum submersionem, quam dolose Joppitae procuraverant, ut dicitur 2. Macchab. 11. S. Petrus apostolus de Judaea pulsus in Joppen venit, ibique praedicavit, et Tabitham viduam suscitavit. Actor. 9. et 10. Et hospitatus fuit juxta mare in domo Symonis coriarii. Et nonnulli volunt, et rationi consonum est, quod testudines illae, et speluncae arcuatae, sub quibus inclusi stabamus, fuerint habitationes domus Symonis hospitis S. Petri. Hunc portum Jonathas et Symon Macchabaei munierunt, ut habetur 1. Macchab. 10. et cap. 14. Sed postea Romani eum devastaverunt bina vice, et ibi multa milia Judaeorum necaverunt, ita ut sanguis in mare defluueret, et partem maris, quae intra scopulos est, colore suo rubricaret. Deinde Christiani portum illum reaedificaverunt, (B) et multa proelia ex eo gesserunt, propter quod ultimo Sarraceni civitatem et portum penitus destruxerunt, nihil ibi integrum dereliquentes, nisi duas turres ob maris custodiam: caetera omnia dejecerunt suffodientes muros aedificiis combutis, ne erecti manerent. Vix vidi adeo grandes ruinas sicut ibi, et mirabar, qua arte potuerint tam spissos muros prosternere. Quam fortis autem haec civitas fuerit, ruinae indicant. Iuxta exitum de mari dereliquerunt testudines duas, quae in montem ipsum constructae sunt, et sunt superius humo operta et ruinis: propter quod semper est sub illis testudinibus humidum, et a superioribus aquae distillant, et parietes madidae sunt, et fundamentum lutosum, et toto anno ingrediuntur Sarraceni ad naturae necessitatem explendam. Ad has latrinas detruduntur peregrini Christiani, dum veniunt, ut dictum est; hoc vero singulariter grave est peregrinis ibi detentis, quod in ingressu speluncarum testudo est superius rupta et dependunt magni lapides, ruinam minantes, ita quod digito posset quis magnum lapidum cumulum dejicere, et sub istis periculosis ruinis intrant et exeunt continue peregrini. Accessus etiam de mari ad hunc portum est multum difficilis, et periculosus, et credo quod vix per circuitum maris sit adeo horribilis portus. Nulla namque grandis navis a quacumque parte veniat, potest ingredi portum illum, sed oportet foris manere et bolide fundum sibi quaerere

pro sui stabilimento. Sunt enim altiore in mari, quantum arcus jacere potest, petrae et scopuli praerupti scyllaeque et rupes de profundo consurgentes, et super aquam excrescentes et eminentes, inter quos mare semper fremit etiam quando alibi quiescit, et percutit petras cum tanto impetu, quod aqua allisa in altum salit, et sonitum magnum facit, qui per longa maris et terrae spatia auditur. His scopulis septus est portus ille, ac si artificialiter in ejus munimentum essent ibi circumpositi: nec patet parvis navibus ingressus, nisi ab una parte per medium duorum eminentium scopulorum, per quos magna cautela naves inducuntur, quia aqua ibi mira celeritate currit et recurrit impetuose ad utramque partem scopulorum se alidens. Et nisi barcalerus sive barcarius sit circumspectus, aqua barcam rapit, eamque scopulis illidit, et in mille frustra confringit. Ideo intrantes oportet quod fortissime remo tumentes fluctus confringant, ne barca elevata a medio dilabatur ad hanc vel illam partem et ad rupes impingatur. Sit tamen barcarius quantumcunque agilis, vix potest effugere illapsum aquae deorsum decidentis, ab utraque parte sursum ex forti collisione ad petras projectae. Isti sunt scopuli Andromedae, ut patet.

Nona die, longe antequam illucesceret, venit quidam Sarracenus cum lumine in nostram speluncam, excitans nos ad recessum. Surreximus ergo cum laetitia et de carcere egressi sumus, quasi captivi de loco captivitatis eorum (**50A**) Est autem ad partem aquilonarem inter speluncas et mare descensus per rupes ad locum, ubi asinarii cum asinis stabant et via per descensum est stricta, inter parietes petrarum, ita quod non potest quis ire nec ad dextram nec ad sinistram nisi per hoc medium. Stabant ergo domini patroni cum Sarracenis ante artitudinem, cum luminibus, lucernis et faculis, et unum peregrinum post alium de nomine suo et genitoris interrogabant, et in cedula, quam inscripserant in exitu nostro de mari, nomen quaerebant; et eo invento peregrinum illum descendere permittebant ad gregem asinorum, qui inferius juxta mare stabant. Si autem minor numerus fuisset peregrinorum, vel major, de quo patroni rationem reddere non potuissent, omnes retrusi in carceres fuissemus. Descendimus ergo ad locum

asinorum, et stabant asinarii nos exspectantes, et quam cito peregrinus in planum venit, arripuit eum proximior asinarius, et duxit eum ad asinos suos. Unde nonnunquam contingit, quod duo vel tres trahunt unum peregrinum, unus ad illam partem, alius ad aliam: quia, postquam rustici in villis proximis audiunt peregrinos ad esse, adducunt multos asinos, et plures quam sint peregrini. Ideo quilibet conatur peregrinum ad suos asinos ducere. Unus enim Sarracenus adducit VII vel VIII asinos, qui sui sunt. Idcirco contingit, quod non sunt nisi ducenti peregrini, et adducuntur quadringenti asini; ideo asinarii simul contendunt pro peregrinis, et trahunt eos hinc et inde: quia ille, ad quem nullus peregrinus veniret, gratis cum suis asinis advenisset. Hanc rem in prima mea peregrinatione non intellexi, et cum descendissem, accurrit unus Maurus niger, et importune arripuit me, trahere me volens ad asinorum gregem, juxta quem erat mirabilis tumultus. Ego vero timens ne me spoliare vellet, fortius retraxi, et vi magna me de manibus ejus excussi, et cum festinantia reascendi in locum, ubi stabant praefecti cum luminibus, et Patri Gardiano rem gestam narravi. Hoc audiens Gardianus dixit: cito cito descendite, et quicunque vos ducere velit, sponte cum eo ite. Me autem descendenti occurrit mihi quidam Sarracenus, et casu dextra sua apprehendit dextram meam, et velociter cucurrit, quia jam cuncti in asinis sedebant; eo vero currente, cogebar et ego currere lateraliter et male, quia, ut dixi, sua dextra fortiter tenebat meam dextram, et ita currebat mecum, per lapides, ad quos ego ad latus currens, offendi aliquotiens, et cecidi. Tandem ad asinos suos pervenit mecum et mihi bonum asinum parvum et ex toto nigrum dedit, et multam amicitiam et benevolentiam mihi per totam primam peregrinationem ostendit. Licet enim facie crudelis videretur, ita quod in principio valde eum timerem, tamen totus benignus erat, et miris obsequiis mihi ministrabat, etiam antequam novit conditiones meas. Erat autem servus cujusdam domini Sarraceni, quem ego non novi, qui dicebatur Galela, et servus nominabatur Cassa, et quicunque servum illum vocare voluit, ambobus nominibus eum vocavit Galelacassa. Et hoc (**B**) asinarius Cassa mihi dixit, quod quando

eum vellem vocare, deberem dicere Galelacassa. Illum enim asinarium, quem quis in portu Joppen acquirit, per totam terram sanctam habebit, et nullius alterius asinum accipiet: et quando est recedendum de aliquo loco, oportet peregrinum currere in asinorum gregem, et clamosa voce suum asinarium vocare, eumque quaerere. Igitur cum in illa secunda peregrinatione a loco, ubi stabant praefecti, descendissem, optabam invenire asinarium meum priorem, et antequam in asinorum gregem venirem, clamavi vocans asinarium meum Galelacassa: hoc audientes alii asinarii nullus me traxit ad suos asinos, videntes me habere notum asinarium. Me sic clamante dominus asinarii mei Galela, quem non novi, in equo sedens, Sarracenus realis et nobilis, ad me equitavit, et cum baculo, quem manu tenebat, tetigit me leniter, dans mihi signum ut tacerem, secumque starem in quiete. Est enim valde inquietus cursus et recursus peregrinorum et asinariorum, et omnes festinant, ut provideantur. Cum autem sic starem et omnes alii currerent et ducerentur ad asinos, anxiari coepi, ne forte Sarracenus ille me negligere vellet, et nisus fui ab eo recedere; quod ut vidit, loquebatur mihi chaldaice aliqua, quae non intellexi: hoc tamen dicebat, sicut postea conjicere potui: Sta hic mecum, ego sum Galela, et servus meus Cassa statim ad me veniet, qui tibi providebit de bestia. Tandem Cassa venit ad Galelam dominum suum: statim autem, ut me vidit, agnovit me, et ego eum, et ruit more Sarracenorum in osculum meum, et laetissimo vultu me suscepit, plurimum gaudens et admirans de reditu meo, et multa cum risu loquebatur mihi, quae ego non intellexi. Duxeram autem de Ulma mecum duas strepas ferreas, quas sibi propinavi, quas cum multa gratulatione suscepit: duxit ergo me in gregem ad asinos suos, et optimam bestiam mihi assignavit. Et mirabantur Domini et nobiles de tanta Sarraceni ad me amicitia, cum frequenter peregrini multas molestias patiantur a suis asinariis, percussiones et dejectiones de asinis et furta: a quibus omnibus fui liber: et sicut in priori peregrinatione, ita et in illa fidelissime mihi servivit, et in omnibus, in quibus eum invocavi, obtemperavit, ac si fuissem princeps. Saepe asinos meos mutavit, ut mihi magis placentem retinerem, in ascensu

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

asini me levavit, et in declivis et asperis viis me tenuit, ne caderem, aquam de sua amphora mihi praebuit, et de suis paximaciis mihi dedit; ad hortos per macerias ascendens intravit et mihi inde ficus et uvas et poma attulit. Stimulum suum, quo utebatur (**81 A**) pro asino suo, mihi dedit, cum tamen alii asinarii non patiantur, quod peregrini habeant stimulos ad pungendos asinos. Propter tanta servitia aestimabant nobiles et socii mei, quod ei multos denarios occulte darem: sed non fuit ita, nihil enim penitus dedi ei, nisi ad quod obligabar. Ego saepe cogitavi, quod forte suspicaretur, me esse aliquem magnum dominum, et quod ideo ita sedule mihi ministraret. Hanc enim fortunam in utraque peregrinatione habui, quod nullus Sarracenus, nec Arabs, nec Madianita, nec Mamalucus, cum quibus conversatus fui, unquam mihi aliquam molestiam intulit, nec possum dicere de percussionibus et vexationibus personae meae illatis, quamvis alios peregrinos saepe viderim graviter percuti et vexari. Semper habui bonas bestias in utraque peregrinatione, et cum hoc sanus et fortis mansi, Deo sit laus.

Recessus peregrinorum a mari in asinis.

Evagatione maris peracta nunc procedendum est ad evagationem terrae. Cum ergo, ut praemisi, ad gregem asinorum venissemus, et jam cuncti cum bestiis essent provisi, desuper sedimus in litore maris, et ibi aliquantulum exspectavimus, donec domini Mauri essent parati. Erant autem aliqui peregrini, qui ex devotione nolebant asinos habere, sed currere post exercitum volebant. Quod quidem admiserunt Sarraceni, et placuit eis: dummodo tantum currerent, quantum nos in asinis de via faceremus, et non post exercitum sed in exercitu irent. Sed dum procederemus festine, non poterant illi comitari nobiscum propter festinantiam et propter viam arenosam: et ideo sua necessitas cogebat eos accipere asinos. Nec est verum, quod apud nos solent dicere, quod Sarraceni nos cogant in asinis ascendere in Jerusalem et terram sanctam per transire, quia aestiment nos indignos, ut pedibus terram calcemus. Non curant, utrum peregrinus pedibus incedat vel

in asino, dummodo conventio patronorum cum eis teneatur, et quod pedibus incedens non a longe sequatur, quod oporteat eum exspectare. Ideo cogunt nos asinos recipere, ut semper simul maneamus, et ut sani in Jerusalem veniamus. Si enim peregrini deberent a mari pedibus ambulando ascendere in Jerusalem, et pertransire loca sancta in tantis caloribus et per viam arenosam in campestribus, et asperam in montanis, pauci vivi manerent, et propter calores et sitim et laborem in alieno aëre. Insuper si pedibus per loca sancta deberemus ambulare, quomodo possemus Arabes et rusticos in villis, qui insurgunt contra nos, effugere, vel eis resistere. Et ideo (B) pro bono nostro disponuntur nobis bestiae, et non propter despectum, ut inexperti dicunt. Igitur cum omnes essent parati, patroni cum praefectis processerunt in equis equitantes de mari, et nos in asinis sequebamur, et servi dominorum Maurorum post peregrinos equitabant, et asinarii nostri nos concomitabantur; et in isto ordine omnes a mari cum magna festinantia recessimus. Et erat ingens exercitus collectus ex Sarracenis et Christianis. Et vertimus mari dorsum, quod vergit ab aquilone in austrum, et habet Joppen quasi medium portum. Nam ad austrum habet Jamniam et Gazaram, et ad aquilonem habet Caesaream Palaestinae, et Ptolemaidam, Tyrum et Baruthum et Tripolim: haec omnia reliquimus post nos ad mare, et contra Orientem processimus, per terram Philistim, non omnino planam, sed collibus humilibus et dissimilibus dispositam, et est terra bona et fertilis, si in ea essent cultores et habitatores, est enim terra sancta pro majori sua parte deserta. Cum autem dimidium miliare a mari essemus, venimus juxta civitatem Geth, quae quondam erat civitas bellicosissimorum gigantum, de qua Goliath Getheus natus fuit, et, ut historiae tradunt, S. Christophorus in ea genitus fuit, et ad regem Geth confugit David a facie Saul; de illa civitate dicunt historiae, quod natura loci sit, quod ibi generentur feroces et fortes homines, unde etiam novissimo tempore Christiani multo effuso sanguine ceperunt civitatem illam, et de ea proelia fortia Sarracenis intulerunt, demum eam iterum cum magna strage tam Christianorum quam Sarracenorum perdiderunt: quam infideles capientes usque ad solum destruxerunt,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ita quod hodie stat sicut Joppen. Interea sol oriebatur, et pertransivimus terram delectabilem et multis ruinis murorum confusam. Ad latus autem cujusdam civitatis dictae Assur, quam aedificavit Salomon, ut habet Jeronymus de distantiis locorum, transeuntes mirati fuimus ejus ruinas. Tribus autem vicibus venerunt contra nos Arabes, qui tunc in diversis locis terrae sanctae erant diffusi, sed quia bene muniti eramus armatis defensoribus, violentiam nullam intulerunt, nec lapidibus, nec armis, sed se in exercitum occulte ingesserunt ad latera peregrinorum, et furari saccos, vestes, et hujusmodi satagebant. Sciebant enim nos esse inermes, et ideo circa nos currebant, et quidquid cecidisset peregrino, aut non caute custoditum fuisset, rapuissent. Si enim non cum tanta potentia transivissemus, violentiam nobis intulissent, et cum fustibus et baculis ac lapidibus nos coëgissent, sicut saepe inter Joppen et Rama contigit. Et quando Arabes non sunt in provincia, tunc in transitu peregrinorum conglomerantur villani, et impetunt exercitum peregrinorum cum multis injuriis. Unde periculosum valde est iter de Joppen ad Rama ob (82A) hujusmodi insidias et insultus paganorum. Inter haec procedentibus nobis vidimus in colle non multum alto civitatem Rama in fertilissimo et pulcherrimo loco. Cum autem unius jugeris spatio prope venissemus, descendere de asinis et pedites ire cogebamur, singulique res suas in humeris portare. Asinos itaque asinariis resignavimus, et contra civitatem properavimus, cum magna molestia ex eo, quod calor erat intensus et pulvis hinc inde agitabatur, et compressio populi magna. Non enim patiuntur pagani, quod Christiani eorum civitates et oppida ingrediantur equitando, nisi venerint in tenebris: clara die non possunt. Praecipue tamen hanc civitatem Rama digniorem caeteris reputant, quia Thadi, id est episcopus eorum ibi residet; observant, ne Christiani, nisi pedites, ingrediantur. Ingressi autem urbem, non remote a porta civitatis, venimus ad quandam domum cum submisso et parvo ostiolo, ante quod stabant praefecti et unum post alium numerabant, sicut fecerunt, quando de mari exivimus: et per ostiolum intrare jubebant. Porro ab intus erat curia magna et pulchra, cum multis cameris et diversis habitaculis

testudinatis et fons sive cisterna bonas et sanas continens aquas. Hanc domum Philippus quondam Dux Burgundiae bonae memoriae in hospitium comparavit peregrinorum, ac fratribus montis Syon commendavit. Unde et hospitale peregrinorum nominatur. Fratres autem montis Syon eam locant alicui Christiano orientali, qui ibi habitat. Audivi, quod antequam domus illa esset pro peregrinorum hospitio comparata, cogebantur peregrini manere in civitatis diversorio juxta plateam in magna despectione et miseria, et multas sustinebant a Sarracenis injurias. Singulares enim inimici Christianorum sunt Sarraceni et Mauri de Rama, et magni vexatores, ut patebit. Divisimus ergo nos per habitacula socii ad socios compares, et Domini mei cum omnibus suis famulis habuimus habitaculum satis amplum, ad quod mattas emimus, cooperientes terram, ut non in nudo humo nos sedere, jacere, dormire et manducare oporteret. Non enim erat ibi nisi camera testudinata cum pavimento et parietibus vacua omni supellectili, dempta illa, quam nos intulimus. Erat autem, quando civitatem ingressi sumus, circa horam IX. ante meridiem. Porro Pater Gardianus cum suis fratribus in interiori horto domus, ubi erat habitatio patronorum, disposuerant et erexerant altare ad stipitem magnae palmae, quae ibi stabat repleta dactilis, et omnibus peregrinis vocatis ad illum hortum, et obstructis januis, ne pagani nos impedirent, unus de fratribus Missam celebravit. Sub Missa vero Pater Gardianus pulchrum sermonem fecit (B) latinum, quia Italicus erat, et Theutonicum ignorabat. Et quia non habebat secum fratrem Theutonicum eloquentem, qui suum sermonem Alemanis interpretaretur, rogavit me sibi assistere, et peregrinis Theutonis sua hortamenta proponere, quod libens feci: et ad ejus latus steti, et prolata ab eo propositione in Latino, eandem ex ore ejus sumpsi, et in vulgari Theutonico protuli. Porro in ipso sermone proposuit certos articulos peregrinis, in quibus comprehendit regimen et videndi ordinem, quem tenere deberent inter Sarracenos et infideles conversantes in terra sancta, ne ignorantia periculum incurrere contingeret.

Primus articulus: si aliqui peregrini venissent sine expressa licentia Papae, et ex hoc excommunicationem Papae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

incidissent, tales finita Missa deberent se sibi praesentare, et ipse eos autoritate apostolica sibi commissa vellet absolvere. Est enim casus papalis, qui sine licentia ad terram sanctam peregrinatur, ut patuit supra fol. 5. A. Ratio hujus excommunicationis est, quia postquam Christiani fuerunt de terra sancta expulsi, aliqui mali Christiani etiam latini manserunt in ea, et confoederaverunt se Sarracenis, praestantes eis juramenta, aliqui etiam, qui emigraverunt, revertebantur ad eos, et sesubjiciebant, qui postea navigaverunt ad partes Christianorum et inde ferramenta, arma, quibus orientales carent, induxerunt. Hoc Papa considerans excommunicavit omnes cum Sarracenis remanentes et confoederationem cum eis habentes. Excommunicavit etiam illos, qui eis arma et alia necessaria deferrent. Ipsam etiam terram excommunicavit, ut quicunque eam ingrederetur sine ejus licentia, anathema esset, quia ibi morari non posset sine communicatione cum infidelibus et cum haereticis. Excipiuntur tamen ab illa excommunicatione religiosi terram sanctam ingredientes, et si cui amicus detineretur apud Saracenos captivus, potest sine licentia Papae ingredi et cum Sarracenis pacisci pro amici liberatione. Haec legi in quodam peregrinatorio cujusdam peregrini, qui ante CL annos fuit in terra sancta. Generalis tamen magister ordinis praedicatorum nulli dat licentiam fratri, nisi prius frater habet licentiam Papae.

Secundus articulus: nullus de peregrinis debet solus per loca vagari sine ductore Sarraceno, quia intutum et periculosum est. Hunc articulum ego F. F. F. male tenui, ut sequentia monstrant.

Tertius: caveat peregrinus ne super sepulchra Sarracenorum transeat, quia invitissime vident, et cum lapidibus percutiunt transeuntes, quia aestimant, quod transitus noster defunctos cruciet et perturbet.

Quartus: si percussus fuerit quis de peregrinis a Sarraceno quantumcunque injuste, non repercutiat, sed percussorem Gardiano vel Trutschelmanno (S3A) accuset, vel Calino, et illi sibi justitiam facient, si possunt: si non possunt, quia quandoque juvenes protervi sunt et durae cervicis, patientiam habeant pro Dei gloria et pro suo majori merito.

Quintus: caveant peregrini, ne de sancto sepulchro et de aliis locis aedificatis particulas descindant, et formatos lapides deforment, quia sub excommunicationis sententia prohibitum est: de hoc in sequentibus plura dicentur fol. 217. B.

Sextus: quod peregrini nobiles non deturpent parietes depingendo arma sua, vel scribendo nomina sua, aut chartas, in quibus eorum arma sunt depicta parietibus affigendo, aut instrumentis ferreis columnas et tabulas marmoreas radendo et forando ad inducendum signa suae praesentiae. Hoc enim valde scandalizat Sarracenos, et tenent facientes haec pro stultis.

Septimus: quod peregrini ordinate et sine tumultu et litigio procedant ad visitationem locorum sanctorum, et non conetur unus alium praecurrere, quia multa deordinatio solet circa hoc contingere, et multorum devotio ex hoc impeditur.

Octavus: caveant peregrini, quod non simul corrideant ambulantes in Ierusalem per loca sancta: sed maturi sint et devoti propter loca sancta, et propter infidelium exemplum, et ne suspicentur, quod eos derideamus, quod valde aegre ferunt. Semper enim risus et laetitia peregrinorum est eis suspecta.

Nonus: caveant peregrini summopere, ne jocentur cum pueris et masculis Sarracenorum accurrentibus, et ne eos arrideant, quia quamvis bono animo hoc fiat, tamen multa inde sunt saepe mala exorta, et si quid risui dignum egerint tales pueri, avertat se peregrinus, et seriosus sit et pacem habebit.

Decimus articulus: caveant peregrini, ne in foeminas, si quae occurrerint, figant oculos; quia Sarraceni omnes zelotypi magni sunt, et posset peregrinus nesciens periculum incurrere propter vehementiam alicujus zelotypi.

Undecimus: si peregrinus a muliere aliqua nutibus et signis in domum invitatus fuerit, nullo modo ingrediatur, quia mulier ex instinctu virorum id facit dolose, ut Christianus intrans spolietur, et forte vita privetur. Magnum enim periculum imminet incautis.

Duodecimo: caveat peregrinus ne in itinere vel alias Sarraceno petenti potum vini praebeat, quia statim ad unum duntaxat haustum inebriatur, et insanire incipit primo in ipsum peregrinum insurgens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tertio decimo: teneat peregrinus suum asinum, quem primo a suo asinario recepit, et non mutet vel mutuet alteri, nisi de consensu asinarii, quia alias turbatio oritur. (B)

Quartus decimus: cavent domini peregrini nobiles, ne se coram Sarracenis de ingenuitate prodant, quia imprudenter ageret multis respectibus.

Quintus decimus: non imponat peregrinus capiti suo praesentibus Sarracenis mitras albas, nec involvat caput albo sudario aut panno; quia hoc sibi putant solis licere: et est signum eorum distinctivum ab aliis gentibus; nec sustinent Christianos albis indutos vestibus, quod tamen est contra Alchoron suum, in quo aliquotiens Christiani nominantur albi, et quotiens de eis mentionem facit, albos vocat, ut habet Nicolaus Cusa de cribratione Alchoron: plura enim Sarraceni sibi praeter Machometi ordinationem reassumserunt, quae olim idolatrae habebant, ut est de vestibus: vestiuntur enim ita, quod nec vir, nec mulier apparet veste hermofrodica, sicut olim legitur de Semiramide regina, quae sic inter armatos contra Bactrias processit vestita, quod nemo novit eam, vel virum vel foeminam, et iste modus hodie in oriente viget. Sic etiam ex gentili more capita linteaminibus involuta et bullata habent, sicut legimus Dionysium, Semeles filium, luxuriae crapulaeque deditum fecisse: nam si quando ex potu bibentis caput agitaretur, mitra illud alligabat, unde et Mitriphoros dictus est. Quem Machometus ebrius imitatus caput semper illigatum habebat: verum post vino abdicato pro homicidio in vini furia commisso capitis bullam retinnit, eam suis cultoribus reliquit, quia hodie bullati et quasi coronati lineis incedunt et nobis non admittunt capita albis tecta habere.

Sextus decimus: non portet peregrinus cultellos, nec aliqua alia dependentia, ne ab eo discerpantur et auferantur, et nulla portet arma.

Decimus septimus: si peregrinus contrahit cum aliquo Sarraceno familiaritatem, caveat, quod non nimis sibi confidat, quia dolosi sunt, et praecipue caveat, ne in joco cum eo habito manum sibi in barbam mittat, vel manu involucrum capitis sui percutiat, etiam jocose et leniter. Hoc enim omnino

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

foedum est sustinere apud eos, et omnis jocus obliviscuntur, et irascuntur. Hujus facti ego F. F. F. accepi experientiam.

Decimus octavus: diligenter custodiat peregrinus res suas, et nullibi, ubi Sarraceni sunt, jacere permittat, alias statim evanescunt, sint quaecunque res.

Decimus nonus: si peregrinus habet flasconem vini, et placet sibi bibere, si Sarraceni assunt, occultet flasconem, et occulte bibat: roget socium, ut ante eum se ponat, vel se pallio operiat, ut occulte bibat. Quia ex quo ipsis potus vini est interdictus, quando vident nos bibere, invident nobis, et si possunt, molestant bibentem.

Vicesimus articulus: non faciat peregrinus commercia cum Sarraceno, nisi cum tali providentia, quod sciat se non falli. Conantur enim nos fallere et arbitrantur, se Deo obsequium praestare, dum aliquem possunt fallere et decipere. Et ante omnia sit peregrinus providus et custodiat se a Judaeis theutonicis; quia toto nisu ad hoc tendunt, ut nos fallant, et pecuniis spolient. Sic etiam custodiat se a Christianis orientalibus in commerciis, quia nullam habent conscientiam, minus quam Judaei et Sarraceni, et si possunt, decipiunt peregrinos.

Vicesimus primus: peregrini facientes contractus cum Sarracenis non litigent cum eis, nec jurent, nec irascantur. Sciunt enim, haec esse contraria christianae religioni, et quando talia vident, statim dicunt: O male Christiane. Nam hoc Italicum vel Latinum omnes sciunt; et ad omnem motum vitiosum peregrini objiciunt nomen Christiani, ac si dicerent illud Augustini de doctrina christiana. Tu, inquit, quomodo Christianus diceris, in quo Christiani actus non sunt: Christianus justitiae (84 A) bonitatis, integritatis, patientiae, castitatis, prudentiae, humilitatis, humanitatis, innocentiae et pietatis nomen est. Debet ergo peregrinus sic se gerere, ut non blasphemetur nomen tam nobile in ipso etc.

Vicesimus secundus: caveat peregrinus, ne Muscheas, id est, Sarracenorum templa et oratoria ingrediatur, quia si reperiretur, imperturbatus nequaquam exiret, etiam si cum vita evadere posset: de hoc plenius fol. 261. et consequenter.

Vicesimus tertius: caveat summopere peregrinus, ne Sarracenos orantes et gestus sui cultus exercentes irrideat,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quia hoc omnino non possunt sustinere. Nam et ipsi cavent, ne nos in orationibus nostris impediant, nec derideant.

Vicesimus quartus: si contingeret peregrinos longius detineri in Rama et in aliis locis, quod habeant patientiam, nec Patri Gardiano imputent: sed Sarracenis, qui in ista re faciunt, quod eis placet, et non quod nobis utile esset.

Vicesimus quintus: quod peregrini ad redimendas multas vexationes non sint nimis tenaces, sed dent debitam pecuniam cito, et cum pace. Asinariis autem nullus det pecuniam, cum domini patroni totum solverint; nisi aliquis det ex liberalitate asinario denarium pro pabulo asini, quod tamen facere non tenetur.

Vicesimus sextus articulus: quod peregrini aliquid donarent hospitalario hospitalis, in quo eramus, quo domus in ruinis refici et restaurari posset.

Vicesimus septimus et ultimus: quod peregrini habeant sibi recommendatum pauperem Conventum fratrum montis Syon in Jerusalem, quorum procuratione inducuntur et educuntur peregrini, et quod eleemosynis suis conventum foveant et fratribus succurrant, qui ibi inter infideles commorantur in consolationem peregrinorum, et peregrinis pro posse servire parati sunt, etiam subjiciendo se pedibus eorum, si necesse foret. Et si non cuilibet peregrino fuerit factum juxta necessitatem suam, et voluntatem, non imputet fratribus, quia si omnibus deberent satisfacere ministrando vinum et panem, post abscessum peregrinorum non haberent, unde viverent. Infirmis autem et debilibus peregrinis omni conatu et diligentia ministrare parati essent, eosque in suo infirmitorio refovere et charitative tractare.

Haec in Latino et Theutonico sunt peregrinis pronunciata. Porro cum sermo sic protraheretur, Sarraceni, qui in anteriori atrio stabant seclusi, impatientes facti cum lapidibus ad ostium pulsaverunt, ac si ostium rumpere vellent. Alii ascenderunt super domum et in curiam respexerunt, ubi eramus, ridentes et clamantes. Nos vero ex hoc conturbati contra juvenes illos seriosis vultibus (B) respeximus, annuentes ut tacerent et descenderent. Qui videntes serium nostrum conticuerunt, et unus post alium abscessit. Et totum officium cum pace

perfecimus, et erat jam facta hora meridiei. Reserato ergo ostio exivimus in nostram curiam, et eam plenam reperimus Sarracenis, Judaeis, Haereticis, Christianis orientalibus diversas res venales habentes, et praecipue ea, quae ad victum pertinebant. Ibi reperimus pullos et gallinas coctas, lac coctum, pulmenta de farre et de riso cum lacte coctis, panes optimos, ova, uvas et botros dulcissimos, mala granata, poma, pomerancias, angurias, lemunas, ficus magnas et parvas, confecta etiam de amigdalis et melle, et caricas, et quaedam confecta de zukaro et amigdalis et dactilis, et aquas frigidas. Quidam etiam attulit in stangneis vasculis poculum confectum, quo utuntur magni domini Sarracenorum loco vini. Emimus ergo cibaria ad placitum, et in cubilibus nostris manducavimus. Eodem die facto prandio duxit nos Calinus minor, qui dicitur Elphahallo, per civitatem Rama ad vicos mercatorum, et vidimus ibi diversas merces pretiosas et Muschkeas magnas, et ad quoddam aestuarium ivimus, in quo multi peregrini balneabantur cum Sarracenis. Hoc aestuarium sicut et alia Sarracenorum aestuaria miro ingenio et modo aedificatum est, quatuor inclusum turribus, quod de subtus ex fornace per pavimentum stratum pulchro polito et vario marmore calorem transmittit. Vide de aestuariis Sarracenorum multa, et an sit licitum Christianis, cum eis communicare in balneatione, et plura de hoc Part. II. fol. 15. A. B. Visa ergo civitate in locum nostrum reversi sumus; et cum sero factum esset, ejecimus omnes mercatores et ostium domus repagulis obfirmavimus, et ad dormiendum nos locavimus.

Decima die, quae est 7. fratrum, mane ante solis ortum, priusquam Sarraceni et mercatores surgerent, excitati fuimus ad Missam, et erecto altari in curia nostra quidam de fratribus celebravit, et post Missam intimatum fuit nobis, quod disponeremus nos ad visitandam ecclesiam S. Georii in Dyaspoli, ubi martyrizatus fuit idem Sanctus. In mea prima peregrinatione non poterant nos ducere ad locum illum, quia Arabes villam illam vallaverant, et nos exspectabant, ut spoliarent. Cumque parati essemus, sicut intravimus, ita et exivimus civitatem, et ante urbem asinarios nostros cum asinis paratis reperimus. Cucurrit autem quilibet in gregem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

asinorum voce magna clamans et vocans suum asinarium, et clamor meus erat: Galelacassa! Galelacassa! Alii aliter clamabant, secundum quod diversis nominibus appellabantur. Sedimus ergo super asinos et cum magna festinantia contra Dyaspolin properavimus, quae fere duobus miliaribus italicis a Rama distat. Venimus ergo in Dyaspolin, quae etiam Lidda dicitur (85 A) et Lyddia, et olim fuit grandis civitas, sed per Sarracenos destructa nunc villa non parva est. Ad locum ergo, in quo S. Georius fuit diversis suppliciis martyrizatus, accessimus et locum devotius deosculati sumus, ipsum clinodiis nostris contingentes, et indulgentias septennas (†) recepimus. In hoc loco vidimus maerore cordis nostri ruinas pulcherrimae ecclesiae altae et magnae, de qua adhuc pars chori stat, dejectis tamen testudine et tecto, et in choro est locus martyrii S. Georii, in quo semper ardent duae lampades, quas nutriunt Christiani graeci, qui morantur in villa. Porro reliquam partem ecclesiae per muri intercisionem separaverunt a choro, et in ea parte Machometo Muschkeam fecerunt pulchram et ornatam cum alta turri. Stabat autem ostium ex adverso ita, quod in atrium Muschkeae videre poteramus et in Muschkeam, et erat sicut paradysus mundum et pulchrum. In illa civitate suscitavit S. Petrus Aeneam et praedicavit ibi ut habetur Actor. 9. Tempore, quo Christiani terram sanctam possederunt, erat ibi episcopatus et divinus cultus magnus. Prope civitatem illam vidimus montem Modin, in quo quondam fuit civitas Macchabaeorum, virorum fortissimorum, ubi et sepulti sunt Matthatias cum filiis suis: de quorum sepulchris habetur fol. 71. B. Et videtur fuisse civitas haec Lidda de tribu Neptalim. Cum ergo in Dyaspoli expediti essemus, reversi sumus in Rama ad prandium [quod] ibi fecimus. Post prandium stitimus parati ad recessum, sed nec patroni, nec Trutschelmannus, nec aliquis praefectus apparuit nobis: sed erant simul in arto consilio toto illo die in conclavi, et compugnabant, propter quod omnes in timore stabant. Insuper auditum fuit, quod Arabes diffudissent se per itinera, quibus iter in Jerusalem, ita quod non pateret nobis ascensus, quousque se moverent. Hanc enim plagam permisit Deus super terram illam, et super omnes regiones per circuitum, quod

Arabes, populus nudus, miserrimus, bestialis, profugus, solius deserti inhabitabilis inhabitator, omnes vexat, turbat et domat, etiam ipsum regem, potentissimum Aegypti Soldanum. De his Arabibus alio loco venit latius dicendum. Igitur dominis Mauris et patronis occupatis in consiliis nos mansimus in curia cum magna inquietudine, quia curia tota erat plena mercatoribus, et tumultus ingens fuit ibi. Concurrebant enim Sarracenorum juvenes mali, et pueri ac senes, et nos nimis fatigabant, et stabant ante nos videre et audire nos, et praesertim illos, quos passionatos notaverunt, et illos, qui ad eorum ludos riserunt. Non facile possem tribulationes et trufas juvenum Sarracenorum enarrare. Inter alia tamen contigit, quod quidam protervus juvenis locavit se ad pedes cujusdam peregrini nobilis et maturi viri, et circumspexit, an aliquem colludentem invenire posset. Tandem conversus ad nobilem, ad cujus pedes (B) se locaverat, arripuit ei pedem, ut traheret, miles autem ille perpendit primo incautum esse jocum, retraxit pedem ad se, quasi non esset sibi curae de eo: juvenis vero videns se contemni, alterum pedem nobilis in terra sedentis arripuit, trahens nobilem, ut eum in dorsum poneret. Et dum fortiter traheret militem, miles commotus, et emisso cum violentia alio pede, quem retraxerat, in ventrem Sarraceni adeo dure trusit, quod juvenis pedem tentum dimisit, et eversus capite deorsum et pedibus sursum usque ad medium pavimenti revolutus sicut globus volvebatur. Et surgens juvenis confusus habitaculum exivit: in hoc facto valde timebamus, ne juvenis concitaret aliquos contra nos. Sed nihil mali secutum fuit. Alius quidam juvenis trufator ingressus stetit ad faciem cujusdam peregrini, et fecit quasdam digitorum plicationes, turpitudinem quandam signantes, quod ille peregrinus sustinere non valens, cum suis manibus manus illius trufatoris fortiter percussit, et ei turpem figuram, quam digitorum plicatione fecerat, destruxit. Quod cum vidisset armiger quidam Sarracenus, vehementer iratus contra peregrinum insurrexit, et nisi peregrinus ille se occultasset, in captivitatem ductus fuisset. Stabat enim armiger ille cum complicibus suis, et diu exspectabant, si illum peregrinum possent in loco oportuno apprehendere. Sed peregrinus amplius

non exivit de latibulo suo. Aliud, quod nobis accidit, referam. Quidam nobilis peregrinus taedium fugere volens depinxit in pariete arma sua et suorum sociorum satis pulchre et ornate, et cum jam opus perfecisset, in quo multis horis laboraverat, quidam de Sarracenis occurrit, et manu stercorizata, et stercore linivit turpiter picturam istam, et abscessit ridens. In hoc facto nobiles pessime erant contenti, et juveni quidem maledicebant, sed nemo in illum manus ausus erat mittere. Si fecisset in partibus nostris, fuisset in frusta dilaceratus. Multa talia sustinuimus in illa civitate: sed non tantum, quantum in mea prima peregrinatione. Nam capitaneum, qui de Joppen duxerat nos in Rama, captivaverunt in oculis nostris, et in artam custodiam eum posuerunt: dicentes, eum nullam habuisse autoritatem ducendi peregrinos in terram, et nos sine salvo conductu in terram venisse, et ideo tributum denuo nos solvere oportere: quod si facere recusaremus, Jerosolymam visuri non essemus, sed in galêam reverti necesse esset; et pro temerario ingressu in terram iuxta dominorum Maurorum decretum pecuniam daturi. Et mansimus quatuor diebus in Rama in illa suspensione, quod non aliter intelligere poteramus, nisi quod in galêam reducendi essemus, et sanctum Domini sepulchrum non visuri. O quantam tristitiam in cordibus nostris habuimus et inquietudinem! Tandem tamen ad loca optata ducti sumus etc. Nunc ad propositum regrediar. Cum dies advesperasset, venit unus de famulis patronorum, dicens, nos illico recessuros. Receptis ergo sacculis nostris de habitaculo egressi sumus, et juxta ostium domus sedimus, expectando tempus recessus. Post horam venit quidam (86A) dicens, quod quidam Mamaluci armati venissent de Chayro, propter quorum adventum non possent ductores nostri hoc sero recedere. Et ideo deberemus cum quiete ad habitacula nostra reintrare. Hoc audito cum impatientia cameras nostras ingressi sumus. Et dum sessum capere vellemus ut prius, ablatas mattas vidimus, in quibus sedere et jacere consueveramus. Ille enim Sarracenus, a quo eas emeramus multis denariis, aportaverat eas. Eo ergo accersito petivimus, ut mattas nobis restitueret; sed nullo modo facere volebat, nisi eas denuo emeremus: dicens, quod non vendidisset nobis eas, nisi ad nostrum exitum

de habitaculo. Et quia cameram vacuam demiseramus, exspirasse dixit terminum illius emptionis, non obstante quod reversi essemus. Multas contentiones habuimus cum illo Sarraceno, quia furiosissimus erat, et in litigio saepe contra nos sputum projiciebat. Mansimus ergo in habitaculo sine mattis, quia sibi denarium nullum volebamus dare, ne suae avaritiae refrigerium praeberemus. Demisisset prefecto nobis eas pro paucis denariis, sed repulimus eum a nobis. Cumque jam nox esset, manserunt aliqui in habitaculo dormientes super nudam humum. Ego vero cum quibusdam aliis, ascendi supra testudinem domus, ubi dormiebat Calinus magnus et quidam Sarraceni alii, et ibi etiam supra pavimentum nos ad quietem locavimus sub dio dormientes. Sunt enim domus in orientalibus partibus ita aedificatae, quod supra eas fit deambulatio, et temporibus, quo sol absens est, ascendunt homines pro refrigerio et ibi laborant, manducant, et sibi sternunt et dormiunt. Sole autem splendente sub testudinibus in umbra manent. Omnes enim domus sunt testudinatae et totae lapideae, quia ibi valde pauca ligna habentur. Sic ergo supra domum mansimus, sed certe quietem, quam quaesivimus, non habuimus, propter clamores Sarracenorum Soquorum, qui in Muschkea prope nos clamabant, et more suo cantabant, quasi usque ad medium noctis. Similiter supra turres stabant, et ullulabant cum ardentibus lampadibus. Sunt enim turres eorum altae et rotundae, in quibus stant Sarracenorum sacerdotes, gerentes officium campanarum et professionem fidei eorum pronunciant. De quibus plenius infra dicam fol. 94 in part. II. de officio eorum et ritu. Erat enim illa nox eis sollemnis, ideo plus solito clamabant, nosque inquietabant, et ita nox illa praeteriit.

Undecima die, quae est Procopii confessoris, ante lucem surrexi et officium meum dixi, in eminentiori testudine quam dormieram, sedens supra convexum cujusdam altioris camerae, de quo poteram omnes per circuitum jacentes videre. Cumque jam dies illucesceret, surrexerunt Sarraceni, et stratis compositis ac vestimentis applicatis, mox (B) ponebant genua ad orationem et junctis manibus sursumque elevatis cum quodam devotionis rugitu et magno serio adoraverunt: aliquotiens capita cum dorso inclinantes usque ad terram, et diutius

sic inclinati manebant, et iterum se erigentes vultum ad coelum levabant, et omnes simul eosdem mores servabant, ac si fuissent monachi ejusdem regulae. Et oratione finita ad solita negotia properabant. Hoc ibi vidi illo mane et postea saepe alibi. Porro post solis ortum nostri peregrini surrexerunt, et statim nulla praemissa oratione colloquium habere coeperunt, et risum cum dissolutione serio et sine devotione. Cumque sic sedens comparationem facerem eorum, quae vidi ab his et ab illis, mente contristatus et confusus fui, ex eo quod isti irrenati et homines perditissimi in augmentum suae aeternae damnationis cum tanto serio et maturitato adorando, iram Dei contra se implacabiliter provocant, Angelos et Sanctos et caelestem curiam suis blasphemis orationibus cum tanta disciplina et gravitate inhonorant; et nos Christiani miserrimi et ingratissimi, Christi pretiosissimo sanguine redempti, cum levitate et dissolutione et indicibili continua tepiditate et distractione et taediositate Deo vivo et vero orationes nostras offerimus, a quo speramus fide certissima gratiam et gloriam nos recepturos. O Domine Deus, quam gratiam dabis pro indevotissimis et brevissimis orationibus nostris! Et utinam saltem orationes nostrae tepidissimae fide integra fierent! Sed quid dicam? Multi timeo Christiani integrum diem sine aliqua Dei veneratione et oratione transcurrunt, quod tamen apud Sarracenos, Turcos, Barbaros, Iudaeos, Arabes absurdum esset fieri. Habent namque gentiles illi orationum suarum etiam positionem et modum, quem non transgrediuntur pro ulla occasione, nisi sit inevitabilis. De eorum orationibus et jejuniis vide fol. 94. part. II. Occasionem loquendi nunc de illis praebuit mihi, quia eos et nostros consideravi, ut dictum est. Igitur cum sol ortus fuisset, non vidimus dispositionem ad recessum, et regressi sumus in nostra habitacula, et ementes cibos manducavimus. Sedentibus nobis sic ingressus est ad nos quidam pauper et miser Sarracenus, portans in sporta pomerancias et botros ad vendendum nobis, et posuit se cum sporta in terra sedens juxta latus meum. Accepimus autem de fructibus suis, et dedimus sibi panem et ea, quae superaverunt nobis de pulmentariis et commedit ut esuriens. Porro in capite habebat pileum rubeum cum signo sarracenico. Et quia videbatur mihi

bonus simplicianus, tuli sibi pileum de capite, et eo inspiciente finxi me habere nauseam, et faciem rugosam feci, et caput meum a pileo, quem manu tenebam, averti, quasi detestans ritum Sarracenorum, et sputum contra linteum pileo circumligatum projeci, videre volens, quid tamen ad haec dicere vel facere vellet. Sarracenus autem (87 A) per omnes angulos habitaculi circumspexit, et cum neminem vidisset, quem timeret, arepto proprio pileo et congeminato in ore sputo super signum sarracenicum projecit, et ligaturae maledixit et cum dextro pollice sinistrae suae signum crucis impressit, et locum signatae manus deosculatus est, et lachrymans multa loquebatur nobis, quae non intelleximus: hoc tamen optime intelligere potuimus, quod Christianus fuerat, et coactus abnegare fidem, et quod non erat Sarracenus, sed pauper Mamalucus. Comestione peracta mansimus in habitaculo nostro in umbra et quiete. Porro in pariete uno nostri habitaculi audivimus quendam laborantem cum ferro in opposita parte, quasi murum perfodere conaretur, de quo nulla nobis fuit cura, nec alicujus periculi suspicio. Tandem foramen fuit factum, per depositionem unius lapidis. Erant autem in alia parte mulieres sarracenae, quae foramen fecerant, ut peregrinos viderent, quibus aspicientibus quidam milites corridebant, et signis ac nutibus hoc, quod verbis non poterant, expediebant. Quod cum quidam frater minor, qui deputatus fuit per Guardianum circuire cameras peregrinorum, notasset, statim attulit cementum et foramen obstruxit, iurans per Deum, si Sarraceni hoc vidissent, omnes peregrinos atroci cruciatu tribulassent, quia sunt vehementissimi zelotypi, et ad zelotypiae vindictam simul sine ratione concurrunt. Satis enim lascivae videntur foeminae Sarracenorum esse. Nam quidam juvenes milites, dum supra domum deambularent et circumspicerent, viderunt in domo quadam tres foeminas stantes: quae signabant eis manu, ut ad eas descenderent. An hoc fecerint ex lascivia, vel ex dolo et malitia, quod magis credo: utrumque periculosum est; nam statutum hoc habent: si Christianus repertus fuerit, coire cum sarracena muliere, datur sibi optio, ut vel abneget suam fidem vel subeat mortem, nec medium ibi est. Interea hora horae successit et tempus transivit et nos sic stabamus, et ad

recessum anhelavimus. Iuvenum enim insultus et vexationes crescebant de hora in horam, et vidimus nobis ex mora imminere periculum, quia nunc ille nunc iste peregrinus commotus ex irrogatis injuriis excedebat. Unde quidam leviter percussit quendam malum puerum jactantem eum cum lapidibus, quod flevit, ad cujus fletum concurrebant Sarraceni sicut porci ad defensionem grinientis socii, et non potuit peregrinus, qui puerum percusserat, habere pacem, nisi pecunia fletum compesceret pueri. Sunt enim pejores nequam juvenes in Rama, quam in quocunque loco, ad quem peregrini declinant, nec licet ibi vim vi repellere. Timuimus ergo, ne aliquod periculum incurreremus, et ad patronos accessimus instanter, petentes importune eductionem de fornace hac ferrea. Et promiserunt, quod post horam educendi essemus.

Descriptio civitatis Rama sequitur modica.

(B) Rama, sive Ramula, civitas media inter Palaestinam et Judaeam, contermina Philistaeis et Judaeis, in sorte tribus Judae, in colle sita, propter quod et Rama est dicta, quod idem est quod excelsum; unde non solum illa, sed plures aliae civitates Rama vocatae sunt in terra sancta, quae in altis locis sunt aedificatae. In multis tamen est differentia in termino dictionis, unde Rama; a qua Ramatha, Ramathaiim, Ramasse, Ramoth, Ramula, Aramathya. Haec autem Rama, de qua sermo est, communiter in scriptura nominatur, de qua fuit S. Samuel propheta natus. Hodie est civitas populosa et major quam Jerusalem, et nutrit multos mercatores; sed muris per circuitum non est bene munita, sicut et caeterae Sarracenorum civitates muris carent. Multae Muschkeae sunt in ea, et per circuitum ejus. Et est sita in loco amoenissimo et fertilissimo. Omnia sunt ibi in bono et levi foro, et omnia sunt ibi suavia et optima: dempto populo, qui pessimus et singulariter Christianis infestus. Multi Aethiopes mali ibi habitant et Mauri et aliae gentes irrationabiles. De hac civitate mentio fit 3. Regum. 15. et Matth. 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Recessus peregrinorum a Rama in montana Judaeae.

Vespere facto in die S. Procopii accinximus nos ad iter et ordine, quo veneramus, exivimus de hospitali, sacculos nostros in collis portantes. Transeuntes autem per urbem accurrerunt undique populi, et stabant vici pleni hominibus utriusque sexus, volentium nos videre. Et fuit pressura magna, et cum hoc excitabatur terrae pulvis tam spissus, quod unus socium collateralem vix potuit videre, et si vidit, agnoscere non potuit, propter pulveris densitatem. Nam cappa mea nigra fuit adeo pulvere infusa, quod non nigra sed grisea videbatur. Nullus potuit nec oculos, nec os, prout necessitas exigit, aperire. Et hoc per totam terram sustinuimus, demptis locis petrosis, et quando noctibus peregrinabamur. In arctis viis erat periculum suffocationis propter densam pulverem. In isto tumultu fui trusus casu ad parietem cujusdam domus circa fenestras. Et cum turba tardius moveretur, et me comprehensum ibi teneret, respexi per fenestram in habitaculum. Et ecce ab intus stabant foeminae cum parvulis, et faciebant cum digitis cruces, quas deosculabantur, signantes mihi, quod essent Crucifixi cultores, et videbatur mihi, quod lachrymarentur. Et est bene miseratione dignum, quod incolae terrae illius, in qua crucifixus est Dominus, qui crucem colunt, manifeste crucis signum portare non audent, (**88 A**) ignominiosa enim est in terra illa crucis gloria et odiosa. Et accidit sanctae cruci sicut sanctis prophetis, qui non sunt sine honore, nisi in patria sua. Luc. 4. Sic crux sancta in sua terra non habet honorem, nec est accepta, sed peregrini de ultimis finibus terrae venientes manifeste circumferunt signum crucis, quia apud eos evacuatum est scandalum crucis. Igitur turbis procedentibus amotus fui a loco, et extra urbem venimus et in campo gregem asinorum nostrorum reperimus cum asinariis nostris, et juxta gregem exercitum Sarracenorum conducere et protegere in itinere nos volentium. Ascendimus ergo bestias et cum magna festinantia contra montana processimus, et in agrum Josuae juxta Bethsames oppidum venimus, in quo agro percussi fuerunt quinquaginta milia hominum, pro eo, quia arcam Domini ibi stantem viderunt, ut dicitur 1. Reg.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

4. et 5. etc. In eodem agro fixerant Arabes tentoria sua, ultra trecenta, ad quorum aspectum fuimus nos et ductores nostri multum territi. Et cum venissemus juxta tabernacula illa, non vidimus ibi nisi foeminas miserrimas et parvulos nudos et nigros, et paucos antiquos viros. Caeteri enim viri currebant ad capiendas praedas et pro rapina evagabantur; pertranisivimus ergo illa castra, nec erat, qui manum contra nos elevaret. Et circa solis occasum ad montana inde pervenimus. Cumque jam ipsa montana per vallem ingredi deberemus, vidimus in faucibus vallis multitudinem hominum cum camelis, asinis et equis, qui parabant se, venire in occursum nostrum. Sed et nostri ductores etiam se ad resistendum eis ordinem fecerunt, et erant anxii et timorosi, scientes eos esse Arabes raptores, et quod non nisi cum violentia transitus noster per eos esset futurus, nec poteramus ad dextram nec ad sinistram declinare, sed per medium eorum erat via nostra, per strictam vallem. Dum ergo jam prope essemus, stabant illi et introitum vallis ab una parte ad aliam observabant, et praeoccupabant; exemptis pugionibus et gladiis recurvis, vibratis lanceis et arcubus extentis. Nunquam memini me vidisse similes homines. Erant enim nigri et corpore nudi, solis ardoribus adusti, solum circa verenda operti quodam vilissimo tegumento, scuta ad collum dependentia habentes, et erant saevi, iracundi et terribiles aspectu. Ex quorum aspectu et comparatione Mauri et Sarraceni nostri, quos antea inhumanos aestimavimus, nunc domesticos et pios et nobis quasi aequales esse recognovimus. Videntes autem nostri ductores eorum propositum, inciderunt in eos cum violentia et eos armis de via fugaverunt, et nobis iter aperuerunt, clamantes, ut celerius festinaremus. Sicque festinantes in loco nobis aperto transivimus. Quicunque autem peregrinus eis occurrit, apprehensum eum pallio aut sacco trahebant tam diu, quod aut rem apprehensam dimitteret tractus, aut de asino caderet, aut aliquis de nostris eum liberaret: (**B**) unde multi de asinis ceciderunt, et si non fuissent liberati, eos spoliassent. Erat autem horribilis clamor ab utraque parte, et mirabili impetu concertaverunt, quasi vellent armis se invicem irruere, et in isto litigio nos pertransivimus ascendentes per

vallem. Quod cum adversarii viderent, lapides de torrente tulerunt, et post nos in nostros ductores eos miserunt. Verum cum vidissent, se nihil vi a nobis posse obtinere, cucurrerunt post nos, et cum humilitate et mansuetudine aliquid sibi dari petierunt: sed parum reportaverunt. Sic ergo divisi sumus ab eis, et nulli dubium, si fortiores nobis fuissent, non obstante salvo conductu Soldani nos omnes spoliassent. Itaque sine alicujus peregrini laesione evasimus, nisi quod quidam fuerunt tacti jactu lapidum, et aliqui saccos, aliqui pileos in tumultu amiserant. Nemo ibi vulneratus fuit, quia hoc bonum orientales habent, quod sanguinem fundere horrent. Vallem igitur illam umbrosam ascendimus per asperrimum torrentem, habentes montes petrosos ab utraque parte et altos, et post longum ascensum ad quandam turrim venimus, juxta quam aqua erat in lacuna congregata, et ibi lucem alterius diei exspectare volebamus, quia nox tenebrosa erat, et vallis per se umbrosa, et de asinis descendimus. Sed subito timor nostros ductores invasit; timentes, ne forte Arabes illi super nos quiescentes irruerent, et in tam arto torrente defendere nos non possent, clamabant resumere asinos, et consequenter ascendere montana. A turre ergo, quae in pede montis stabat, ascendimus per viam periculosam et altam, et ad quendam agrum venimus, et ibi etiam quiescere cogitabant. Sed quia nos et bestiae nostrae sitibundi eramus, nec ibi aquae erant, ulterius processimus in caligine, quia nec solis nec lunae beneficio potiebamur, sed solum lumine alti firmamenti et ad modicum micantium stellarum radiis dirigebamur: nec videre semitam poteramus, sed quilibet sequebatur suum antecessorem. Cum autem in altum venissemus, rursum ab alia parte descendimus, et ad quoddam parvum villagium venimus, in quo erat fons bonus et frigidus, et ibi in declivo montis in agro lapidoso asinis asinariis resignatis consedimus super terram; et ductores nostri cum equis suis et asinarii cum asinis per circuitum peregrinorum se locaverunt, ita quod conclusi eramus. Accendimus ergo lumina, et produximus de sacculis nostris, quae de Rama tuleramus; et asinarii nostri portaverunt nobis aquam, quam ab eis emimus, et villani panes et fructus et aquam nobis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

attulerunt, de quibus ad placitum emimus, et ita coenavimus. Porro locus mansionis nostrae erat totus lapidibus plenus et asperrimus sicut Alpes illae, quae sunt inter Ulmam et Wisensteig, et sub lapidibus latitabant scorpiones, quod tamen ignoravimus, quousque luminibus ostensum fuit nobis. Sarraceni autem videntes nos trepidantes dicebant, quod sine timore quiesceremus, quia scorpiones camporum non nocerent sicut domorum. Et sic confortati nullus se de loco suo movit. Porro nobis sic sedentibus et quiescentibus (89 A) luna ante faciem nostram exorta est, in cuius ortu singulare gaudium habuimus; illis enim, qui dormire non possunt, jocundum est quidquid intercipit tenebras et umbras fugat. Nullus somnus oculos nostros tenebat, nec dormitio palpebras gravabat, nec tempora requiem optabant. Quamvis enim lassitudo post laborem somnum naturaliter causet, et nos lassi fessique essemus, quia tamen omnia nostra tota in sensitivas potentias quodammodo expansa videbantur, impediebatur somnus: nihil enim nisi videre et circumspicere desiderium animae nostrae expetiit, et ita tota anima videbatur ad oculos contracta, quae non nisi ad videndum erat sollicita. Ideo haec sollicitudo somnum ei abstulit; Ecclesiastici 42.: cogitatus eis aufert somnum. Diem enim futurum ardentissimo desiderio expectavimus, scientes nos visuros civitatem praeclaram Jerusalem. De qua S. Tobias longe ab ea distans dicebat: beatus ero, si fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. Tob. 13. Et alius dixit: propter Syon non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam: Esaj. 62. Et quis non cuperet videre civitatem illam electam, de qua 2. Paralip. 6.: elegi Jerusalem, ut sit nomen meum ibi. Haec enim est civitas, in qua Deo solvuntur laudes et vota, Psalm. 65. Te decet hymnus, Deus in Syon, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Quis det mihi, inquit peregrinus affectuosus, ut nox haec discedat, et sol festinus veniat, ut videam Jerusalem, exultationem universae terrae, civitatem regis magni et Dei summi. O si quis audivisset illa nocte postulationes desideriorum nostrorum pro sole et die futura, pariter accensus una nobiscum fuisset desiderio videndi Jerusalem. Accubuimus super lapides duros sicut Jacob Gen. 28. et socii scorpionum illa nocte eramus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sicut Job struthionum Job. 30., unde propter multitudinem scorpionum posset aeque bene locus ille dici ascensus scorpionis, sicut ille, de quo habetur Josuae 15. Sed tam duritiam lapidum, quam punctionem scorpionum mitigabat, imo dulcia reddebat ipsa dulcissima Jerusalem, quae in supremo horum montium consistens dulcedinem diffundit, et eos stillare dulcedinem facit et lacte et melle fluere. Sed et memoria eorum, quae in his sanctis montanis facta sacro tradente eloquio legimus, omne venenum propulsabat, et duritiam mitigabat. In his montibus templo profanato sancti Macchabaei demorabantur, inter feras foeni cibo vescentes 2. Macchab. 5. Et filia Iephtae ad votum patris mori parata nihil aliud a genitore suo petiit, nisi quod permitteret eam ante mortem suam duobus mensibus circuire cum sodalibus suis montes Israel, et plangere virginitatem suam. Putavit enim se dolorem mortis lenius ferre, si montes illos sanctos ante mortem suam posset ascendere, Iudicum 11. Moyses etiam ille Deo familiaris pro munere accepit, quad de transjordanis partibus fuit sibi concessum haec montana videre, Num. 34. Sed et beatissimae virginis Mariae peregrinatio haec montana singulariter reddit delectabilia, eaqae sanctificat, de qua peregrinatione dicitur Luc. 1.: abiit in montana cum festinatione. (B) In his montibus Christus Dominus noster in oratione pernoctabat eosque sanctificabat. Hi montes sanctis patribus pro muro fuerunt ab infidelibus, unde Iudith. 7. dicitur: filii Israël non in lancea nec in sagitta confidunt; sed montes defendunt eos, et muniunt illos colles in principio constituti. Ideo idolatrae nolebant cum eis in montibus pugnare dicentes: fugiamus Israël, quia dii montium sunt dii eorum, 3. Regum. 20. Dulce fuit nobis in his montibus commorari. Puto enim, quod de nobis et aliis Christi peregrinis dudum prophetatum fuerit et montibus promissum Ezechiel 6.: montes Israël audite verbum Domini; ecce ego adducam super vos homines, populum meum. Et Esai 65.: educam de Iacob semen et de Iuda possidentem montes sanctos meos. Denique quamvis montes isti sint saxis magnis et rupibus altis coagulati et durissimis lapidibus perfusi, erant tamen nobis molles, quia placuerunt servis tuis, inquit Psalmus, lapides ejus. Ideo fecimus cum Iob. 5. pactum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum lapidibus regionis, et inter lapides commorabamur Iob. 8. Et hoc ideo, quia posuit Deus terminos terrae s. lapides desiderabiles, Esai. 54. Et ipsos lapides amplexabamur cum Iob. 24. Et hoc de facto contigit. Novi enim quosdam peregrinos ita terrae sanctae affectos, quod saepissime die ac nocte se ad terram inclinabant et eam dulcibus osculis demulcebant et ipsos lapides tanquam reliquias venerabantur. Hos lapides elegit Christus in opere nostrae redemptionis. Nam in caverna lapidea conceptus fuit, sub lapide et rupe natus, natus super lapidem positus, super lapidem stans praedicavit, in caverna lapidea ter oravit, ad columnam lapideam flagellatus fuit, coronandus super lapidem sedit, ante judicem Pilatum super lapidem stetit, super scopulum crucifixus fuit, super lapidem inunctus, in lapide sepultus, et de lapide ad coelos ascendit. Et breviter redemptionis nostrae mysteria ad lapides consummavit. Unde in passione petrae scissae sunt. Quis ergo Christianus non suavius quiesceret super hos sanctos lapides, quam in strata molliori? Cui non dulcescunt lapides, quos tetigerunt Domini Jesu, Mariae Virginis, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum et aliorum innumerabilium Sanctorum pedes?

Duodecima ante solis ortum suscitati fuimus, et super asinos ascendimus, et processimus in montibus sanctis. Post aliquorum autem montium ascensum et vallium descensum, ecce optata dies firmamento albescente in oriente aspirabat, et inde aurora rutilabat; solque de cacuminibus montium prospiciens per terram radios suos spargebat, et tamen adhuc Jerusalem procul erat. Processimus autem per vias asperas et nihil nisi duram terram vidimus et saxosam. Unde milites peregrini in asperitate terrae quodammodo scandalizati mihi sic dicebant: quid nostri sacerdotes loquuntur? quid praedicatores praedicant? dicentes, terram istam esse omnium terrarum optimam? Ecce, quam aspera via, quam durissimi (**90 A**) montes. Quid Dominus Jesus in hac terra inculta et solis ardoribus adusta voluit habitare? Unde inter verba contigit duos peregrinos corrixari, quod vix poterant a se divelli. Et si diutius disputassent, finaliter se invicem verberassent, quia durissime contenderunt. Erant autem ambo puri saeculares, unus multum rudis, alter acutus. Rudis arguebat contra terram

sanctam, alius oppositum tenebat, quod esset optima. Sed et ego ipse in secreto cordis mei dixi: ecce illa est terra, quae melle et lacte dicitur manare; sed non video agros pro panibus, nec vineas pro vino, nec hortos, nec prata virentia, nec pomeria, sed ecce omnia sunt petrosa, adusta et arida. Et dum mecum sic tacite conferrem, mox responsum occurrit, scilicet quod haec terrae duritia, ariditas et asperitas est maledictio promissa a Deo propter mandatorum ejus transgressionem, unde Deuteron 28.: sit coelum, quod super te est, aeneum, et terra, quam calcas, ferrea. Murmur etiam nostrum et admiratio contra terram sanctam est ante multa millia annorum praenunciatus, sicut dicitur Deuter. 29. Generatio futura et peregrini, qui de longe veniunt ad illam terram videntes plagas terrae illius et infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus, sulphure et solis ardore comburens; ita ut ultra non seratur, nec virens quidpiam germinet in exemplum subversionis Sodomae et Gomorrhae et Syboim, quas subvertit Dominus in ira et furore suo. Et dicent omnes gentes: quare sic fecit Dominus terrae huic! quae est haec ira furoris ejus immensa? Et respondebunt eis: quia derelinquerunt pactum et transgressi sunt mandata Dei habitatores ejus: ideo et caetera Ex quibus luculenter patet, quod terra stat juxta scripturae sacrae pronunciationem: nec semper ita fuit, sicut ad oculum cernere potuimus. Vidimus enim per circuitum montium desertorum vetustissimas macerias de saxis ingentibus aedificatas, quas filii Israel creduntur fecisse, et oleum, vinum ac frumentum et alia humanae vitae necessaria copiose de altissimis et saxosis montibus habebant. Adhuc tamen, non obstante infidelitate et malitia inhabitantium terram, copiose germinant vita necessaria; vidimus enim in declivis montium inter macerias vites, olivas, frumentum, hordeum et alia. Insuper si terra praedicta maledictione careret adhuc, desertam esse et duruam necesse esset, cum non habeat habitatores, nisi paucos, malos et infideles. Si quis scripturam sacram acute inspicere velit, magis argueret eam esse nimis fertilem quam sterilem. Beatus tamen Jeronymus in Epistola ad Dardanum determinat, quomodo terra illa lacte et melle intelligitur manare, et quod illa magnifica terrae praeconia sint de terra beatitudinis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

intelligenda. Interea quandam vallem intravimus satis latam, agris cultam, et ab utraque parte altis montibus cinctam et olivis venustam. In sinistro latere habuimus, montes Ephraim cujus pars anterior est mons Sylo, et illius montis cacumen omnibus montibus Israël videtur (B) esse eminentius. In hoc monte Sylo quondam civitas nobilis fuit sita, et arca Domini multo tempore ibi mansit, adducta per Josuam de Galgalis. Ibi Anna impetravit Samuelem. Ibi Ophni et Phineas mali sacerdotes populum gravabant, 1. Regum. 2. Ibi Samuel propheta primo Dominum sibi loquentem audivit, et Heli sacerdos ibi de sella cecidit, ut habetur 1. Reg. 3. et 4. Ad hunc locum omnis Jsraël venit adorare Dominum, antequam templum esset in Jerusalem. Sed propter peccata saccerdotum arca Domini fuit capta, sacerdotes occisi, et Sylo penitus destructa et ad nihilum redacta. Ideo Jeremias, dum subversionem Jerusalem praenunciaret, dixit, ut habetur Jerem. 26.: dabo domum istam sicut Sylo. Propter hoc verbum fuit Jeremias captus, et incarceratus, quia Sylo fuit annihilata. In Sylo fuit sepultus Samuel propheta; ideo hodie ad Sanctum Samuelem dicitur: et forte fuit translatus de Ramatha, ubi scriptura dicit eum esse sepultum 1. Reg. 25. Tempore autem Archadii imperatoris, ut dicit Jeronymus contra Vigilantium, ossa beati Samuelis de Judaea translata sunt in Thraciam, portantes ea in vase aureo et serico, ad quam translationem convenerunt examina populorum a Palaestina usque Chalcedonem, et tanta jocunditate sunt reliquiae istae receptae, ac si praesentem viventemque reciperent, et in Christi laudes una voce resonabant. In pede hujus montis quondam fuit civitas Gabaa, ubi uxor Levitae de Bethleem fuit occisa luxuria Gabaonitarum, propter quod multa milia hominum fuerunt occisa, et tribus Benjamin paene deleta, ut habetur Judic. 29. Ascendimus ergo de vallis torrente ad clivum sursum contra Sylo, quia vallis medium capere nos non poterat propter sui artitatem, et non longe abfuimus, prope ad latus Sylo in alto, nec tamen ductores nostri volebant nos ex toto sursum ducere, quia festinabant venire citius in Jerusalem, ne solis ardores nos postea cruciarent. Olim semper ducebantur peregrini sursum in Sylo, et ibi videbant civitatem sanctam Jerusalem et gaudebant.

Ideo locum hunc nominabant jubilum peregrinorum. Ad latus ergo Sylo existentes vidimus adhuc magnos antiquos muros et ecclesiarum ruinas, in montis supercilio: et conjectis oculis contra orientem vidimus montem sanctum, montem praeclarum, montem Oliveti, et ecclesiam dominicae Ascensionis in ejus cacumine: civitatem tamen sanctam videre non poteramus, quamvis propinquior nobis fuerit monte Oliveti. Viso autem illo sanctissimo monte cecidimus de asinis et cum devotione et jubilo contra montem adoravimus. Visio enim a longinquo istorum sanctorum locorum miro modo hominem laetificat devotum. Consequenter postergavimus Sylo, et procedentes venimus in castellum Emaus sacrum, quod secundum Lucam, Luc. ultimo, distat a Jerusalem LX. stadiorum, quae faciunt VII miliaria italica et unum et dimidium theutonicum. Et LX. stadia faciunt septem milia passuum et quingenta. In illo castello descendimus de asinis et per maceriam ad locum ingressi sumus, ubi hospitium fuit Domini Jesu, et duorum discipulorum, Lucae et Cleophae, in die resurrectionis Domini, quando ut peregrinus intravit cum eis (**91 A**) coactus, eumque in fractione panis cognoverunt. Hunc locum cum debita devotione deosculati sumus et indulgentias recepimus (†). Ecce peregrine, illa sunt prima vestigia Domini Jesu Christi, quae deosculari meruisti. Et certe bene et pulchre ordinavit divina sapientia, quod peregrino misero et laboribus confecto properanti in Jerusalem occurrat ex ea Dominus ille gloriosissimus peregrinus, cui dictum est: tu solus peregrinus es in Jerusalem, et in ejus consolationem exhibuerat jam glorificati corporis sacratissima et laeta vestigia ante omnia, quatenus his consolatus et confortatus possit sequi in Jerusalem vestigia sacra ignominiosae passionis, ad quod hortatur Petrus, 1. Petr. 2. Christus, inquit, passus est pro nobis: vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. In hoc loco corda discipulorum ardentia fecit, panem eis tribuit fractum, quod nonnulli doctores dicunt fuisse eucharistiam, quam ibi ultimo confecit, et cito recurrere in Jerusalem permovit. Dicunt enim quidam, quod illi duo discipuli ex toto recesserunt a Jerusalem, et a discipulis, nolentes amplius regredi: sed hic eos reverti fecit, unde eadem hora regressi sunt in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Jerusalem. Tempore Christi fuit hic oppidum pulchrum et opulentum, et in destructione Jerusalem fuit et ipsum desolatum. Postea autem restauratum fuit per Marcum Cornelium, et nominatum Nicopolis: pro cujus instauratione Julius Affricanus legationem suscepit, ut dicit Jeronymus de viris illustribus. Sed jam Sarraceni ex toto destruxerunt, et praecipue ecclesiam hospitii Christi, cujus ruinae solum in fundamentis patent. Adhuc hodie stant per villam testudinata habitacula alta et magna desolata, et pauci homines ibi habitant. Loco hoc sacro perspecto ulterius progressi sumus, et per montuosa loca transeuntes in collibus vidimus ruinas multarum capellarum et ecclesiarum, et de alto in vallem descendimus, quae per transversum ab aquilone in austrum vergebat, per quam nos ab occidente in orientem tendentes transire necesse fuit. Erat autem vallis Therebinthi, in quo David Golyam gigantem lapidibus de torrente electis prostravit, et caput sibi amputans in Jerusalem illud tulit 1. Reg. 17. In medio ergo torrentis stetimus, et loci dispositionem consideravimus. Est autem vallis fertilis, et stant hodie in ea multi therebinthi et sunt arbores praestantes, in Syria maxime crescentes, resinam sudantes. Sunt autem in duplici specie, scilicet masculina et foeminina, et duplicem habent fructum. Masculus habet fructum ruffum magnitudine lenticulae, de qua saepe multas arbores vidi. Faemina vero fructum habet pallidum magnitudine fabae; de his fructibus tunditur oleum sapidum et bonum.

De eo, quod peregrini viderunt civitatem sanctam Jerusalem, et de ingressu eorum in Jerusalem, dulcissimam urbem.

(B) Evagationis nostrae causa praecipua erat dulcissima civitas Iherosolyma, cujus odor per orbem flagrans undique ad eam currere facit fideles. Itaque de valle Therebinthi ascendimus, et dimisso oriente contra austrum in clivo montis processimus, et ad hortos arborum, olerum, et ficorum venimus inter macerias ascendentes. Et conjectis oculis ad dexteram, ecce ut fulgur civitas sancta saepe nominata et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

saepissime nominanda Jerusalem emicuit: cujus partem illam vidimus, quae monti Syon annexa est, et ipsum sanctum montem Syon vidimus cum omnibus structuris ejus et ruinis. Praecipue tamen arcem Syon fortissimis muris et turribus munitum vidimus ita claro aspectu, quod muri eminentes arcis et turres videbantur cingere civitatem, et peregrinus, qui nunquam vidit Jerusalem, aliud aestimare non potuit, nisi quod muri arcis Syon essent muri Jerusalem, quod tamen non est. Cum ergo civitatem sanctam jam diu desideratam oculis nostris cerneremus, repente de asinis cecidimus prostrati in terram, ipsam sanctam civitatem devotissime salutavimus, regem ipsius Dominum Deum primo adorantes cum vexillo crucis, et deinde his vel similibus verbis ipsam alloquentes.

Salve Jerusalem civitas regis magni! Gloria et corona totius mundi, gaudium et laetitia animae fideli! O Jerusalem, Jerusalem, surge et leva in circuitu oculos tuos et vide! omnes isti peregrini congregati de universis et ultimis mundi partibus venerunt tibi filii: tot de longe jam jam veniunt ut intueantur splendorem tuum et gloriam Domini super te singulariter ortam, ut propheta denunciat, Esaj. 60. sqq. Et Tobias sic te collaudat: luce, inquit, splendida fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te, nationes ex longinquo venient, et munera deferentes adorabunt Dominum in te, et terram tuam in sanctificatione habebunt etc. Tob. 13. sqq. Sed et sanctus Bernhardus, in sermone ad milites templi, praeclarissimam illam civitatem Jerusalem his inclamat verbis cap. 5. Salve, inquit, civitas sancta, quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum suum altissimns, quo tanta in te et per te generatio salvaretur. Salve civitas regis magni, ex qua nova et jocunda mundo miracula nullis temporibus defuere ab initio. Salve, domina gentium; princeps provinciarum; patriarcharum possessio; prophetarum mater et apostolorum; et initiatrix fidei; gloria populi Christiani, quam Deus semper a principio passus est oppugnari, ut viris fortibus sicut virtutis, sic fores occasio et salutis. Salve metropolis terrae promissionis, quae olim fluens lac et mel tuis duntaxat habitatoribus nunc universo orbi remedia salutis, vitae porrigis alimenta. Terra

inquam bona et optima, quae in foecundissimo illo sinu tuo ex arca paterni cordis coeleste granum suscipiens tantas ex superno semine martyrum segetes protulisti, et nihilominus ex omni reliquo fidelium genere fructum fertilis glebae tricesimum et sexagesimum et centesimum super omnem terram multipliciter procreasti. Unde et de magna multitudine dulcedinis tuae satiati et opulentissime saginati memoriam abundantiae, suavitatis tuae ubique eructant, qui te viderunt, et usque ad extremum terrae magnificentiam gloriae tuae loquuntur eis, qui non viderunt, et enarrant mirabilia, quae in te sunt. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Sed jam ex his, quibus affluis, laetitiis, nos quoque gustaturi ab occidente advenimus, et ecce in aspectu tuo liquefactae sunt animae nostrae ex redundantia tuae dulcedinis. Oratione igitur finita reascendimus asinos prae gaudio oculos plenos lachrymis habentes et maxillas madentes. Sacerdotes ergo et religiosi simul adunati inceperunt cantare: Te Deum laudamus etc., submissa tamen et humili voce, ne ductores nostros offenderemus, quibus jubilus noster altus et manifestus forte displicuisset. Altis ergo vocibus mentis cantavimus, quia ingens altum et magnum erat gaudium, quo exultavimus, nullis vocibus exterioribus explicabile. Hoc enim gaudium non ex passione erat, sed ex ratione, non ex praesentia rei concupiscibilis, sed rei ex charitate diligibilis: non erat gaudium dissolutionem faciens, sed maturitatem inducens, non excitat risum, sed movet ad singultum: non dissolvit corpus, sed concutit artus: non (92 A) dilatat os ad ridendum, sed constringit vultum ad flendum: non movet ad loquendum, sed ad silendum; non prodit in publicum, sed retrahit in angulum: non facit clamare, sed spiritu orare et psallere. Cum illo ergo ineffabili et dulci gaudio venimus super agrum fullonis, in quo stetit Rapsaces blasphemans Deum contra eos, qui stabant in muris Jerusalem, ut habetur 4. Regum. 18. et Esai. 36. In hoc agro juxta castrum, quod ibi est per Soldanum constructum, descendimus de asinis, eosque asinariis designavimus, et sumptis nostris sacculis bini et bini ordinate contra portam mercatorum vel piscium processimus, cum silentio et devotione junctis manibus ante pectora. Quidam autem de peregrinis ex devotione,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rejectis a se calceamentis, nudis pedibus incedebant per omne tempus, quo in terra sancta versabamur, in hoc gloriosa vestigia Salvatoris nostri venerantes, et beatissimae Virginis Mariae et Sanctorum veteris et novi testamenti. Cum autem ad portam, quae dicitur porta David, vel piscium vel negotiatorum, venissemus, per ipsam portam inclinatis capitibus ingressi sumus. Quia in illo introitu indulgentias plenariae remissionis consecuti sumus (††). Per vicum autem longum a porta processimus, et ad quandam magnam ecclesiam clausam venimus, ante quam erat atrium decorum magnum albissimo et polito marmore stratum. Cum autem in atrio staremus, quidam de fratribus montis Syon in eminentiorem locum se ponens pronunciavit nobis, hanc esse ecclesiam sanctissimam toti mundo venerandam, in qua thesaurus Christianorum pretiosissimus, dominicum scilicet sepulchrum, est reconditum. Quod cum audivissemus, in ipso atrio ante fores ecclesiae nos prostravimus, et adoravimus, et terram ipsam repetitis vicibus deosculati sumus. Pro certo autem ipsis peregrinis sic in terra prostratis videbatur, quod ex ipsa terra quaedam spiraret virtus, qua vehementius rapiebatur in devotionem affectus. O Domine Deus, qnam dulce est osculum oris tui, cum ipsum osculum non pedum sed vestigiorum tuorum tantum affectum dulcescat! O frater mi, si in ista hora mecum in atrio illo fuisses, vidisses et audivisses tam exuberantes lachrimas, tam amaros et cordiales gemitus, tam dulces ejulatus, tam alta suspiria, tam profunda lamenta et ex intimis singultus, tam quieta et jocunda silentia, et si cor lapideum habuisses, liquefactum fuisset, et simul cum ipsis peregrinis lachrymantibus resolutus in lachrymas uberes fuisses. Vidi ibi quosdam peregrinos quasi destitutis viribus resolutos in terra jacere, se quodammodo ignorantes prae nimio sensu devotionis. Alios vidi hinc et inde de angulo in angulum cum planctu migrare, quasi spiritu alieno impellerentur. Aliqui stabant fixis in terram nudis genibus et brachiis in modum crucis extentis cum fletu orabant. Aliqui vero tanto singultu concutiebantur, ut sustinere se non possent, et sedere cogerentur, et caput propriis manibus stringere, ut singultus crebrius eructuantes sufferre valerent. Aliqui jacebant immobiliter postrati tam (B)

diu, ut viderentur exanimes facti. Super omnes autem mulieres peregrinae sociae nostrae et sorores quasi parturientes clamabant, ullulabant et flebant. Aliqui vero peregrini prae nimia devotione nescientes se regere, inmorierati erant, et prae nimia diligentia, qualiter se Deo possent exhibere placabiles, quibusdam gestibus insolitis et puerilibus movebantur. Delectabile valde fuit videre seriosissimos et varios peregrinorum mores in devotione in locis sanctis, quae loca mirabilem efficaciam habent ad movendum hominem ad fletum, gemitum et suspiria, qui alias nullis sermonibus, nec admonitionibus, nec scripturis, nec picturis, nec figuris, nec exemplis, nec promissis, nec minis, nec prosperitate, nec adversitate moveri potest. Sed tamen nec hoc generaliter omnibus datur visitantibus loca sancta, sed ut scilicet singulari devotione et pietate afficiantur. Vidi enim quosdam, utinam non vidissem, qui directe contrariis perversis affectibus movebantur, commoti propter pios affectus bonorum devotorum. Vidi namque in omnibus praetactis devotionibus peregrinorum, quod quidam stolidi et aridi peregrini, imo bestiales animales, spiritum Dei non habentes, stabant et caeterorum devotiones, fletus, prostrationes, pectorum punctiones et caetera talia subsannabant et deridebant. Et quod dammnabilius est, isti rudes et coeci omni devotione et affectione vacui, spurcitiis repleti tales devotos judicabant fatuos, hypocritas, ostentatores, fictos et non sanae mentis esse, eosque postea despectui habebant, et cum eis dedignabantur conversari, detrahentes eis, fatuos, hypocritas et Beghardos nominantes. O quam inutilis et maledicta talium peregrinatio, qui in tam sancto loco sanctos mores derident et pervertunt. Pejores tales sunt Sarracenis et Judaeis, qui nullum Christianum devote se gerentem derident. Nam quando venimus in atrium hoc sanctum, multi juvenes Sarracenorum accurrerunt, ut deriderent, sed tantum serium peregrinorum videntes recesserunt, remanentes autem una nobiscum fleverunt. In hoc atrio indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Porro orationibus finitis surreximus de terra, et ad ostium ecclesiae accessimus, ibique per foramina, per quae cibus ministratur sancti sepulchri custodibus intus conclusis, respeximus, et sanctissimi dominici sepulchri capellam in medio ecclesiae stantem

vidimus et ascensum montis Calvariae, et denuo devotionis affectu delectati sumus. In ipso etiam atrio locus ille sanctus marmore signatus est, in quo Dominus Jesus crucem bajulans et videns scopulum Calvariae prae angustia sub cruce in terram corruit. Hunc locum devotissimum crebris vicibus deosculati sumus et multis lachrymis vestigia illa sanguinea irrigavimus, et illa sunt secunda Domini Jesu vestigia. Nec putandum est carere mysterio, quod prima vestigia erant nobis de corpore Christi glorioso oblata et secunda de corpore flagellato et crucifigendo (**93A**), ut ostenderetur, hic nihil aliud quaerendum nisi gloriam coelestem, ad quam nemo venit nisi per crucis bajulationem. Igitur exercitiis his finitis educti fuimus per Calinos de atrio, vel de platea sancti sepulchri, et per viam ante plateam pertranseuntes ex opposito templi sancti sepulchri sursum ascendimus ad hospitale S. Johannis, quod magnum est habitaculum testudinatum, miserum et desolatum, pars duntaxat antiqui hospitalis, et est locus, sicut sunt magna refectoria in magnis conventibus, in quibus multus monachorum est numerus. Et ibi conjunxerunt se peregrini per suas societates. Porro nobiles de Suevia, Domini mei, habuerunt locum in fine habitaculi, ubi est quaedam habitatio seorsum ab aliis, in loco clauso et pulchro et honesto. Comes vero dominus Johannes de Solms cum sua societate transierunt cum Calino parvo Elphahallo in domum suam, et ibi manserunt. In mea prima peregrinatione non fuimus ducti in hospitale, sed in quandam domum magnum sub monte Syon, in Mello, et ibi deguimus, nec unquam tunc vidi hoc hospitale, nec scivi, quod vestigia hospitalis S. Johannis apparerent. Cumque peregrini se locassent, ad placitum venerunt Sarraceni et Judaei et orientales Christiani, apportantes panes, aquam, cibaria cocta, et fructus, sicut dixi fol. 84., de quibus emerunt et manducaverunt. Porro pater Gardianus montis Syon misit ad hospitale fratres duos, et omnes religiosos jussit duci ad montem Syon; sic enim consuetum est, quod religiosi cum fratribus minoribus in monte Syon manent. Inter quos ego cum duobus fratribus ordinis Praedicatorum, quorum unus erat provinciae Franciae de insulis, alter vero de Neapoli, Provinciae Siciliae, fuimus educti de hospitali ad montem Syon in conventum fratrum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

minorum: a quibus charitative fuimus recepti et tractati: et propriam cellam nobis tribus assignaverunt, et ita cum eis manducavimus, bibimus et dormivimus et Deo pariter servivimus. In illa cella post omnium peregrinorum recessum mansi multis diebus in bona pace et optima provisione de charitate patrum et fratrum minorum montis Syon.

Visitatio sanctorum locorum montis Syon et eorum descriptio.

Tertia decima die, quae fuit dominica 7. post festum Trinitatis et festum S. Margarethae virginis, misit pater Gardianus aliquos de fratribus suis ad hospitale S. Johannis, et vocavit omnes peregrinos ad Missae officium in montem Syon. Et ascenderunt omnes cum illis fratribus in ecclesiam Syon, (B) exspectantes in ea tempus summi officii et Missarum. Erat enim adhuc mane ortus solis, qui nondum ortus fuerat, quando peregrini ascenderunt. Porro fratres ob peregrinorum dominorum reverentiam chorum, ecclesiam et altaria pulchre ornaverunt et vestierunt pretiosis pannis. Nunquam vidi pretiosiores pannos, mulierum opere factos cum imaginibus vitae Christi et mortis, quam ibi. Unde Sarraceni magni et Turci et Mameluci a longinquo venientes petunt sibi pannos aut tapetias illas monstrari. Et quando domini praefecti et capitanei civitatis Jerusalem habent charos hospites, ducunt eos in montem Syon, et rogant fratres suspendi et ostendi pannos. Hos pannos dux Burgundiae Philippus pro illa ecclesia fecit fieri, qui multa alia bona illi conventui contulit. Sed et alia ecclesiae illius ornamenta sunt pretiosa. Atare majus repletum stabat monstrantiis et reliquiariis deauratis, et tabula super altare deaurata, in qua juxta sanctum Franciscum depictum stat etiam sanctus pater noster Dominicus notabiliter pictura expressus. Ecclesia illa non est magna, quia solum est pars ecclesiae Syon. Olim enim, dum adhuc Christiani regerent terram illam, erat grandis ecclesia in loco illo, quam Sarraceni dextruxerunt usque ad absidem vel capellam, quae ecclesiae et choro in dextero latere erat annexa. Et haec pars est hodie ecclesia et chorus fratrum. Ruinae antiqui chori et

ecclesiae adhuc manifestissima patent, ut sequentia demonstrabunt. Igitur cum sol ortus esset et tempus Missas celebrandi adesset, pulsavit sacrista tabulam, non enim habent nec campanas, nec nolas, nec tintinabula, nec sinuntur quovis modo habere ab infidelibus, sed tabulis ligneis dant ad Officia signa, sicut nos facimus feria VI. Parasceves. Et congregatis omnibus in ecclesiam cantaverunt solenniter primam et tertiam, et post tertiam processit pater Gardianus cum suis ministris pretiose ornatis ad summum Officium perficiendum, et cantor alta voce inchoavit canticum de canticis Syon: Spiritus Domini replevit, et omnes clerici et peregrini docti adiuvabant eum, et cum jocunda solemnitate Missam de Spiritu sancto cantavimus. Hoc enim Officium congruebat loco, quia ibi Spiritus sanctus missus est visibiliter discipulis; et tempori, quia erat dominica VII., in qua de 7. panibus fit mentio, qui VII. dona Spiritus sancti designant. Sub Officio nos sacerdotes celebravimus in quatuor altaribus paratis, et mihi fuit datus locus celebrandi inferius in ambitu, in capella S. Thomae Apostoli, quae est in loco ubi Dominus Thomae dixit: infer digitum tuum huc, Johann. 20. Post evangelium summi Officii vertit se pater Gardianus et in Latino fecit pulchrum sermonem de commendatione locorum sanctorum, et de devota eorum visitatione, quem sermone interpretabatur venerabilis pater Paulus Guglinger in Theutonico saecularibus. Porro sub Officiis erant ostia (94A) clausa, et Sarraceni a foris stabant cum mercatoribus in multo numero. Contigit autem sub Officio post sermonem aperiri ostium propter cujusdam emissionem; hoc videntes Sarraceni cum tumultu se in ostium ingesserunt, et ecclesiam ingressi sunt, juxta altaria stantes, mysteria nostra respicientes: nullam tamen irreverentiam fecerunt, nisi quod ibi stabant et admirabantur. Sacerdotes autem ipsis praesentibus pausabant, quousque per fratres essent ejecti, qui non vi pellendo aut trahendo aut litigando, sed mansuete inducendo et rogando eos secluserunt, et ita officium finitum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sequitur processio ad loca sancta montis Syon; et primo ad locum ultimae coenae.

Consummato Officio parabant se Fratres minores ad processionem sollemnem et sacris inducti vestibus cum cruce; vexillis, cereis, reliquiariis, thuribulis, et aqua benedicta procedebant. Cunctis itaque cum eis procedentibus incepit cantor magnam habens vocem alta voce jocundum hymnum de canticis Syon: pange lingua gloriosi corporis mysterium; et cum illo cantu processimus nos sacerdotes ante, et alii peregrini sequebantur: et in chorum venimus ad summum altare, quod illo sanctissimo loco creditur esse erectum, in quo Dominus Jesus ultimam coenam cum suis discipulis fecit, et ibi panem et vinum in corpus et sanguinem transsubstantiavit et discipulis sumenda tradidit, eosque sacerdotes illius sacramenti ibi consecravit. Ad hunc locum sanctissimum accessimus unus post alium, et prostrati locum sub cavato altari deosculati sumus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Ecce peregrine frater charissime, hic domus, hic coenaculum, hic mensa, ubi panis coelestis, panis Angelorum, donum utique ineffabile propinatur, quod solum habet accendere desiderium, humilitatem ingerere, compunctionem inducere, praebere fiduciam, spem erigere, ad amorem inflammare, infundere gaudium, excitare ad reverentiam, mentem liquefacere, et affectus dulcissimos provocare. Super omnia loca sancta est hic honore dignissimus, si modum attendamus, quo summum bonum se nobis communicavit, omnis namque locus, quo nobis confertur aliquo modo Deus, est nobis utique venerandus; sicut Nazaret, ubi recepimus Deum incarnatum; Bethleem natum; mons Calvariae tribuit nobis eum crucifixum. Ideo merito haec loca honore sunt digna: sed plus ille, in quo salubrior facta fuit communicatio, quam in caeteris locis et intimior, praebens se hic in edulium, corpus suum in cibum et sanguinem in potum, ut cibatus fieret unum cum cibo, quia qui manducat meam carnem, inquit, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in ipso. Sed et praeter haec ineffabilia hic finivit typica et legalia, et nova instituit sacramenta. Johannem in sinu recumbere permisit; proditorem (B) suum Judam se scire affirmavit; Petro casum suum praedixit; fugam

omnium discipulorum praenunciavit: sermonem dulcissimum et longum fecit, et ultimum Vale his suis discipulis pacem reliquit. Igitur cum circa locum illum omnia perfecissemus cantando, legendo, quae signata erant in processionali peregrinationis terrae sanctae, cum gratiarum actione recessimus. Habentur enim processionalia, libelli, in quibus omnes versiculi, collectae, responsoria signantur et hymni et psalmi circa loca sancta legenda et cantanda per omnia loca transmarinae peregrinationis. De his libellis ego comparavi unum pro me, quo usus fui in locis sanctis.

Lotio pedum ibi fuit facta.

Ad illo loco ad dextram partem chori ulterius processimus cum cantibus ad mandatum in die coenae cantari consuetis, et ad locum sacrum venimus, in quo Dominus Jesus lavit pedes suorum discipulorum post coenam. In hoc est altare pulchrum, ante quod prostrati locum deosculabamur, et indulgentias accepimus(††). Sed precor te dilecte peregrine, ut nec ab hoc loco discedas sine praevia contemplatione. Vide et considera hic stupendum gestum negotium. Nam Dei filius aeterna divinitate potens et genitoria mentis pulchritudine pollens, qui universa nullo opitulante subsidio condidit et decoravit, cui omne coelum et vagi stellarum motus inserviunt, sub quo, ut ait Job, curvantur, qui portant orbem, divinam altitudinem adeo inclinavit atque deflexit hic in illo loco, ut pedes immundos, foetidos, lutosos discipulorum, servulorum, piscatorum, peccatorum atque proditorum suis ipse manibus dilueret in saluberrimum exemplum.

De loco, in quo missus fuit Spiritus sanctus Apostolis in die Pentecostes.

Consequenter incepit cantor hymnum jocundissimum de canticis Syon: Veni creator Spiritus, mentes etc. Et cum illo cantu egressi fuimus de ecclesia in conventum supra ambitum, quia ipse chorus et ecclesia sunt supra alia habitacula aedificata, ita quod undique per gradus in ecclesiam ascenditur, et de ecclesia supra testudinem claustri vel ambitus circuitur per tres partes quadri. Non enim habet ambitus nisi tres partes, et quarta pars est ecclesiae murus. Sic

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ergo transivimus in ecclesia, descendimus ab oriente contra occidentem, et in fine ecclesiae per ostium exivimus contra austrum, partem unam ambitus perambulantes, et iterum convertimus nos contra aquilonem et ad caput chori venimus, ibique per gradus ascendimus ad quoddam habitaculum, cujus ostium lapidibus obstructum, propter causam dicendam fol. 290. Hoc enim habitaculum est ad caput chori, quia (95A) chorus ab oriente nullas habet fenestras praestante hoc habitaculo impedimento: sed solum lumen habet a meridie. Ascendimus ergo cum processione praedictos gradus, et ante obstructum ostium prostrati adoravimus, et plenarias indulgentias etiam hic accepimus (††), et hymnum inchoatum cum suavi modulatione concinimus, adeo quod sonus procul per omnem montem Syon et per Jerusalem diffundebatur. Non enim erat locus clausus, sed sub divo in alto consistentes jocundissime cantavimus: recordati quod in hoc loco coeli distillaverunt a facie Dei Synai, a facie Dei Israel, et pluvia voluntaria segregata est haereditati Christi. Hic namque Spiritus sanctus repentino sonitu super discipulos venit mentesque carnalium in sui amorem permutavit et foris apparentibus lignis igneis intus facta sunt corda flammantia, quia dum Deum in ignis visione suscipiunt, per amorem suaviter arserunt. Christus enim coelestia petens praecepit discipulis, a Jerusalem ne discederent, sed Patris promissionem exspectarent. Et ingressi huc in hoc habitaculo clausi manebant propter motum Judaeorum, et erant hic desolati et orphani, ignari et inscii, timorosi et trepidi. Sed Spiritus sanctus adveniens consolationem dulcissimam attulit, sapientiam clarissimam infudit, robur fortissimum dedit, et constantes et in gratia confirmati mundi principatum acceperunt. Hunc locum sanctum clarius describam, cum de sepulchro David venerit dicendum.

Locus, ubi S. Thomas Apostolus dubius Domini vulnera tetigit.

Deinde locum illum deseruimus et per gradus prope locum descendimus in ambitum, et in capellam S. Thomae

venimus, ubi idem Apostolus utiliter dubitans cicatrices fulgidas corporis Christi tangere meruit. Procedentes autem ad locum illum hymnum gaudiosum cantavimus: Exultet coelum laudibus, resultet terra gaudiis etc., et in loco prostrati iterum plenariae remissionis indulgentias consequuti sumus (††). In hoc loco S. Apostoli Thomae singularem gratiam contemplati sumus. Omnes enim, quos legimus, circa hoc latus, in quod S. Thomas manum jubente Christo misit, aliquid egisse, singulari quadam praerogativa gratiae remunerati extiterunt. Longinus enim miles incredulus et crudelis, ac debilis visu, jussu Pilati cruci asstitit, et vibrata hasta in latus Salvatoris infixit, et cor sanctissimum Christi transfixit. Casu autem sanguine per hastam decurrente, oculi ejus tacti clare vidit, et lumen mentis et corporis accepit, ac martyrium celebre pertulit. Beatus Johannes Evangelista latus hoc vidit, et quod aqua et sanguis exivit, conspexit, et credidit, et testimonium mysteriorum maximorum perhibuit. S. Thomas Apostolus vidit, tetigit, (**B**) et solidissimus ac apertissimus fidei confessor effectus est, et sententiam nobis valde consolatoriam audivit: quia, inquit Dominus, vidisti me Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt et crediderunt. Caeteri etiam Apostoli, quibus ostendit Dominus manus et latus, viderunt, et aperti sunt ex hoc oculi eorum, ut intelligerent scripturas, et gaudio replerentur ineffabili. Beatus Bernhardus orans ante Crucifixum visus est solvi a cruce ipse Crucifixus, seque super orantem reclinare, quem orans suscepit, et os suum ad latus Crucifixi applicuit, et inde melliflua doctrinarum suxit. Sanctus insuper Franciscus vulneribus Christi vehementer affectus stigmata Domini Jesu mirabiliter et sensibiliter in suo corpore portare meruit. Insuper Sancta Katharina de Senis ex hoc sanctissimo latere ebibit, et devotione dulcissima inebriata fuit. Dum enim cuidam foeminae infirmae ulcus horridum pectoris et foetidissimum habenti serviret, cum qua propter intolerabilem foetorem nemo manere posset, quodam die virgo Christi, dum ulcus illud detexisset, ut ipsum lavando purgaret, mox tantus et tam horridus foetor exhalavit ex eo, ut cuncta interiora virginis moverentur ex nausea, quod virgo sancta sentiens contra carnem suam indignata nimium, juravit; dicens: vivit,

inquit, altissimus, sponsus dulcissimus animae meae, quod idem, quod tam abominaris, intra tua viscera recondetur. Mox illius foedi vulneris loturam cum sanie in scutellam recolligens, ad partem se retrahens totum bibit. Quo facto abominatio cessavit, et non solum nauseam non habuit, sed dulcedinem inenarrabilem sensit. Nocte autem sequenti apparuit virgini Dominus Jesus, ostendens ei quinque vulnera in cruce suscepta, et ait: quia heri ex charitatis meae ardore laetanter abominabilem potum sumpsisti, conculcans naturam proprii corporis, propter quod dico tibi: sicut in hoc actu tuam excessisti naturam, sic ego dabo tibi potum, qui omnem excedit humanam naturam et consuetudinem. Applicans dexteram ad collum virginis et ipsam ad vulnus sui lateris approprians, bibe, inquit, filia de latere meo potum, quo anima tua suavitate implebitur, quod etiam in corpus tuum mirabiliter redundabit. At illa cernens se positam ad fistulam fontis vitae sacratissimo vulneri os applicans corporis, sed longe amplius os mentis, ineffabilem et inexplicabilem potum hausit per non parvae morae spatium, tam avide quam abunde. Tandem ab ipso fonte sejungitur satiata et sitibunda simul, et immutata in melius ex hoc, et deinceps profecit, ut patet in ejus Legenda parte II, cap. 4. Ecce quanta virtus vulneris Christi. Denique ferrum lanceae, quo Christi latus apertum fuit, Nürenbergae habetur, quod et vidi et in manu habui; tantae virtutis est, ut multa milia hominum singulis annis sexta feria proxime post octavas Paschae confluant ad videndum et honorandum sacri lateris ferrum. Accede ergo charissime peregrine, et mente cum S. Thoma vulnera tange, rogans sanctum Apostolum, ut te admittat in suum consortium. In hac capella stat (**96 A**) unum decorum altare, et in eo, me moram habente Jerosolymis, frequenter horas canonicas persolvi.

De loco, ad quem Dominus duxit discipulos, ut secretius eis loqueretur, quando dixit: surgite, eamus hinc.

Expedito Officio processionis juxta hanc capellam gyravimus inferius per ambitum per tres ejus partes, et sub ecclesia

aliam capellam ingressi sumus devotam et occultam. Haec capella creditur esse locus ille secretus, ad quem Dominus Jesus duxit discipulos, quando dixit: surgite, eamus hinc, ut habetur Johann. 14. in fine capituli. Dicunt enim doctores, Sanctus Thomas, Albertus Magnus, Hugo et Lyra, quod post coenam lotis et communicatis discipulis, cum Dominus sermonem faceret, sedens in loco, ubi coenati fuerant, et manifeste diceret se tradendum, et quod post modicum eum non essent visuri, et hoc discipuli turbati et territi, aspiciebant continue contra ostium coenaculi, timentes captionem magistri, et minus attenti erant ad suos sermones, et quia volebat eis adhuc aliqua ardua dicere, ut illa attentius audirent, et minus timerent, dixit: surgite, eamus hinc. Et descenderunt de superiore coenaculo ad habitaculum inferius, et ibi perfecit sermonem et ultimatam devotissimam orationem, quae habetur Johann. 15. et duobus capp. sequentibus. In tota serie sacrae scripturae non habetur ita devota, dulcis et consolatoria et plana oratio sicut Johann. 17., quae in hoc loco facta esse creditur a Christo. Procidimus ergo ibi ante altare petentes a Domino Jesu nos participes fieri suae devotissimae orationis ibi factae, et indulgentias accepimus (†). In hoc sacro habitaculo est pars columnae, in qua flagellatus fuit Christus, in muro cancellis ferreis obfirmata, ita tamen, quod digitis potest attingi. Sunt etiam in latere ejus lecti pro hospitibus, in quibus in prima mea peregrinatione dormivi. Est etiam ibi cella fratris sacristae, et fratris Johannis, qui milites creat in sancto sepulchro, et est etiam fratrum procurator etc. Ab illo ergo loco sursum per lapideos gradus ascendimus in ecclesiam, et finem processioni fecimus. Haec enim sunt loca intra conventum sancta situata. Extra vero sunt multa plura loca sancta, ut patebit.

De prandio peregrinis dato per fratres montis Syon.

Processione finita, quae quasi usque ad meridiem duraverat, cum peregrini in hospitale descendere vellent, accurrit Pater venerabilis Gardianus, et frater Johannes procurator, et omnes peregrinos ad prandium invitaverunt. Paraverant autem pro nobis mensas et tabulas longas in horto Conventus, quia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multi eramus, et locus strictus et super tabulam longam erat extensus pannus desuper ad longitudinem tabulae, ad faciendam umbram contra solis aestum: et pictura panni fuit missio Spiritus sancti. Discubuimus ergo omnes, demptis quibusdam nobilibus militibus, qui (B) ex humilitate se ad serviendum mensis exhibuerant. Cunctis autem sedentibus, et cum disciplina convescentibus, accessit quidam vir vestitu pauper, quem prius in agmine peregrinorum non videram, et in medio discumbentium stans, ita ornata locutione et decora eloquentia oravit lingua latina, quod omnium intuitum ad se convertit, et in stuporem etiam non intelligentes vertit, propter promptam et delectabilem expressivam. Oratio autem ejus fuit de praeconiis locorum sanctorum, et de laude peregrinationis. Post rhetoris verba accessit ad locum suum generosus vir, dominus Johannes de Cymbern baro, vir prudens et eloquens, qui unus servitorum erat, et ex commissione Patris Gardiani in Theutonico orare incepit, grates referens dominis peregrinis, quod ad pauperum fratrum mensam accesserunt, rogans, ut de oblato cibo et potu contenti starent. Et si qui essent, qui refundere fratribus charitatem vellent, et indigentiae eorum misereri, possent de ea re loqui cum fratre Johanne de Prussia, procuratore Conventus, quem in ambitu stantem reperirent. Nullatenus enim voluit Pater Gardianus, quod collecta fieret in mensa, nec consensit, ut intimaretur peregrinis, quod frater Johannes esset accepturus pecuniam nomine fratrum, sed nobiles ex se hoc fecerunt. Finito autem prandio et bene nobis refectis cum gratiarum actione surreximus. Porro nobiles ad fratrem Johannem accedentes notabilem eleemosynam Conventui dederunt, aliqui VI ducatos, aliqui V, aliqui IIII, aliqui III, aliqui II, et minima eleemosyna fuit I ducatus.

Visitatio sanctorum locorum montis Syon extra septa monasterii fratrum.

Finitis his, quae dicta sunt, accessimus nos peregrini ad Patrem Gardianum, rogantes, quatenus dignaretur nobis adjungere fratres aliquos, qui ducerent nos per reliqua loca

sancta montis Syon extra monasterium, et placuit Patri petitio nostra, et mirabatur in fervore peregrinorum: quod etiam post labores habitos adhuc se ultro offerrent ad ampliores labores: Nemo quippe aestimet visitationem sanctorum locorum esse laborem parvum: tum propter calores intensos solis, tum propter transitum et genuflexiones et prostrationes; tum etiam et maxime propter conatum, quo quilibet tota virtute conatur se excitare ad actualem devotionem et ad contemplationem eorum, quae in locis sanctis sibi demonstrantur, et ad devotam orationem et recollectionem, quod utique absque magno labore fieri non potest, cum talia quietum et non gyrantem hominem (**97 A**) requirant. Conari ergo et niti ad mentis recollectionem cum corporis emigratione de loco ad locum exercitium est magni laboris; quod quidam peregrini ferre non valentes descenderunt ad quietem in hospitale, ita quod minor pars mansit in labore peregrinationis. Adjunxit ergo Pater Gardianus nobis aliquos fratres, cum quibus ire inchoavimus ex interiori horto fratrum, ubi comederamus. Cum ergo de illo horto claustrum ingrederemur, ante refectorium et coquinam, venimus ad cisternam profundam aquas habentem frigidiores, quam fuit in tota Jerosolyma. De hac cisterna dicunt haustam fuisse aquam a Christi discipulis pro coena dominica: pro temperamento vini, pro confectione sacramenti, pro lotione pedum et manuum, et pro aliis coenae usibus. Ob reverentiam ergo jam dictorum factorum aquam hausimus et cum devotione bibimus. De qua ego de post saepe abunde bibi in intensissimis caloribus, nec sensi molestiam. Credo quod ad literam fons iste sit unus de fontibus Salvatoris, de quibus dicitur Esai. 12.: haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris: et sequente: exulta et lauda habitatio Syon. A fonte illo ambitum sumus ingressi ad portam Conventus, quae foris ducit ad publicum. Porta haec est demissum ostiolum, per quod nemo ingredi valet nec egredi, nisi incurvatus capite et dorso. Janua tamen est fortis et ferrea, quae dum clauditur catenis et repagulis ferreis firmatur: et hoc propter furiam infidelium, ne commoti subito irrumpere valeant, et Conventum dilanient, sicut olim fecerunt, prout hodie cernitur in dormitorio juxta rosarium et librariam; ubi erant pulchrae cellae et opere

arcuato factae, quas destruxerunt et testudines dejecerunt, nec hodie sinunt in modum pristinum reformari. Valde enim ex levi causa et de facili contra Christianos commoventur, et in eos saeviunt, et ideo, ne subito moti statim ad nocendum procedere possint, firmiter se fratres concludunt. Sic etiam alii Christiani orientales domus munitas ferreis portis habent clausas propter eandem causam.

De loco oratorii b. Mariae Virginis.

Regressi igitur sumus cum fratribus per illam portam sine apparatu processionis solemnis, et sine cantu, et venimus primo ad gradus lapideos, per quos in ecclesiam sursum est ascensus. In his gradibus procubuimus ad orationem, venerabile sacramentum et loca sancta ab intra venerantes. Ab inde surreximus et ad angulum exteriorem ecclesiae venimus, et ibi est locus, in quo beata Virgo Maria oratorium suum habuit. In eo ergo loco prostravimus nos, et orantes indulgentias accepimus (†). Ibi in mentem venit nobis, quomodo in hoc loco et alibi (℣) b. Virgo Maria crebras et dulcissimas ad Deum fudit orationes pro nobis intercedendo, et fundit usque in finem saeculorum, quod utique necessarium est. Sicut enim terrae, ut sit fertilis, necessarii sunt solis radii; ita Mariae preces nobis miseris. Unde Bernhardus: tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens et umbra mortis ac densissimae tenebrae relinquuntur in toto universo.

De loco sepulturae David et Salomonis et caeterorum regum Juda et Jerusalem.

Reliquimus ergo locum oratorii b. Virginis, qui est, ut dixi, juxta angulum ecclesiae, qui angulus unit murum ecclesiae venientem ab oriente cum muro veniente a meridie. Ad murum ergo, quo ab oriente descendit, ascendimus ab angulo, et venimus ad alium murum non altum, qui erat a muro ecclesiae per quadrum deductus quasi parvum atrium. In hoc atriolum per murum ascendimus: et ingressi invenimus in pariete ecclesiae

ostiolum parvum, sed ferreum et diligentissime clausum; itaque non patuit nobis ingressus, et si patuisset nobis ingressus, manifeste ingredi ausi non fuissemus, quia muschea sarracenica est. Hic locus sanctissimus est, quem Christiani omnes et Judaei et Sarraceni venerantur. Est enim intus sepultura prophetarum et regum sanctorum, puta David, Salomonis, Roboam, Abiae, Asae, Joram etc., quibus texitur liber generationis Jesu Christi, Matth. 1. Et hic locus in libris Regum et Paralipomenon saepe designatur, quando dicitur: sepultus est in Ierusalem in sepulchro patrum suorum in civitate David. Isti reges cum maxima ambitione ibi fuerunt sepulti. Dicit enim Josephus lib. 7. Antiquit cap. 16. et Magister in scholastica historia de morte David, quod mortuo David Salomon filius ejus corpus patris in loculum pretiosissimum posuit, et cum eo inaestimabilem thesaurum auri et argenti recondidit. Insuper sibi ipsi loculum pretiosissimum non de lapide aut ligno, sed de electo auro lapidibus pretiosis ornato fabrefecit, et eo defuncto Roboam filius eius apposito magno thesauro sepelivit juxta loculum David. Porro Salomon arte quadam mathematica ita locum sepultura illius fecit, quod nemo ad loculos illos poterat venire. Post tempus autem mille tercentorum annorum a transitu Salomonis, dum obsideretur Ierusalem ab Antiocho filio Demetrii, Hircanus sanctae civitatis pontifex obsidionem non ferens, nec repugnare valens, promisit Antiocho pecunias, ut recederet. Unde cum in thesauris templi parum inveniret, et cives Jerusalem pauperes non haberent, ascendit pontifex in montem Syon et hunc, de quo loquimur, locum aperuit, et tria milia talenta auri inde accepit et cum Antiocho pacem fecit. Multis deinde annis elapsis Herodes defectum pecuniarum patiens (**98 A**), cum audivisset Hircanum ibi pecuniam invenisse, nocte cum sibi secretissimis occulte locum hunc imgressus est, et nullam quidem pecuniam invenit, sed vasa quaedam aurea et argentea protulit, quibus allectus ad profundius quaerendum conabatur, usque ad urnas et loculos David et Salomonis penetrare. Duo autem satellites fodientes flammis ab interiori parte occurrentibus exusti et consumpti sunt, quod rex videns cum caeteris fugit, et pro piaculo monumentum ex lapide candido pretiosissimum construxit. Hunc

locum fratres montis Syon in eorum devotione quondam habuerunt, et pertinet ad ecclesiam Syon, inclusus eodem muro ad caput chori. Porro Soldanus recepit fratribus locum illum ea de causa. Judaei multis temporibus et hodie instant apud regem Soldanum pro loco illo, ad faciendum sibi oratorium: et e contra Christiani reclamabant. Tandem Soldanus interrogavit: qualis tamen sanctitatis esset locus ille? et cum sibi dictum esset, quod David cum caeteris regibus Jerusalem de ejus semine ibi sepulti essent; dixit: et nos Sarraceni David sanctum tenemus, aeque sicut Christiani et Judaei et Bibliam credimus sicut et ipsi. Locum ergo illum nec illi nec isti habebunt, sed nos eum recipimus, et ita venit in Jerusalem et ostium illius capellae, per quod ab intra de monasterio erat ingressus, obstruxit, et ipsam capellam profanavit, ejiciens altaria Christi et destruens et delens imagines sculptas et pictas eamque cultu spurcissimo Machometi coaptans, ab extra faciens ostium, ut Sarraceni ingredi possent, dum placeret; et quia locus superior supra testudinem capellae erat Christianorum et fratrum et fuit capella magna et pretiosa per regem Franciae fundata in loco, in quo Spiritus sanctus in die Pentecostes super discipulos venit, ut superius dictum est, fecit Soldanus etiam eandem capellam destrui, et testudinem deponi, et ostium obstrui, ne Christiani pedibus supra testudinem muschkeae deambularent; et ita fratres illa duo pretiosa et sancta loca perdiderunt, propter Judaeorum sollicitudinem pro illa inferiori loco, pro quo hodie laborant apud Soldanum, et multa milia talenta auri offerunt se daturos pro loco. Hoc autem non faciunt, quod tantum afficiantur sepulchris Sanctorum et sanctitate loci, sed sperant, se posse ad loculos regum pervenire et thesauros reperire. Credunt enim istos thesauros sibi ibidem esse reservatos. Ideo noctibus saepe ibi euntes et scrutantes reperti sunt, et nonnunquam artes magicas et incantationes ibi exercent. Desiderium magnam habui locum illum ab intra videre et non sum fraudatus desiderio meo. Nam custos muschkeae sarracenus quadam die repente aperire volens et claudere cum clave seram corrupit, ita quod repagulum ferreum cum clave movere non potuit, et ita recessit, relinquens muschkeam apertam, quae aperta mansit, quam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

diu in Jerusalem fui et ultra decies intravi occulte et locum perspexi, semper tamen cum timore et tremore intravi et exivi, quia si aliquis (℞) Sarracenus me ibi vidisset, in maximam tribulationem venissem, etiam si mortis periculum evasissem. Est enim capella longa arcuato opere facta, duas habens ad orientem fenestras, et in parte aquilonari marmoream tumbam, et pavimentum est mattis opertum. Lampades duae pendent in ea et nullum altare, nulla pictura, nulla sculptura, sed parietes dealbati et nudi. Sic etiam sunt aliae Sarracenorum muschkeae vacuae et inanes. Ex dictis superius dubium animum pulsat, ut quid illi sancti reges thesauros secum sepeliri passi sunt, cum videatur ad superstitionem gentilium pertinere? Et qua arte Salomon loculos illos absconderit, quod nemo potest eos reperire? Ad primum dicendum, quod firmiter credendum est, quod sancti illi hoc fecerunt non ex incredula superstitione, aut temporalium intemperato amore, aut vitiosa ambitione, sed instinctu Spiritus sancti, ut tempore suo in communes usus venirent, et non ut insatiabilis Judaeorum avaritia nutriretur. Ad secundum dicendum, quod Josephus dicit, quod Salomon hoc egerit arte magica, sed Magister in scholastica historia eum excusat dicens, eum aliquo subtili ingenio illas tumbas abscondisse. De sepulchro David Sanct. Petrus Apostolus Actor. 2.: viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est et sepultus, et sepulchrum ejus apud nos est usque in hodiernum diem. Ex quo patet, quod etiam tempore Apostolorum locus ille fuit celebris. Sanctus Jeronymus credit, David cum Domino surrexisse, arguens ex hoc, quod S. Petrus dicit, sepulchrum David patens esse quasi, non audens dicere eum in eo amplius esse. Ecce haec et similia circa hunc locum tractavimus, et ea, quae in processionali terrae sanctae circa hunc locum dicenda signantur, devotius legimus et indulgentias accepimus (†).

De tabernaculo David, ubi et locus est, in quo Dominus Jesus praedicavit et beata Virgo audivit.

Confestim autem de atriolo exivimus, et chorum antiquam ecclesiae Syon intravimus, qui penitus est destructus, dempta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

parte orientali, ubi stat adhuc pars muri, cum rupta testudine desuper dependente. Locus illius chori est omnibus sacrae Bibliae credentibus venerabilis. Judaei multum eum venerantur, quia credunt, sicut et nos, quod ibi fuerit oratorium David, sive tabernaculum, in quod ipse et universus Israel duxerunt arcam Dei cum canticis et instrumentis musicis in magno jubilo; ut habetur 2. Regum. 6. In hoc loco accepit etiam promissionem de Christo nascituro ex semine suo, ut dicitur 2. Regum. 7. Hic locus etiam templo constructo mansit semper celebris et populo dilectus. Unde Dominus Jesus in hoc loco frequenter solebat praedicare. Ideo in medio pavimenti sunt duo lapides altrinsecus positi: unus jacet in loco, in quo Dominus stans praedicavit; alter est in loco, in quo beata Virgo sermones filii audire consuevit. Loca illa et lapides (99 A) deosculati sumus prostrati in terram et indulgentias accepimus (†). In loco illo aliquantisper stetimus, et ruinas deplanximus, et per circuitum lapides sanctuarii dispersos dolentes aspeximus. Quondam enim fuit ibi grandis ecclesia valde, de qua nihil remansit nisi pars dextra in latere magnae ecclesiae dependens, quae pars hodie est ecclesia et chorus fratrum, ut praedixi: remansit etiam caput chori cum fenestra orientali, et semirupta testudine ruinam minante. Supra illam testudinis ruptae partem, ab intra, de loco missionis Spiritus sancti est ascensus per gradus, per quos et ascendi, et inveni pavimentum testidinis ruptae vario et polito marmore stratum; ex quo opinor, quod supra chorum et ecclesiam ad huc fuit alia ecclesia in alto. Et ita ecclesia Syon habuit tria interstitia consecrata, scilicet cryptam sub terra, ecclesiam super terram, et supra ecclesiam aliud ornatum tabernaculum. In choro antiquo stat adhuc summum altare, sed dissipatum. Consequenter declinavimus ad latus sinistrum antiqui chori, ut ad alia loca sancta pergeremus, et invenimus ibi sedere orientales Christianos juxta unum quadratum lapidem, qui de fundamento antiqui chori pro parte prominet, alia parte adhuc muro vetusto conjuncta est. In illo lapide ludebant illi Orientales sortiscantes quatuor lapillulis, ac si essent taxilli. Prima enim fronte aestimabam eos tesseribus ludere, et mirabar, quod ibi in publico, et ubi nulla est habitatio, sederent, nesciens quod

illo lapide solo utuntur in superstitiosa sortizatione. Accipiunt enim de terra quatuor lapillos parvos, et jactare volens manu revolvit, sicut lusor taxillorum tesseres ante jactum revolvit; et super lapidem illum quadratum jactat lapillos: et figura, quam lapilli quatuor in casu suo formant, praenosticant ea, quae scire intendunt, ut puta: si cadunt lapilli ad lineam rectam, aliquid judicant sic fieri; si cadunt in curvam lineam, aliter fiet; si in quadrum volvuntur, si crucem faciunt, aliter; si circulum, aliter, et sic de aliis figuris.

Figura crucis est principalis ludo illo, et quanto figura magis ad eam appropinquat, tanto efficacius significat, et ad eam omnes figuras referunt. Stetimus ergo et fatuitates illorum derisimus. Ipsi autem seriose suis auguriis attendebant et fortunae serviebant. Vidi ibi aliquando sedere ludentes episcopos et sacerdotes Orientalium et maturos viros sortisantes. Non enim ludunt ibi pro lucro, sed solum ad superstitiones, quibus Orientales pleni sunt. Unde accidit ex frequenti sortilegio, quod ibi committitur, quod ipse lapis quadratus, qui de se est grossus et asper, factus est in superficie ac si esset politus artificialiter.

De loco coquinae, in quo agnus paschalis pro coena dominica fuit assatus, et aqua calefacta.

His visis avertimus nos a lapide isto, et gyravimus ab extra murum antiqni chori, et ad locum venimus, in quo (B) conjecturantur stetisse coquinam, in qua discipuli paraverunt pascha, assantes agnum pascalem, et lactucam agrestem terentes, et aquam pro lotione pedum calefacientes, et pro mundatione parabsidis et scutellarum, et pro combustione reliquiarum agni pascalis, pellis et ossium et aliorum, quae mandi non possunt. Locus iste nec sanctitate nec aedificatione caret. Sancti enim erant coci illius coquinae, et sancta cibaria ibi decocta. Nam coci erant Petrus et Johannes, Luc. 22., dilectissimi Christi et sanctissimi discipuli, qui paraverunt cibos pascales in hac coquina. Sed et angnus pascalis ibi assus sanctus erat, typum gerens agni veri in cruce assatum. Sancta etiam erat aqua illa ibi calefacta, qua Dominus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Jesus usus est in lotione pedum suorum discipulorum. Et licet Evangelistae nihil dicant de calefactione aquae, verisimile tamen est, illam lotionem non nisi aqua calida factam esse. Aqua enim calida melius tollit sordes, et pedes ac crura consolidat et recreat. Demonstrat etiam aqua calida pietatem et affectum illius, qui eam exhibet. Non enim signum magnae amicitiae est, praebere alicui aquam frigidam pro lotione pedum: sicut non signum magnae dilectionis est, sitienti praebere aquam calidam aut tepidam pro potione. Qui enim tribuit calicem aquae frigidae, habet mercedem suam, ut dicitur Matth. 10. Sicut autem aqua frigida desiderabilis est sitienti pro potu; ita aqua calida delectabilis est pro pedum lotione lassato. Non autem credendum est, Christum aliquid omisisse eorum, quae ad exhibitionem perfectae charitatis pertinent. Sicut ergo Christus in coena non dedit discipulis calicem aquae frigidae, quod tamen ad charitatem pertinet, cum sit meritorium, ut jam dictum est, sed tribuit, quod abundantioris charitatis fuit, scilicet calicem plenum vino optimo temperate mixto aqua frigida: sic non praebuit in pedum lotione aquam frigidam, quod tamen signum dilectionis fuisset, sed aquam calidam exhibuit, in signum abundantioris dilectionis, et forte non tantum aquam calidam simplicem, sed aliquibus herbis et radicibus odoriferis et vigorosis mixtis aliquibus liquoribus aromaticis et aquis distillatis tribuit in signum abundantissimae charitatis. Improperavit [exprobravit] namque Christus Pharisaeo, quod aquam pedibus suis non dedisset, et laudavit Magdalenam, quod unguento pedes et calidis lachrymis ejus diluisset. Plus autem dilexit Christus discipulos, quam Maria Magdalena, Christum. Ideo aquam sanam calidam temperatam pretiosissimis liquoribus mixtam tribuit. Stetimus ergo in loco hujus sanctae coquinae, ubi hodie adhuc stat antiquus et altus murus, habens per longum sursum quandam cavaturam, quasi pro fumo exhalando ab igne. Et in loco genua fleximus et orationes praescriptas legimus, et indulgentias recepimus (†).

De loco sepulturae S. Stephani post ejus inventionem.

(**100 A**) Coquinam dictam dereliquimus, et ulterius procedentes ad locum venimus, in quo S. Stephanus sesundario fuit sepultus, cum aliis repertis in agro de Galabri, qui ut opinor non longe erat ab Anathot, quae villa supra locum lapidationis S. Stephani contra aquilonem sita est, et erat ager ille Gamalielis, qui rapuit corpus S. Stephani extrahens de lapidibus et in suum agrum transtulit, ubi et ipse, et Abybos filius ejus, et Nicodemus postea sepulti sunt: et tandem extra notitiam hominum venerunt. Unde post multa tempora facta fuit fames valida propter terrae siccitatem, non enim pluerat super terram multis mensibus. Revelatum est autem Lucio, viro sancto, quod Dominus non propitiaretur terrae, quam diu reliquiae illae essent sine honore, et coelitus sibi agro ostenso, in quo reliquiae illae essent sepultae, notum hoc fecit Sancto Johanni, episcopo Jerosolymitano, qui cum sollemni processione ad agrum processit, et fodientes invenerunt corpus S. Stephani, cum reliquis cum eo sepultis, et portaverunt illud in ecclesiam sanctam Syon, et eos in illo loco honorifice recondiderunt. Eadem hora pluvia magna descendit, et terra fructum consuetum reddidit, et multa hic mirabilia contigerunt. Porro postea quidam nobilis de Constantinopoli devotus sancto Stephano cum uxore sua Juliana transfretavit et in monte Syon ad ecclesiam Syon habitationem sibi elegit, et 7. annis ibi degens mortuus est, uxor autem ejus fecit sibi fieri tumbam similem tumbae S. Stephani, eamque juxta S. Stephani corpus collocavit. Post aliquot dies volens Juliana reverti Constantinopolin postulavit ab episcopo Jerosolymitano corpus viri, et ingressus episcopus Sancti Stephani oratorium produxit duos loculos argenteos, dicens mulieri, quod loculum sui viri reciperet: et accepit mulier loculum S. Stephani, putans esse loculum viri. At cum per mare navigarent, multis miraculis experta est, se habere corpus Sancti Stephani, et ita inductum Constantinopolin. Demum de Constantinopoli est translatum Romam, ubi hodie quiescit cum S. Laurentio. In loco ergo praedicto jam stat unum altare sub divo, quod fratres erexerunt, et in festivitate ibi Missas celebrant. Legimus

ergo in loco illo ex processionali legenda, et indulgentias accepimus (†).

Deinde dimisso illo loco ultra processimus, et in via ad latus domus Martharum transivimus, quae est satis magna, ex opposito ecclesiae Syon. In illa domo sunt quaedam foeminae de Italia christianae, de ritu nostro, quae Marthae fratrum vocantur; quia fratribus serviunt propter Deum, lavando, suendo, nendo, et ecclesiam fratrum frequentant. Sunt enim vetulae, valde maturae et honestae, degentes sub tertia regula S. Francisci, cum multa patientia et sustinentia. Non fuit elapsus unus annus, quando in Jerusalem fui, quod quidam Arabes nocte effracto ostio cum tumultu illarum dominarum in domum irruerent, et omnia reperta rapientes aufugerunt, domo spoliata. Cum eram ibi degens (**B**), lavabant mihi tunicam meam, et scapulare, et alia charitatis opera ostendebant mihi. Cum illis mansit etiam illa foemina de curia reginae Cypri, de qua dixi fol. 69. A. Juxta hanc domum contra orientem processimus, et a via, quae ducit in vallem Josaphat ad dextram declinavimus ad domum quandam bene munitam et clausam, sicut domus Christianorum sunt. Pulsantibus autem nobis venerunt homines nigri, solis ardoribus adusti, longae staturae, et in vultibus cauterizati, et patefecerunt nobis ostium. Erat enim monasterium Indianorum, in quo morabantur monachi cum foeminis, et sunt de rigorosissima vita, et mirum est, videre eorum despectum habitum. Cum autem ingressi fuissemus, duxerunt nos per quoddam ostium in habitaculum obscurum, in quo est descensus tenebrosus per medium rupis praeruptae, et per illum descensum cum luminibus venimus in specum squalidum, subterraneum, petra desuper pendente, imo ipse specus caverna petrae est, et ibi locum orationis invenimus. Est enim ibi, ut habet antiquissima traditio, locus ille, in quo David egit poenitentiam super peccato occisionis Uriae, de quo habetur **2 Regum 12.**, ubi de David dicitur: ingressus est seorsum, jejunavit, oravit, flevit, cilicio, disciplinis flagellisque se castigans, et **VII.** psalmos poenitentiales ibi fecit, et crebrius eos legit, et lugubri lamentatione eos depromsit. Nec erat tempore David spelunca haec extra curiam regis, sed intra, quia curia magna

et lata fuit. In hac spelunca in facies nostras procidimus, precantes Dei misericordiam, et indulgentias accepimus (†).

De loco, in quo Judaei volebant Apostolis corpus beatae Virginis rapere, dum illud ad sepulchrum deferrent.

Acceptis indulgentiis reascendimus, et domum exeuntes contra vallem descendimus, montem Oliveti habentes ex opposito contra orientem, et civitatem Jerusalem ad sinistram, et ecclesiam Syon ad dextram. Ad locum autem venimus, ubi Judaei hoc sacrilegium perpetrare conati sunt. Defuncta enim gloriosissima Virgine Maria, cum corpus ejus per Apostolos de monte Syon deferretur, ut illud sepulturae traderent in valle Josaphat, et cum cantu et laetitia descenderent usque huc: ecce Judaei, cognita causa illius processionis, de civitate cum armis eruperunt, et in turmam officio exsequiarum deservientium et feretrum concomitantium se ingesserunt, eosque stare fecerunt, furio infecti veteris odii contra gloriosam Virginem. Intendebant enim corpus sacratissimum rapere, et tamquam cadaver odiosum projicere, et discipulos dispergere. Stabant autem, et vocibus magnis clamabant: themea keseza i. e. polluta meretrix. Unus autem de eis audacter accedens et utraque manu loculum arripiens, ad terram cum corpore sacro conabatur dejicere. Sed statim ut manibus feretrum contigit, ambae manus cum brachiis aruerunt, ut trunci inutiles dependentes (**101 A**). Porro ad hoc prodigium miser ille compunctus, et alii adversarii conterriti stabant timore et confusione pleni. Paralyticus autem jussit brachia dependentia sibi super corpus sacrum poni, et stastim sanatus Christianus effectus est. Caeteri vero in civitatem confusi redierunt, et discipulos sum sacro corpore abire permiserunt in locum sepulturae in Gethsamini. In hoc ergo loco Salve Regina legimus, et indulgentiis acceptis recessimus (†).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco, in quo latuit Petrus post ternam abnegationem.

Descendimus consequenter de dicto loco contra vallem, et ad petram quandam erectam venimus. Sub hac petra S. Petrus sedit flens, moerens et poenitens, quando de domo Caiphae post ternam negationem abscessit, et hic indulgentias poenae et culpae promeruit. In hoc loco dictis orationibus praescriptis plenarias indulgentias accepimus(††). Dominus Jesus in die suae resurrectionis b. Petro hic apparuit, eumque consolatus est. Olim stetit pulchra et magna ecclesia hic, quae dicebatur ad Gallicantum, sed nunc est totaliter eruta, adeo, quod ejus non apparent vestigia. Sed et ipsa petra, quae olim erat magna et cavata, in cujus caverna S. Petrus sedit flens, in dies decrescit, et parva rupes nunc est, quia peregrini particulas de ea descindunt et deportant. Ad latus illius petrae venit per canale aqua de montanis Hebron inducta mirabiliter in civitatem Jerusalem, de qua dicam fol. 249. A. B. Stat etiam ibi profunda cisterna pro aqua haurienda. Credo, quod quando ibi erat ecclesia, quod crypta fuerit caverna illius cisternae.

De loco, in quo fuit domus Annae, primi judicis Domini Jesu.

Loco illo perspecto in processu avertimus nos a valle, et partem montis, per quam descendimus, iterum readscendimus, non tamen eadem via, sed contra civitatem sanctam declinavimus, inter ruinas domorum. Ad quandam autem domum venimus firmiter conclusam, ibique pulsantes intromissionem obtinuimus, et ab intus pulchram ecclesiam invenimus, in honore sanctorum Angelorum consecratam, unde etiam ad sanctos Angelos dicitur. Et circa ecclesiam erant cellulae et domicilia, in quibus habitant religiosi de Armenia, Christiani orientales, homines nigri et maturi. Haec domus tempore passionis erat curia Annae pontificis, ad quem primo Dominus Jesus fuit ductus de horto, in quo captus fuit. De hac domo et inductione Domini Jesu habetur clare Johann. 18., quomodo Annas pontifex eum despective interrogat de doctrina et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de discipulis ejus, et quomodo quidam de ministris durissimam alapam dedit Domino, manu furibunda ictu gravi caedens faciem Jesu, adeo ut secundum quosdam dentes oris ejus removerentur, et os sanguine (B) flueret: ad quam percussionem Dominus Jesus nihil durum dixit aut fecit, nec percussori poenam aliquam inflixit. Unde Augustinus: si cogitemus, quis acceperit alapam, nonne vellemus eum, qui percussit, aut coelesti igne consumi, aut terra dehiscente absorberi, aut correptum daemonio vexari, aut aliqua hujusmodi qualibet poena vel etiam graviori puniri. Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset, per quem factus est mundus; nisi patientiam nos maluisset docere, qua vincitur mundus. Ex his patet falsitas mendosa illorum, qui dicunt, quod Dominus Jesus suum percussorem punitverit statim in eodem loco, dicens ei: hic stabis et innocentiae meae testimonium perhibebis usque in diem extremi judicii; et tunc salvus eris. Ab illa ergo hora stat ille ibi vivitque, nec tamen comedit, nec bibit, nec dormit, sed magno desiderio exspectat mundi finem, ut liberetur, et peregrinos advenientes interrogat, an foeminae adhuc masculos pariant? dicens: quod fine mundi appropinquante cessabunt mulieres mares parere; et ita stat ibi interrogans, et ad interrogata respondens. Haec autem sunt frivola mendosa contra Scripturam et Evangelium, fidei et veritati contraria, per fatuos et deceptores gyrovagos ficta, qui vagantes sub specie pietatis per loca, veritate se ingurgitare non valent, talia mendacia confingunt, et simplices homines seducunt, et nonnunquam etiam, qui videntur prudentes esse, eis attendunt, et pro mendaciis dona eis conferunt. Hoc mihi contigisse, veritas fateri cogit. Nam eodem anno, quando ad primam meam peregrinationem me disposui ad terram sanctam, venerunt Ulmam duo gyrovagi de Flandria, qui dixerunt, se recenter de Jerusalem venisse, et de monte Synai, et multa mira recitabant, sedentes inter pauperes in hospitali, et multi utriusque sexus ad eos confluebant, ut fabulas eorum audirent. Vidua autem quaedam honesta, domina Anna de Kingseck, allecta sermonibus eorum, ut eo liberius cum eis conferre posset, recepit eos in domum suam, et largum hospitium eis praebuit. Et quodam die me accersiri

fecit etiam ad eos in domum suam, ut eos audirem, quia sciebat in proximo me recessurum ad illa loca. Et inchoantes mendacia sua ita formaliter proponebaut, quod in nullo, quae dicebant, haesitavi. Taedet me recitare fictiones illas. Dissuadebant mihi, ne per mare navigarem, sed pedes per Ungariam, Dalmatiam usque Constantinopolim properarem, et ibi imperator constantinopolitanus L ducatos mihi daret, quia teneretur cuilibet peregrino terrae sanctae tantum dare. Et quando argui contra hoc, ex eo, quod imperator ille non est Christianus sed Turcus, statim scivit aliis mendaciis argumenta mea solvere. Dixerat etiam, quod (**102A**) rex Jerusalem jam factus esset Christianus, et civitas conversa esset ad Christum, et quod rex ille nullum militem sineret percutere in sancto sepulchro, nisi secum luctatus fuisset et probasset eum fortem viribus. Et quod capella dominici sepulchri esset auro fulvo vestita, et lampades ejus penderent in candelabris aureis, et una lampas supra domunculam sepulchri Christi arderet in perpetuum sine accensione, et haberet oleum et ignem de coelo. Et quod tota Jerusalem de pretiosis lapidibus etiam constructa, et protulit unus lapillum impolitum quem dixit se in platea Jerusalem invenisse, et pro 20. ducatis non vellet eum vendere: et siquis lapides pretiosos nosceret, eos ibi inter communes lapides reperiret in copia. Nudavit etiam unus de illis, me vidente, scapulam et humerum dextrum, et ostendit nobis cicatricem rubeam rotundam figurae illius, ut in margine est expressum, dicens: quod abbas monasterii S. Catharinae montis Synai habet unam parvam rotam auream, quam carbonibus ardentibus superponit, et dum ignescit, forcipe eam levat, et peregrinum sic nudatum cauterizat in humero dextro. Non etiam veriti recitare mendacium praedictum de illo, qui dedit alapam Jesu, dicentes, se cum eo locutos fuisse, et quod non omnes peregrini ad eum admitterentur. Haec et plura alia dixerunt mendacia, et nunquam Jerusalem viderunt. Ego dum essem in domo Annae, jocose a quodam fratre minore ductore nostro quaesivi, ubi vir ille staret, qui alapam Domino Jesu dedit? Frater autem ille ad latus ecclesiae ab extra me duxit et unam olivam ibi stantem ostendit, dicens: ecce ille est vir, de quo

dicunt, quod ungues digitorum ejus creverunt in terram, et barba ejus oblonga dependeat: notans radices et ramos arboris. Verum tamen incolae domus et Christiani orientales omnes venerantur hanc arborem, dicentes, quod antiquissimi libri eorum habeant, quod Dominus Jesus stetit ligatus ad illam arborem, interim quod ministri comedebant et bibebant, quia Annas de captivitate Domini Jesu exhilaratus dedit cibum et potum captivantibus. Ea de causa et nos stipitem deosculati sumus. Est autem arbor illa vetustissima etc. Demum regressi sumus in ecclesiam, et orationes praescriptas in processionali diximus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††).

De domo Cayphae pontificis, in qua illusus fuit Dominus Jesus Christus.

Exeuntes autem de domo Annae pontificis contra domum Cayphae properavimus cum serio et devotione vestigia Domini Jesu terentes. Ad domum autem cum venissemus, clausam invenimus et pulsantes intromissi sumus. Et ingressi ecclesiam orationes signatas diximus, et indulgentias plenariae (††) remissionis accepimus. (B) Haec ecclesia dicitur ad Sanctum Salvatorem, et in loco stat, ubi erat domus Cayphae, in qua domo quanta Dominus Jesus perpessus fuerit, non est Christianus, qui haec ignoret. Ibi enim quaerebant falsum testimonium contra Jesum, nec inveniebant: ibi Petrus trina vice negavit, se hominem illum noscere: ibi Dominus Jesus fuit velatus, consputus, colaphis et alapis caesus quasi tota nocte, et ibi tribus horis in artissimo carcere stetit inclusus. Quapropter haec contemplantes diutius ibi in oratione permansimus, et fletibus, suspiriis ac gemitibus locum replevimus. Deinde cum ab oratione surrexissmus, circumduxerunt nos presbyteri ejusdem ecclesiae per singula loca domus, et primo in chorum venimus ad altare majus, quod detractis pallis nudaverunt, ut lapidem, altaris mensam, videremus. Erat quippe magnus valde, spissus et latus, et est lapidis illitus pars, qui fuit advolutus ad ostium monumenti Domini, de quo dicitur Marci 16.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Erat quippe magnus valde. Nam fideles post decursum temporum lapidem illum secaverunt, partem juxta sepulchrum Domini dimittentes, et aliam partem ad hanc ecclesiam transtulerunt, et pro tabula et mensa altaris ordinaverunt. Hunc sanctum lapidem deosculati sumus et curiosius inspeximus. Porro presbyteri ecclesiae diligentissime observaverunt nos, ne quis aliquid instrumento ferreo a lapide decerperet, quia valde venerantur lapidem illum, et nisi lapis ille fuisset, anno praeterito locum vendidissent, quia sunt pauperrimi Armeni, monachi, et paupertate cogente volebant locum fratibus minoribus vendere, quia non poterant ecclesiam et monasterium in suis structuris conservare; ita tamen volebant locum vendere, ut lapidem illum secum tollerent, quia cum lapide nequaquam volebant vendere. In hoc autem anno venit quidam praedives Armenus in Jerusalem, et ruinas ecclesiae et claustri refecit, et manum adjutricem istis pauperibus praebuit. In prima mea peregrinatione venit mihi ad manus satis magna portio de illo lapide, quam quidam miles emit duobus ducatis a clerico Armeno, qui cum milite ecclesiam ingressus furtive, ne alii Armeni perciperent, decerpsit a lapide particulam. Idem autem miles in mari obiit, et particula illa mihi pro haereditate mansit quam Ulmam mecum duxi. Deinde venimus ab altari recedentos juxta altare in dextro latere, per ostiolum parvum ingressi sumus in cellulam strictam et tenebrosam, muris spissis cinctam, et non nisi unius hominis stantis capacem; unde unus post alium ingrediebatur. Haec cellula fuit inclusorium, in quod examinati et judici praesentandi et occidendi includebantur usque ad tempus praesentationis. Sic Dominus Jesus examinatus fuit etiam ibi reclusus, stans ibi tribus horis, manibus a tergo ligatus, oculis velatus, vultu consputus, opprobriis repletus, frigore afflictus. In hoc loco prostrati devotius oravimus et gratias Redemptori egimus. (**103 A**) Consequenter de ecclesia egressi sumus in curiam vel atrium ecclesiae, ubi erat ignis, circa quem stabat Petrus cum ministris, quando negavit Dominum, et quando Dominus eum respexit. Insuper locus, ubi gallus stetit, ad cujus vocem Petrus se ipsum recognovit, monstratus fuit nobis, quae omnia cum devotione vidimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De angulo, ad quem beata Virgo stetit respiciens contra domum Cayphae, quando Dominus ibi examinabatur.

De illa post haec domo egressi sumus, et in processu ad angulum cujusdam domus venimus, de quo angulo est directe aspectus contra januam domus Cayphae, ita quod stans in alia parte potest, dum vult caput extendere, ad januam Cayphae respicere, vel solum cum uno oculo, si placet, et ipse a nemine potest videri, nisi aliquis sciret, eum retro murum stare et occulte ab angulo videre. In illo loco dicunt beatissimam Virginem Mariam toto illo tempore occulte stetisse, et contra ostium respexisse, quo Christus ligatus inductus fuit, volens videre, quo tamen ultimate ducendus esset. O cum quantis doloribus et lachrymis stetit exspectans ibi beatissima Virgo. Quid putas respondisset Virgo, siquis eam interrogasset, cur ibi staret, quidve ibi exspectaret? an forte liberationem filii de manibus Judaeorum, vel aliud? Ad quem Virgo, scio, inquit, quod filius meus ita ingeniosus et facundus est, si ad ordinarium judicem ductus fuerit, posset se excusare et dimitti, sed cum hoc adeo mausuetus et innocens ac taciturnus, sicut agnus coram tondente se, non aperiens os suum pro sui excusatione. Est insuper ita dulcis et amabilis, quod omnino spero, quod sibi compatiantur, et ad me reducatur. Ideo hic plena anxietatibus sto, ut finem videam, quo ducatur: si ad vitam, victura secum; si ad mortem, moritura secum exibo. Dicunt etiam devoti, quod Petrus negato Domino, dum cum ejulatu et fletu domum exiret, venit ad angulum illum, nec poterat Virgini loqui prae verecundia et dolore, nec Virgo sibi, et cucurrit ad specum, de quo supra habitum est. Hunc ergo angulum deosculati sumus et indulgentias recepimus (†).

De loco decollationis S. Apostoli Jocobi majoris ab Herode Agrippa.

Circa praedictum angulum vertimus dorsum ecclesiae Syon, et per vicum longum processimus contra occidentem, per multas ruinas murorum magnorum: et iterum ad unam domum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae etiam est monasterium, pervenimus. Et pulsantes introi missi sumus: et intrantes ecclesiam ad orationem nos prostravimus: clerici autem ecclesiae venerunt et nos ad latus ecclesiae duxerunt sinistrum in quandam capellam, (**B**) in qua locus erat, ubi Herodes Agrippa decollavit Sanctum Apostolum Jacobum majorem, fratrem Johannis, ut habetur Act. 12. Hic est Jacobus major, frater Johannis, cognatus Christi, tertius Apostolorum vocatione, secretarius Domini primus martyr inter Apostolos, cujus corpus tulerunt ejus discipuli, et in Joppen ad mare deferentes mirabiliter per mare delati sunt in Compostellam, ubi hodie ab omnibus Christi fidelibus visitatur. In illo ergo loco antiphonas et alia conscripta diximus; et indulgentias accepimus (†). Porro ecclesia ipsa magna est et alta, ita quod prae cunctis ecclesiis, quae sunt in Jerusalem, eminet, et ante omnes videtur, et primum, quod visui se objicit, est culmen ecclesiae illius: et non habet fenestras, sed lumen per foramen, quod in ejus cacumine est, per ecclesiam spargitur. Multae sunt capellae per circuitum ejus, quae jam sunt desolatae et exsecratae. In ipsa ecclesia pendent multae lampades, sed in medio pendent in uno candelabro **CXX** lampades. Omnes enim orientales in suis ecclesiis multas habent lampades, ita quod testudines sunt plenae funiculis et catenulis. In muro ecclesiae ab extra juxta ostium est foramen vel fenestra non perspicua, aut reservatorium, in quo jacent duo magni rotundi lapides, qui sunt apportati de monte Synai, et dicunt, quod Angeli eos b. Virgini portaverunt, pro ejus spirituali solatio, ut quia ad tantum spatium peregrinari virginem conveniens non erat, nec a Jerusalem recedere, montem ipsum sanctum Synai in lapidibus istis veneraretur. Ecclesia est cathedralis, habens archiepiscopum et canonicos de ritu Armeniorum. Dicuntur tamen Jacobini, et sunt Romanae ecclesiae obedientes. Archiepiscopus est vir maturus et pulcher ac reverentialis; cum quo libenter habuissem colloquium, sed non potuimus nos intelligere. Illi Jacobini non sunt ita nigri homines sicut alii orientales.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco, in quo Christus resurgens occurrit mulieribus dicens: Avete.

Visis jam dictis de monasterio egressi sumus et per vicum ulterius processimus, et in via ad locum quendam venimus, ubi in publica strata lapis magnus erectus stabat. Qui ideo ab antiquis Christianis ibi est locatus, quia in illo loco et in ista via apparuit dominus tribus Mariis a monumento revertentibus, ad quos dixit: Avete. Et illae prostratae tenuerunt pedes ejus, ut habetur Matthaei 28. Ibi ergo prostrati locum vestigiorum Christi deosculati sumus et lapidem, et indulgentias accepimus (†). Quondam stetit ibi ecclesia magna, quam Sarraceni destruxerunt, sicut et alias ecclesias. Iuxta hunc lapidem est via publica de monte Syon (**104A**) ad sepulchrum Domini, ita quod singulis diebus peregrini hunc locum pertransibant, ego quandoque una die 6. vicibus ibi pertransivi. Est autem peregrinorum omnium consuetudo, quod quotiens aliquem locum sanctum pertranseunt, etiam extra actualem intentionem visitandi loca sancta, totiens locum deosculantur et vadunt. Sic ergo, quotiens lapidem praedictum pertransivimus, totiens eum deosculabamur, quod Sarraceni cernentes, qui ex opposito morabantur lapidis in domo, et devotioni peregrinorum invidentes nocte ipsum lapidem liquefactis humanis stercoribus perfuderunt, eum totaliter foedaverunt, et ita deosculationi abominabilem reddiderunt. Isto tamen non obstante quidam peregrinus vestimentis suis lapidem tersit in loci parte deosculationi apta: et ita locum non minus, imo in confusionem Sarracenorum amplius venerabamur. Istum despectum fecerunt nobis Sarraceni in multis locis sanctis in Jerusalem et alibi.

Arx David faciens finem montis Syon contra occidentem.

Non longe ulterius contra occidentem procedendo venimus ad cornu montis Syon, ad finem ejus in parte occidentali, et ibi est arx David. Et hodie stat ibi fortissimum castrum et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fortalitium pulchrum, supra praeruptam petram, et per circuitum ejus fossata, quae olim profunda naturaliter erant ex se a parte, qua mons Syon jungitur civitati: et Mello ibi erat. A parte autem australi hodie profunda valle munitur: habet autem hoc castrum muros altos et turres multas et vectes ferreos. Totum castrum quadam alia vice vidi ab intus. Stetimus ergo et arcem David, de qua totiens Scriptura mentionem facit, inspeximus, et Mello: et faciem antiquam Ierusalem ibi contemplati sumus: quae tamen frequentibus devastationibus est deturpata, valles profundae ruinarum casibus crebris sunt repletae. Iuxta arcem David est descensus per vicum longum in civitatem, et ad dominicum sepulchrum.

De loco, in quo Apostoli fuerunt divisi ab invicem per mundum.

Arce David perspecta revolvimus nos et avertimus nos ab occidente, et per viam, per quam venimus, reversi sumus, usque ad angulum illum, juxta quem beata Virgo exspectabat, ut fol. 103. A. dictum est. Ab hoc angulo paululum progressi sumus contra austrum, et ad locum venimus, ubi viae per modum crucis se intersecant, ita quod homo in medio crucis, quam viae faciunt, stans potest ire contra orientem aut occidentem; contra meridiem, aut aquilonem. Et ibi est locus divisionis Apostolorum. Nam in coenaculo Syon tractaverant cum beata Virgine de eorum per mundum divisione, ut eis praeceptum fuit, Marci ultimo. Et post Spiritus Sancti missionem (**R**), cum jam per Judaeam praedicassent et aliqui anni elapsi fuissent, compulsique persecutionibus Iudaeorum, die XV. Iulii, jussu beatae Virginis se ad recessum disposuerunt, nihil aliud secum ferentes, nisi articulos fidei, quos XII. Apostoli composuerant in primo concilio, quod celebratum per eos fuerat in monte Syon. Cum autem jam hora recessus eorum instaret, cum magna reverentia provoluti ad pedes beatissimae Mariae Virginis benedictionem et licentiam ab ea postulabant, quos Virgo levavit, et complexa singulos benedixit, cum lachrymis flentes dimisit ire. Qui omnes simul de coenaculo egressi usque ad illam viam in cruce crucem praedicaturi steterunt, et ibi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ruentes in amplexus et oscula cum multis lachrymis ab invicem divisi fuerunt, per mundum universum, tres in orientem, tres in occidentem, tres in meridiem, tres in septentrionem, in quatuor partes mundi. Profecti sunt autem Matthaeus, Thomas et Bartholomaeus cum discipulis eis adhaerentibus in orientalem plagam; Petrus vero, Andreas et Jacobus major in occidentalem cum eis adhaerentibus. In meridionalem autem processerunt Jacobus, Johannes et Matthias cum eorum discipulis. In septentrionalem vero Symon et Thadaeus et Philippus cum eorum sociis praedicantes ubique, ut mundum quadratum fide Trinitatis insignirent. Stetimus ergo in hoc loco, et gratias Deo egimus, qui ab hinc sanctos misit per mundum Apostolos, quorum fide fulgentes huc reducti sumus. Prostrati itaque in terram indulgentias accepimus (†). In hoc loco venit mihi in memoriam lamentabilis quaedam separatio et divisio fratrum meorum Conventus Ulmensis, cui et ego interfui, quae fuit facta anno Domini 1476 ipso die divisionis Apostolorum. Quia enim adhaesimus domino Papae et Romana ecclesiae, uti dignum, justum et sanctum erat, imo et necessarium, coacti fuimus exire conventum et civitatem Ulmensem, et divisi fuimus in conventus per provinciam: nolebamus enim profanare et contra apostolica mandata facere, et tenuimus interdictum soli, et subjecimus nos episcopo dato per papam et confirmato, et non electo per capitulum et manutento per imperatorem. Verum tribus mensibus exulavimus et reformata pace cum magna gloria et honore revocati fuimus. Decrevimus ergo diem divisionis Apostolorum perpetuis temporibus durante Conventu solemniter sub toto duplici festo celebrare, in perpetuam rei memoriam, ut posteri nostri discant et sciant, quod propter nullam tribulationem debeant apostolicis mandatis contraire: sed potius exulari, imo et mori. Valde multa sustinuimus tempore interdicti, quasi duobus annis durante etc.

Oratorium S. Johannis Evangelistae, in quo Missam celebravit, Virginique Mariae sacramenta ministravit.

(105A) A loco praefato recedentes consequenter venimus ad locum valde devotum, ubi quondam stetit oratorium, in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quo b. Evangelista Johannes post Domini Jesu ascensionem, quam diu in Jerusalem mansit, cottidie Missam celebravit, et beatissimae virgini Mariae sibi in cruce commendatae sacramenta ministravit, quae ea cottidie devotissime accepit. Dum enim sacramenta novae legis essent instituta et promulgata, omnibus servanda, ipsa ea quamvis plena gratia suscepit de manu sui proprii sacerdotis Johannis in sua parochia, quae hic fuit. Accepit autem virgo beatissima sacramenta: 1. propter sui humiliationem, 2. propter scandali evitationem, 3. propter praecepti adimpletionem, 4. propter meritorum supererogationem, 5. propter haeresum confutationem, qui ipsam angelum, non hominem fuisse asserebant, 6. propter instructionem perfectorum. Singulariter tamen cottidie sacramentum poenitentiae accepit, et sacramentum eucharistiae omni die, ut creditur, suscepit de manu S. Johannis in hoc loco. Quamvis enim nullo peccato obnoxia fuerit, confessionem tamen sacramentalem saepe fecit, non quidem accusando se de crimine aliquo, nec recognoscendo se minus gratam de collatis beneficiis, quae tamen confessio sanctorum est, qui vitam sine crimine ducunt: sed confitendo meritorum insufficientiam, quod tantam gratiam suscepit, quam nunquam de condigno meruit, vel quam omnis creatura mereri potuerit, licet ipsa de congruo meruerit. De hoc sacramento poenitentiae recepit gratiam in excellenti: pro contritione quidem innocentiae conservationem; pro confessione gratiarum actionem; pro satisfactione supererogationem. Hoc sacramento sic sumpto petivit muniri sacramento eucharistiae, et devote cum desiderio ardenti accedens sumsit, propter passionem filii sui rememorationem; propter devotionis virtualis exercitationem et contra corporalem absentiam filii sui consolationem. In hoc ergo sacro loco constituti devoti oravimus, et prostrati in terram vestigia sanctissima deosculati sumus, et indulgentias accepimus (†). Porro in ipso loco non est nunc aliqua structura, nisi quod locus est maceria circumdatus, et in medio stat quidam magnus lapis, habens cavaturam ferro incissam, in qua dicunt sanctum Johannem eucharistiae vasculum reclusum habuisse.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco, ubi fuit domicilium b. Mariae Virginis, in quo migravit ab hoc saeculo.

Consequenter ab hoc loco non longe venimus ad alium locum maceria altiori circumdatum, in quo creditur stetisse b. Virginis Mariae domicilium, ubi vitam domesticam agebat annis XIIII. In Alchorano Machometi dicitur, quod tantum V. annis superstes fuit, et in toto annorum LIII. vixit, ut habet Nicol. de Cusa. lib. 2. cap. 15. Aliqui dicunt plus, aliqui minus, post Domini ascensionem. Et in ea diem clausit extremum. Appropinquante enim suae vitae termino a Johanne, qui advenerat cum caeteris Apostolis, petivit sacramentum extremae unctionis: quamvis nec infirma, nec debilis, nec viribus destituta esset, nec ex senio defectione confecta, et per consequens non teneretur hoc sacramentum (B) suscipere, quia tantum debilium est; tamen huic privilegio immunitatis ab infirmitate resignavit et occultavit, dum ad extremum vitae venit: sicut privilegium virginitatis occultare voluit, dum ad legitimam purificationem accessit. Et decumbens amore ardentissimo, dulcissime languens, hoc sacramentum pro peccatoribus institutum humiliter suscepit: et in eo completae victoriae praeteritae et plenae futurae gloriae significationem vidit: et loco remissionis venialium totius doloris praetermissionem, pro infirmitatis vero alleviatione totius corporis glorificationem. Sacramento autem suscepto animam in manus Dei commendavit, hinc emigrans circumstante glorioso Apostolorum choro et candido CXX virginum coetu, et multarum viduarum, corpusque suum ipsis sepeliendum dereliquit: In hoc ergo sancto loco ad oratlonem procidimus et hymnos ac laudes praescriptas decantavimus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus(††). Hic locus singulariter in magna veneratione habetur ab omnibus Christianis et a multis Sarracenis, nec tamen est ibi aliquod aedificium nisi maceria. Laborant autem modo fratres minores apud Soldanum, ut detur eis licentia aedificandi ibi capellam et erigendi altare; non enim audent quidquam cemento jungere sine licentia regis Soldani, et sunt in spe, quod licentiam sint adepturi. Audivi tamen interim, quod ad plenum cum fratres

a Soldano optatum impetrassent, et multis impensis habitis oratorium erexissent, mox rabidi canes Sarraceni oratorium irrumpunt, totumque aedificium solo coaequant, sicque hodie est locus sicut eo tempore, quo vidi.

De loco, in quo S. Matthias fuit loco Judae in Apostolum electus sorte.

Non longe ab illo loco procedendo contra ecclesiam Syon venimus ad lapidem quendam rubeum, ubi est locus, in quo b. Matthias fuit in Apostolum electus, ut habetur Actuum 1., loco Judae proditoris, cui subrogatus in hoc loco fuit. In hoc loco prostravimus nos in oratione, et indulgentias accepimus (†), cum praescriptis canticis, et fuit nobis locus iste magis devotus et domesticus, eo quod sacrum corpus ejus apud nos in Alemannia in civitate Trevirensi habetur.

De loco, in quo Jacobus minor fuit ordinatus episcopus Jerosolymitanus.

Inde procedentes venimus ad murum coemeterii fratrum, et in muro est lapis albus cum impressa cruce, et ibi est locus, in quo Apostolus Jacobus minor in episcopum Jerosolymitanum fuit electus et ordinatus, et in quo prima Missa ab eo celebrata fuit. Tantae enim sanctitatis erat Apostolus ille, quod Apostoli sibi hunc honorem exhibuerunt post ascensionem Domini, ut primus inter eos Missam celebraret coram Apostolis, et eum pontificem in Jerusalem ordinaverunt, tanquam populo Jerosolymitano magis acceptum, quia solus ille propter eximiam sanctitatem permittebatur intrare in sancta sanctorum, et nullus alius Apostolus. Fuit enim ex utero matris sanctus et Nazareus, vinum et siceram non bibit, carnes nunquam manducavit, ferrum in caput eius non ascendit, oleo non est unctus, balneis non est usus, syndone **(106 A)** semper indutus. Totiens in oratione genua flexerat, ut callos in genibus sicut calcaneis videretur habere. Et propter nimiam ejus sanctitatem tantae reverentiae in populo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

extitit, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent tangere. Hoc etiam singulare habuit hic S. Jacobus, quod Christo Domino fuit simillimus, adeo ut plerique in eorum specie fallerentur. Unde secundum omnia corporis lineamenta, et in modo conversandi, in vita et in facie, ita similis Jesu fuit, ac si ejusdem uteri frater esset gemellus. Quapropter post Domini ascensionem multi Jerosolymam ascenderunt, de diversis mundi partibus, ut Dominum Jesum in Jacobi persona viderent. Inter quos unus fuit Ignatius martyr, et Paulus Apostolus, Galat. 1. Ideo frater Domini est appellatus. In illo ergo loco oravimus, et indulgentias recepimus (†).

De loco, in quo VII. diaconi fuerunt electi in ministerium.

Statim de post venimus in locum, qui consuevit honorari propter electionem VII. diaconorum, et de qua electione habetur Actuum 6. Nam crescente numero fidelium post Spiritus Sancti missionem ortum est murmur propter ministrationem, quidam nimis gravabantur, alii despiciebantur. Quapropter elegerunt septem viros vita, moribus et gratia probatos, quos ministerio praefecerunt. Inter quos S. Stephanus fuit primicerius, plenus gratia et fortitudine etc. In hoc ergo loco orationibus praescriptis dictis et indulgentiis susceptis Deum laudavimus (†).

De loco, in quo Apostoli confecerunt symbolum fidei christianae in XII articulis.

Circa eandem conferentiam locus esse aestimatur, in quo Apostoli post Spiritus Sancti missionem congregato concilio sacro tradiderunt ecclesiae XII articulos fidei, quos confecerant, praedicandos. In quorum articulorum fide omnes salvamur, et in Dei filios adoptamur. Magnae ergo reverentiae est locus iste. In eo ergo fidem veram confessi sumus et ulterius ad alia festinavimus etc. vide fol. 152. B. (†).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco, in quo Sarraceni superstitiose honorant Dominum Jesum Christum.

Circa maceriam, quae circumdata est fundamento ecclesiae Syon antiquae, sunt aliqua loca, in quibus Sarraceni et orientales Christiani superstitionibus vacant, praecipue tamen in loco prope locum divisionis Apostolorum sub fico quadam, ubi est magna congeries lapidum, ad quam mulieres Sarracenorum cottidie accedunt, et thura super lapidem concremant, et panes sepeliunt, dicentes ibi Domini Jesu esse sepulchrum, et non in Golgatha, ubi est sancti sepulchri ecclesia. Imo eandem ecclesiam et sepulchrum in ea spernunt, et non ibi, sed hic Jesu sepulchrum quaerunt; dicentes: quod ille quidem inferius sepultus fuit, qui crucem sustinuit, quem Judaei aestimabant esse Jesum, qui tamen non erat, sed alius pro eo captus et occisus fuit, ipso evadente, cum esset filius Dei et Virginis, et posset evadere. Et hic moriens cum pace in hoc loco sepultus fuit, ibi ejus adjutorium invocant. In certis enim necessitatibus confugiunt ad (B) Dominum Jesum, et ad beatam Mariam Virginem, sed non fideliter, sed cum multis superstitionibus, sicut etiam frequenter pueros infantes mittunt ad Christianos, baptizandos, quando sunt infirmi, putantes, eos baptismo corporaliter sanari, vel melius prosperari, nihil de effectibus veris et propriis tenentes nec credentes. Ad hunc acervum lapidum aliquotiens accessi, quando nullum Sarracenum adventurum timebam, et lapides compositos pro igne, dispersi, et ea, quae sub lapidibus absconderant, everti; et signa ultionis ibi dereliqui.

De horto Conventus fratrum montis Syon.

Consequenter juxta Conventum Syon extra septa ejus contra austrum et orientem et aquilonem in cornu montis Syon habent fratres magnum hortum, quem anno praeterito de licentia Soldani a quodam Sarraceno emerunt multo auro. In hunc hortum sumus egressi, et primo in coemeterium fratrum venimus, ubi fratres suos defunctos sepeliunt, et ibi orationes pro animabus fudimus. Deinde multas profundas

cisternas in eo vidimus, quas fratres, dum emissent hortum, et foderunt, repererunt terra et lapidibus repletas, quas mundaverunt, et canalia aptantes tempore pluviali optimas aquas in eis colligunt: nec enim sufficit eis aqua illius cisternae, quae est ante refectorium, de qua supra fol. 97. A. mentionem feci, per aestatem, quae me ibi existente defecerat. Unde valde necessariae sunt eis cisternae horti illius. Nam ante eius emptionem patiebantur in annis aridis et siccis magnam aquarum penuriam, sed horto habito pati non possunt defectum aquarum, quod magnum reputatur in Jerusalem. In hoc insuper horto diversa genera arborum plantas habent, ficorum et malagranatorum etc. et olera pro conventus sustentatione. Est autem hortus ille quadratus, in cornu montis Syon positus, et ibi ab occidente habet Conventum et ecclesiam et jugum montis Syon sibi aequale: per alias tres partes habet valles, et est maceria cinctus. Nam ab austro habet vallem Acheldemach cum monte Gyon: ab oriente habet vallem Syloë cum monte Offensionis, et consequenter vallem Josaphat cum monte Oliveti, ab aquilone habet Mello cum civitate sancta. Transivimus ergo per circuitum, et per maceriam deorsum in valles respeximus, et ad oppositos montes; et est respectus valde delectabilis scienti scripturas. Ipsa autem maceria cingens hortum petris abruptis est supraposita, et ibi videtur adhuc antiquissimus murus Syon et turrium fundamenta, et multa patent ibi ad oculum, de quibus in Scriptura sacra mentio fit, quae legens difficulter intelligit, ut de Mello, de Gyon, de vallibus, et caetera. Porro sic nobis stantibus et de alto speculantibus emersit inter peregrinos milites saeculares confabulatio, quam oportet hic recitare. Super maceriam procubuimus, et contra civitatem Jerusalem et vallem Josaphat respeximus (**107 A**). Saeculares autem illi cunctis objectis, quae prae oculis habebamus, omissis, visum super templum, quod dicitur Salomonis, reflectebant; et de illo admirabantur et eum intrare et videre optabant, et multa disputabant inter se, quomodo hoc templum a tempore Salomonis usque nunc duraverit, et talia loquentes ego attendebam. Cumque longum inutilem sermonem protraherent, dixi eis: mi Domini et fratres peregrini, quae est causa, quod tam sancta et praeclara

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

odjecta habemus prae oculis, de quibus nulla fit interrogatio, nulla sermocinatio; sed solum de re inutili est vestra disputatio? Ad haec quidam respondit: Templum hoc esse Salomonis cognoscimus ex relatione vulgari, et nihil sanctius, nihil clarius et pulchrius prae oculis habemus. Montes et valles per circuitum non curamus, nec ea cognoscimus: et verum dicebant, quia nec dum montem Oliveti cognoscebant. Ad hoc ego respondi: templum Salomonis non videtur, quia dudum ad nihilum redactum est, et hoc templum, quod nunc videtur, est quartum templum, post templum Salomonis in hoc loco aedificatum. Esto tamen, quod sit templum Salomonis, quid vobis et templo isti? Quam utilitatem consequeremur, etiam si intromissi fuerimus? In eo Christus non colitur, imo abominabiliter blasphematur cottidie, et maledictus Machometus laudatur. Venistis in Jerusalem propter execratam et prophanatam ecclesiam illam? Quare non respicitis in vallem, quae est ante vos, et montem oppositum? Cumque dicerent, se illa non cognoscere, dixi: ecce vallis illa est vallis Josaphat, in quam totus mundus congregabitur ad extremum judicium, et mons ex opposito est mons sanctissimus Oliveti, de quo Christus in coelos ascendit. De his conferamus, ibi miremur, illa sunt de foro nostro: et nihil de isto execrato templo. Et incepimus utilem disputationem de parvitate vallis Josaphat, et de multis talibus. Et his locutionibus finitis finita fuit peregrinatio montis Syon sacrorum locorum, quae sunt in ejus culmine. Alia vero loca montis Syon in ejus declivo et vallibus alio die visitavimus, sicut patebit. Regressi ergo sumus unusquisque ad locum suum: saeculares peregrini ad hospitale S. Johannis, religiosi vero in Conventum fratrum.

Commendatio sancti montis Syon et descriptio.

Syon mons in sacra Scriptura frequentissime nominatur; est autem mons Syon ad australem partem civitatis sanctae, situatus altior quam reliqua civitas, non (B) tamen multum. Olim fuit undique vallibus circumdatus, etiam a parta ille, qua respicit civitatem Ierusalem, ita quod inter ipsum et urbem fuit profunda vorago, qua secabatur civitas a monte: et per

pontem ligneum erat transitus de civitate in montem. Hanc voraginem conabantur reges Iuda implere, ut esset civitas una Syon et Ierusalem, et multos labores habueruut in inductione terrae. Erat enim mons Syon per circuitum abruptis rupibus elevatus, et a parte civitatis infundebant desuper terram, et etiam contra orientem, ut ad parietes rupium elevaretur terra, et fierent horti per circuitum Syon sicut sunt hodie. Et ideo locum illum intermedium, quem terra implere, et civitati coaequare conabantur, nominabant Mello, id est, Adimpletio, de quo habetur 2. Regum 5. et 3. Reg. 9. et cap. 11. et 2. Paralip. 32. Opus tamem hoc ad plenum nunquam fuit perfectum, quia semper aliquae profunditates inter utramque civitatem manserunt, et hodie sunt, ut patet intuenti cum diligentia, in horto fratrum et juxta arcem David. Initium hujus montis est a porta aquarum, sive fontis Syloë contra orientem, et facit semicirculum contra austrum usque in occidentem, ubi erat turris David, et hodie castrum est ibi: et rupis praerupta per totum semicirculum, et arcus istius simicirculi similiter, qui fuit Mello. Superius vero erat mons Syon, et hodie est latus adeo, ut civitas Bybrach in eo posset stare. In hoc monte antiquissimis temporibus fuit aedificata arx, quam magnis laboribus cepit David, et civitatem montis Syon suo nomini dedicavit, ut habetur 1. Paralip. 11. Mons iste olim erat quasi inexpugnabilis. Quantos labores et angustias illi fortissimi Machabaei habuerunt, antequam gentes de arce Syon ejicerent, nemo ignorat, qui libros Machabaeorum vidit. Propter fortitudinem Syon dicitur Ierusalem filia Syon in Scriptura; quia sicut filia defenditur a matre, et matri subditur, sic Ierusalem a Syon defendebatur, et subjiciebatur, ut ibi: dicite filiae Syon, ecce rex etc. id est, dicite civitati Ierusalem. Interpretatio hujus montis Syon, ubicunque in tota Scriptura reperitur, accipitur in bonum, et nunquam in malum. Quandoque enim significat, et ut in plurimum, ultimum beatitudinis actum, divinae essentiae contemplationem; quandoque exercitum angelorum; quandoque ecclesiam triumphantem; quandoque militantem; quandoque solos electos Dei de ecclesia; quandoque contemplativos; quandoque quosque religiosos; quandoque praelatos; quandoque praedicatores. Hic mons est, de quo

dicitur: fundatur exaltatione universae terrae mons Syon, latera aquilonis, civitas regis magni. Iacet enim Ierusalem in ejus aquilonari latere. Et illud: circumdate Syon, et complectimini eam. Et illud: Quoniam elegit Dominus Syon. Et illud: diligit Dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob. Et id: Deus salvam faciet Syon. Et illud: Quis dabit ex Syon salutare Israël. Et iterum David in persona sua et Christi dicit: Ego rex constitutus sum super Syon montem sanctum ejus praedicans etc., et illud: audivit et laetata est Syon. Et illud: Esai. (**108A**): urbs fortitudines nostrae Syon. Idem: ponet consolationem lugentibus Syon. Idem: propter Syon non tacebo etc. Et illud: Syon regnavit Deus tuus. Per Scripturam etiam crebrius montem Syon ascendere invitamur,.ut Esai 2.: venite ad montem Domini etc., ad quid autm ascendere debemus, dicit: psallite Domino, qui habitat in Syon. Et illud: venient in Syon cum laude. Porro Esajas de hoc monte volens aliquid magni enarrare, Esaj. 2. dicit: erit in novissimis diebus mons domus Domini in vertice montium. Et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes. Et hoc impletum est, in altissimis mysreriis in hoc monte peractis, proper quad ad eum de toto mundo flunt gentes. Judaei autem circa textum istum miram fatuitatem et sui erroris obscuritatem involvunt, ex eo probare conantur, quod Jesus non sit verus Mesias, eo quod mons Syon in ejus adventu non sit elevatus in verticem montium super omnes colles. Unde dicunt, quod tempore Messiae portabit Deus montem Thabor et montem Synai et montem Carmeli ad locum, ubi est Ierusalem et Ierusalem et illos tres montes super ponet unum alteri, et in vertice supremi montis locabit montem Syon. Et quia Christus hoc non fecit, ideo non est Messias. Sed respondendum est illis miseris excoecatis, quod illa elevatio montis Syon non est intelligenda secundum locum, sed secundum excellentiam et gloriam, quia Christus ibi facturus erat magna mirabilia, ut sacramentorum institutionem, et Spiritus sancti missionem, et caetera, ut patuit. Ex omnibus his patet, quod mons Syon est mons magnae altitudinis et sublimitatis, magnae fortitudinis et firmitatis, magnae plenitudinis et ubertatis, magnae pulchritudinis et amoenitatis, magnae confidentiae et securitatis, magnae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

opulentiae et locupletatis, magnae laetitiae et jocunditatis, magnae justitiae et aequitatis, magnae munditiae et sanctitatis, magnae doctrinae et veritatis, magnae prophetiae et revelabilitatis. Mons consummationis veteris Testamenti et inchoationis novi: mons sacramentorum Christi et charismatum Spiritus sancti: Mons Mariae Virginis, in quo deguit, ibi Apostolos docuit, ibi Evangelistas instruxit; ibi mundo Apostolos destinavit: in eo de saeculo migravit. Mons ille est hodie possessio Christianorum; haereditas religiosorum; hospitium peregrinorum. Ibi enim soli Christiani habitant et nullus Sarracenus, nec Judaeus hodie in hoc monte habet domicilium, sed solum sunt in eo monasteria Christianorum. Unde quadam vice interrogavi Sarracenum mihi familiarem, cur non potius in monte Syon aedificarent sibi domus, quam in Jerusalem? respondit, quod propter aquarum defectum desolatus est mons Syon: quia facilius et copiosius habentur aquae in Jerusalem, quam in Syon. Et forte Deus ita disposuit, ut aquae Sarracenis in monte hoc sancto deficiant, quibus tamen Christiani ibi habitantes abundant. Mons ille altissimus, non quidem respectu montium per circuitum, quamvis et altior caeteris sit, sed (B) respectu montium remotorum. Videntur enim montes Arabiae in monte Syon esse demissi, cum tamen sint altissimi, et multo altior est mons Syon Arabiae montibus. Conventus fratrum minorum est in loco amoenissimo, suavissimo et altissimo locatus. Ante eorum adventum in Ierusalem erat ibi Conventus Canonicorum regularium, sed post terrae sanctae amissionem rex Siciliae emit a Soldano locum illum montis Syon, et capellam b. Virginis in valle Iosaphat, et ecclesiam Bethleemitanum cum monasterio, et dedit pro his in prompto auro triginta duo milia ducatorum probati ponderis et transduxit ad montem Syon fratres minores, committens eis locorum praedictorum possessionem et regimen. Unde etiam Papa solet frequenter Gardianum montis Syon instituere provisorem totius Orientis ecclesiae latinae ibi degentis. Et ingentia privilegia habent fratres illi a summis pontificibus, de quibus dicere non est nostri propositi. Porro Conventus montis Syon septa sunt satis stricta, parva ecclesia, strictus ambitus, parvae cellae. Et quamvis domus sit parva, degunt tamen communiter

ibi fratres XXIIII, Domino sub regulari vita famulantes. Propter insultus autem et iram paganorum habent portam ferream et juxta eam canes iracundos et rabidos in exteros, qui vigilant et insidias inferre volentes latrando produnt die ac nocte, Et tantum de his.

Incipit visitatio locorum ecclesiae Golgatanae dominici sepulchri, et ipsus sancti monumenti.

Quarta decima die, incipiendo diem a praecedentis diei vespera, quia et illo ordine processio ad sancta loca ordinatur, cum sol ad occasum tenderet, denunciatum fuit omnibus peregrinis, quod se statim ad atrium seu plateam, quae est ante ecclesiam sancti sepulchri praesentarent, et cum coena se citius expedirent, quia domini Mauri sanctae ecclesiae clavicularii nos ibi exspectarent. Acceleratis ergo negotiis et acceptis rebus, quibus uti volebamus, ad atrium praefatae ecclesiae descendimus, et invenimus in eo magnum tumultum hominum Christianorum orientalium et Sarracenorum, mulierum, puerorum et virorum. Mercatores etiam pretiosarum rerum ibi sedebant et vendebant, et quidam panes, ova, et uvas venalia habebant, de quibus pro collatione intus sumenda emimus ad sacculos nostros. Igitur cum domini Sarraceni omnes (**109A**) ad ecclesiae apertionem pertinentes adessent ad ostium templi sancti, se locaverunt mature et seriose. Sunt autem ante januam in utroque latere positi lapides grandes de polito marmore pro scamnis, in quibus versis vultibus sederunt. Erant autem viri personati, senes, decori, barbati et pomposi, byssinis induti et capitibus multiplici circumvolutione subtilissimi lini operti. Congregatis autem nobis omnibus ad eos fores ecclesiae aperuerunt clavibus, et stantes binos et binos intromiserunt, numerantes nos, sicut fecerunt, quando de navi in terram egressi sumus, ut supra patuit, et acutissime nos inspiciebant. Dicitur enim de eis, quod peritissimi in illa arte Visonomiae sint, et quam cito hominem inspiciunt, suas conditiones, complexiones et inclinationes agnoscunt. Cum verecundia ergo et rubore eos pertransivimus, quia confusio magna est, quando Christi fideles et cultores per Christi blasphematores

inducuntur in Christi ecclesiam, et intromittunt, quos volunt, quos nolunt, abjiciunt. Plures enim de aliis ritibus Christianos nobiscum ingredi volentes repulerunt cum baculis et pugnis ab ostio ecclesiae. Fateor, dum ego eos pertransirem intrando ecclesiam, confusus in memet ipso rubore perfundebar, nec ausus fui eos erecto vultu et oculis inspicere, prae verecundia, quam habui: non quidem propter crucis signum, quod veste gerebam, sed propter eorum injustam et impiam in crucesignatos potestatem. Sedebant enim ibi illi canes, tanquam judices nostri, et nos (nemo dubitet) stultos propter crucem Christi judicabant, quia verbum et signum crucis pereuntibus stultitia est. 1 Corinth. 1. Sed ita divina ordinat sapientia, ut ad locum crucis cultores crucifixi per derisores crucis inducantur, quatenus per stultitiam crucis salvi fiant credentes. Igitur cum omnes ingressi essemus, statim Sarraceni valvas ecclesiae in dorso nostro repente retraxerunt, et clauserunt repagulis et seris obturantes, sicut solent latrones comprehensi in custodiis cum impetu intrudi: et cum clavibus abierunt, nos sic captivos relinquentes in carcere delectabilissimo, lucidissimo et spatiosissimo, in horto pretiosissimi sepulchri Christi, sub monte Calvariae, in medio mundi. O quam jocunda captivitas! quam desiderabilis clausura! quam delectabilis incarceratio! quam dulcis inclusio! qua Christianus clauditur et captivatur in sepulchro Domini sui.

Quomodo peregrini habuerunt se, quando primo fuerunt ecclesiam ingressi, et quid accidit F. F. F. in prima peregrinatione sua.

Eia fratres mei initium sumere me cogit veritas ab incuria mea stolida et irreverentia (B) quadam dolorosa, pro qua precor vos Deum interpellare pro me, ne in finem reservet mala mea. Huiuscemodi autem res mihi accidit misero in prima mea peregrinatione. Cum in ecclesia essemus clausi et neminem jam timeremus, quia nullus paganus nobiscum erat, incepimus laetantes per ecclesiam discurrere, quaerentes loca sancta sine ordine, et ferebatur unusquisque ad impulsum sui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

spiritus, quo volebat. Ego vero non festinabam, sed lento gradu processi versus ecclesiae medium, vadens in incertum, et cum ad XVII passus processissem, substiti, et suspenso vultu suspexi contra testudinem: et conjeci oculos per superiores fenestras curiose, sicut faciunt indisciplinati, neminem timentes in alienis locis et domibus, et solus sic vaga facie stabam. Me sic inconsiderate stante accurrerunt duae mulieres peregrinae, quarum uua erat theutonica, Hyldegardis nomine, et provolutae ante pedes meos cum fletibus et singultibus jacebant, lapidemque, super quem stabam, deosculabantur. Miratus ego et stupefactus dixi mulieri theutonicae: quid habetis vos, domina Hyldegardis, ut quid facitis sic? Illa autem vix propter fletum loqui poterat, dixit mihi: ecce frater, lapis in quo statis, est ille, super quem Joseph et Nicodemus posuerunt pretiosissimum corpus Domini de cruce solutum, eumque unxerunt et involverunt super hanc lapideam tabulam. Hoc cum audivissem tremui: et retractis cum indignatione pedibus, in terram ante lapidem cecidi: et jam vix audebam ore contingere, quod prius non veritus fui calceatis pedibus irreventer calcare. O, dixi, delicta praeterita juventutis meae et praesentis ignorantiae meae ne memineris Domine. O Domine Deus meus, Moyses electus famulus tuus a te jussus fuit in deserto Madian solvere calceamentum suum, quia terra, in qua stabat, sancta erat. Et sanctus Josue in agro Jerichorum non audebat calceatus stare, et ego expers omnis sanctitatis, plenus vitiis, calceatus pedibus nimis irreverenter locum, quem tu ipse nudo et vulnerato corpore pretiosissimo sanctificasti, ausus fui temerario pede terere; nec excusationem invenio: cum Osam ruiturum plaustrum arcae tuae tenentem percussum a te morte legamus. Et ecce imcomparabiliter plus hic sub pedibus nostris, quam terra Madian, aut ager Jericho, et dignior lapis quam plaustrum aut arca. Ergo Domine Deus patientiam habe in me, et omnem reverentiam et honorem ad sancta loca tua et alia omnia debita reddam tibi, devotione mihi possibili, et quam tu ipse mihi contuleris. Oratione finita surrexi, et Dominos meos ac socios per ecclesiam quaesivi, eosque in capella b. Virginis simul sedentes et processionem exspectantes inveni. Porro pater Gardianus convocatis ad se omnibus

peregrinis exposuit eis jura templi et ordinationes ad XIII puncta restrinxit.

(**110 A**) Primo praecepit, ut quilibet peregrinus emeret cereum, quem accensum portaret in processione. Intraverunt enim multi mercatores nobiscum, qui cereos et alia ibi venalia habebant.

2. Hortabatur peregrinos, quod in processione ordinate procederent, et ne unus alterum molestaret et comprimeret, ut etiam dictum est in VII. articulo in Rama; sed quia in illa jam fienda processione major vis est, et compressio: ideo hic eum repetiit et plures alios ibi dictos.

3. Quod illam noctem Deo darent, et matutinis et aliis divinis Officiis interessent sine negligentia.

4. Quod non facerent domum orationis domum negotiationis, et non cum mercatoribus orientalibus Christianis sederent, et tempus amitterent.

5. Rogavit sacerdotes, quod sine jurgio ad celebrationem Missarum procederent. Solent enim concertare de locis et omnes volunt in sancto Domini sepulchro celebrare: quod est impossibile pro una die.

6. Ordinavit quatuor altaria pro celebrantibus: scilicet in sepulchro sancto unum; aliud in monte Calvariae; et in loco inunctionis Christi, de quo supra dixi: et quartum in capella b. Virginis Mariae. Sunt tamen multa altaria in aliis locis per templum, sed sunt Schismaticorum et Haereticorum, ideo non celebravimus in eis.

7. Praecepit omnibus peregrinis, ut se cum confessionibus disponerent et sub Officio communicarent singuli.

8. Dedit auctoritatem omnibus sacerdotibus peregrinis et suis fratribus, qui nobiscum fuerant ecclesiam ingressi, active et passive audiendi confessiones, et absolvendi ab omnibus etiam sedi reservatis: hanc enim potestatem Gardianus montis Syon habet a Papa.

9. Prohibuit, quod nullus sacerdos aliquem peregrinum communicaret eucharistiam praestando in loco suae Missae: sed omnes sub summo Officio in monte Calvariae ab officiante sacramentum acciperent, nisi alicui aliud indulgeret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

10. Praemonuit, ut peregrini per loca sancta transeuntes in templo res suas non jacere hinc et inde derelinquerent: ne eas amitterent, quia frequenter in hoc loco furta contingunt, et inde suspiciones et inquietudines multae oriuntur.

11. Si qui eleemosynas ad sancta loca ponere vellent, et magis Catholicis quam Schismaticis eas faverent; exposuit eis loca Catholicorum et Schismaticorum.

12. Quod de sanctis locis, ut prius est tactum in articulis in Rama, nihil descindant, et non depingant arma sua, ne loca sancta per haec dehonestentur.

13. Hortabatur nos, ut quilibet se ipsum concitaret ad actualem devotionem, et cum honore et reverentia uteremur locis illis sanctissimis, ut dignum est. (B)

Sequitur processio per loca sancta ecclesiae sancti sepulchri: et primo ad capellam b. Virginis, et ejusdem capellae et locorum ejus descriptio.

Acceptis itaque regulis nostri regiminis in sancto templo accessimus singuli ad mercatores, et emimus cereos de cera albissima unusquisque magnam vel parvam, decoram vel simplicem, prout volebat. Nec defuit vanitas etiam in hoc facto, quia aliqui habebant cereos curiose tortos et auro picturisque ornatos, quos deferebant cum ostentatione, et caeteros cum simplicibus cereis deridebant arguentes eos de tenacitate. Aliqui plures cereos emebant, quos in dominico sepulchro incendebant et reextinguebant, ducentes eos secum ad patriam et eorum mulieribus in partu laborantibus accensos tenere faciebant, ut sine periclitatione parerent. Dicunt enim candelas illas ad hoc esse ubiles.

Porro, occupatis nobis in emtione cereorum, parabant se fratres cum patre Guardiano, vestes sacras induentes, quas secum tulerant de monte Syon ad processionem solennem per omnia et eo ordine, sicut fecerant in monte Syon, ut dictum est fol. 94. A.

Cum ergo cuncti in suo ordine starcut cum luminibus accensis, incepit cantor alta et jocunda voce ante: Salve Regina, et eam omnes prosecuti sumus et cum cantu illo

processimus in capellam gloriosae Virginis Mariae ad altare in facie capellae. Porro in illo loco, ut antiqua habet traditio, est locus, in quo beata Virgo Maria morabatur ex ea hora, qua a cruce fuit ducta usque ad filii sui a mortuis resurrectionem, nec fuit in civitatem Jerusalem reducta. Erant enim juxta scopulum Calvariae in horto aliquae pauperum hominum habitationes, sicut hodie sunt extra civitates domus in hortis, in quibus pro tempore recreationis domini horti habitant, sed aliis temporibus et continue pauperes in eis sunt. Cum ergo Dominus Jesus in cruce pendens matrem Johanni commendasset, abducta fuit a cruce, sed nullo modo longius permisit se duci a cruce filii sui, nec intrare civitatem voluit, sciens, quod in tota Jerosolyma non erat pro ea hospitium propter filii sui ignominiam, quae tanta erat, quod etiam matrem cuncti recipere horrebant. Duci ergo se permisit ad domicilium non longe a cruce, ut morienti filio et exspiranti non deesset, sed in omnibus his participaret, et quid post mortem de corpore filii ageretur, videre et scire voluit, ut si abjiceretur, sicut aliorum damnatorum corpora, ipsum sibi tolleret, vel si sepulturae traderetnr, sepulturae adesset, et officium funeri exhiberet, sicut et fecit. Nam cum vidisset Joseph et Nicodemum ad sepeliendum filium paratos, accurrit et ipsa doloribus repleta, et sepulturae affuit, et inde reducta in domicilium fuit, nec longius secedere voluit. Hoc enim solent aliae piae matres suis natis caris facere, quod si permitterentur, continue manerent ad (**111 A**) sepulchra suorum dilectorum, flentes, sicut Maria Magdalena, quae a monumento Lazari, fratris sui, vix potuit avelli, ut habetur Johannis XI. Quanto magis beatissima Virgo Maria, quae incomparabiliter plus dilexit filium suum, quam aliqua mater vel amicus posset diligere suum carum. Ad hunc ergo locum post resurrectionem suam Christus primo accessit. Et dicit Vincentius ordinis Praedicatorum, quod resurgente Domino praemisit angelum Gabrielem nunciare matri adventum gloriosissimi filii, quo facto statim supervenit filius, albissimis indutus vestibus, vultu sereno, speciosus, gloriosus et gaudens, rutilantibus cicatricibus, et totus festivus apparuit dulcissime eam salutans, secumque ducens omnes beatos, quos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de limbo eduxerat. At virgo gloriosa quanto gaudio perfusa fuerit, quis enarrare poterit? In hoc ergo sacro loco cum gaudio cantavimus, et peracto cantu et his, quae in processionali continentur, ad locum accessimus, et prostrati indulgentias accepimus plenariae remissionis (††).

De loco, in quo reposita est columnae pars, ad quam Jesus flagellatus fuit.

Deinde cum cantu signato ad latus dextrum processimus. Ibi in muro est quoddam reservaculum sive fenestra non perspicua, in quo reservaculo stat pars magna de pretiosissima columna, ad quam Dominus Jesus in domo Pilati fuit nudus ligatus, et durissime flagris et virgis fuit castigatus. Singuli ergo accessimus, et ipsam sacram columnam manibus per cancellas immissis tetigimus, et ibi etiam indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus. Olim fuit haec columna sacra integra translata a domo Pilati ad montem Syon. Unde Jeronymus dicit de Paula: Ostendebatur illi scl. S. Paulae in monte Syon columna, ecclesiae porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus ducitur flagellandus Jesus. Post destructionem autem ecclesiae antiquae Syon, ut dixi fol. 96. A., alia fuit ad illum locum delata. Tertia est Romae ad sanctam Praxedem. Quarta in Lugduno ad Sanctum Hircanum Justum, et in aliis mundi partibus reperiuntur etiam in ecclesiis partes de ea. Porro pars illa, quae hic in hoc loco est, habet unum palmum et tres transversos digitos in spisso, et est alta quatuor palmis, et est porphyrei coloris, maculis sanguineis respersa. Quod vel est ex natura lapidis, vel ex miraculo, quod sancti Hieronymus et Beda videntur sentire.

De loco, in quo sancta crux servabatur post ejus inventionem ante ejus amissionem.

In hoc loco divertimus ad oppositam capellae partem, et ibi etiam in muro reservaculum est, in quo per CC. annos

fuit pars pretiosissimae crucis recondita, gemmis, auro, et argento stipata per illustrissimam Helenam ejus inventricem, quae eam integram cum invenisset, secari eam fecit, unam partem huc reponens, et alteram Constantinopolim transferens. Quamdiu autem sancta crux in hoc loco stetit, orientalis (B) ecclesia prosperata fuit et crevit, et sanctissimos viros habuit, et semper de inimicis crucis Christi triumphum reportavit. Sed quam statim hinc ablata fuit, defecit, et usque ad ultimas feces devenit. Hunc locum, quamvis vacuum, honoravimus, et cantus de sancta cruce ibi perfecimus ex processionali: absentia enim tamquam praesentia ibi contemplabamur. Spirat enim, ut nobis videbatur, ex capsella illa virtus quaedam derelicta a ligno sanctae crucis. Nec mirum; si enim vas vini liquore effuso odorem vini retinet, et haec capsella, in qua lignum odorem vitae aeternae habens contentum, odore illo redolet. Verum ut eo venerabilior locus esset, habent in eo crucem reconditam, in qua parva particula de vera cruce Christi est infixa. Hanc particulam deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

De loco, in quo sancta crux fuit probata per mortui suscitationem.

Expediti in illo loco cum alio cantu processimus ad medium capellae, et ibi est locus, in quem transpositae fuerunt tres cruces inventae, ut probaretur, quae crux esset Christi crux, et allato mortuo ad tactum crucis Christi surrexit vivus. Hunc locum deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†). Capella haec est Latinorum, et nulla natio quidquam in ea juris habet, nisi Latini, et custodes sancti sepulchri loco Latinorum in ea officiant, et retro capellam habent habitacula, in quibus coquunt, comedunt, dormiunt, et necessarium opus perficiunt. Fratres minores communiter tres fratres in eo loco habent degere. Multis horis in dormitorio fratrum dormivi.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco, in quo apparuit Dominus Mariae Magdalenae in forma hortulani.

Post capellae illius visitationem exivimus cum processione ad ecclesiam, descendentes per quatuor gradus, et statim sub gradibus in locum venimus, ubi in pavimento erant duo circuli, quinque passibus ab invicem distantes, de polito et vario marmore formati. Et hos circulos circumstetimus, cantantes ea, quae erant ad propositum, sicut processionale continet. Hic dicitur esse locus, in quo Dominus Jesus apparuit Mariae Magdalenae in forma hortulani, et in loco unius circuli stetit Dominus, et Maria in loco alterius. Hic Maria procidit ad pedes, nec passus fuit se tangi, quia nondum ascenderat ad patrem, ut habetur Johannis XX. diffuse.

Res hic gesta magnam peregrino poterit dare devotionem in Mariae exemplo. Dum enim in sepulchro non invenisset quem quaesivit, per omnes angulos horti cucurrit emigrans, nunc huc, nunc illuc, et tanto amoris urebatur incendio, ut foemineae infirmitatis oblita nec tenebrarum caliginem, nec persecutorum terrorem timeret, nec custodes curaret. Sed cucurrit, circuivit, flevit, anhelavit et gemuit. Et nulli dubium, si ei dictum fuisset: (**112 A**) ecce, quem quaeris, jam mare magnum transiit, trans montana alpina migravit, ab oriente in occidentem se reduxit, et in ultima occidentis regione habitat, statim, non attentis mille periculis, mare transiisset, per montana cucurrisset, occidentem lustrasset, et usque in Hiberniam, quae ultima occidentis regio est, venisset. Sed pius Dominus hic in hoc loco apparuit, et numquam occultabit se his, qui ab occidente per tanta terrarum discrimina et aquarum pericula huc veniunt, ut eum, quem diligunt, quaerant. Non aestimo, quia promittitur Zachariae VIII. Ecce ego, inquit, salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis, et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem, et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum. Ad pedes ergo Domini Jesu nos hic prostravimus, et saltim vestigia ejus deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

De loco carceris, qui erat juxta scopulum Calvariae, in quo Christus post eductionem fuit inclusus.

Hoc loco derelicto consequenter cum cantu et processione transivimus, et quandam obscuram capellam ingressi sumus, quae erat in petra excisa, et nullam habuit fenestram, sed unum in ea stetit altare et duo ostiola. Haec capella tempore passionis Christi fuit carcer, sive inclusorium juxta montem Calvariae, ad hoc ordinatum, ut rei educti ad mortem in eo includerentur, quousque tormentorum instrumenta pararentur, cruces, patibula, rotae, ligna ad ignem, et hujusmodi, et ut in eo biberent et inebriarentur, quia consuetum erat morte plectendos prius fortissimo vino inebriari, ut minus mori trepidarent, et tormenta levius ferrent; et ut fortius biberent, includebantur ibi cum vino, quatenus sine verecundia id agerent. Cum ergo Dominus Jesus cum cruce eductus fuisset, incluserunt eum in illa cellula, quousque foramina tria in scopulo Calvariae formarent pro tribus crucibus, et medio tempore biberet. Dederunt autem Domino myrrhatum vinum, Marci XV., quod fuit acerbissimum, unde oblatum potum non accepit, ut dicitur ibidem.

In hac venerabili cella contemplati sumus non sine tristitia, quomodo Dominus Jesus in ea flevit, et tormentum crucis cum timore pariter et amore exspectavit. Singuli ergo cum singultibus et gemitibus ingressi sumus, et successive vestigia Salvatoris nostri deosculabamur cum prostratione, et indulgentias ibi accepimus (†).

De loco, ubi milites miserunt sortes super vestimenta Christi, et ea diviserunt sibi.

Transivimus consequenter a carcere Christi ad aliam capellam cum tribus obstructis fenestris, et ibi est locus, ubi jam Domino Jesu cruci affixo stabant sui crucifixores, mittentes sortes, quid quis tolleret de vestibus Jesu, et partiti sunt vestimenta ejus in quatuor partes, unicuique militi (B) partem. Ad sortem autem posuerunt tunicam inconsutilem, quae scissa inutilis fuisset. Et sedentes in loco hoc miserunt sortes

in magnum Christi despectum. Compassione ibi moti fuimus super Christi nuditatem, et cantu finito locum deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

Sedes, in qua Dominus Jesus sedit in sua coronatione poenosa.

Egressis nobis de ista capella ad ulteriora processimus cum lugubri cantu de coronatione Domini in sua coronatione corona spinea, et in unam capellam aliam venimus obscuram, cujus unica fenestra obturata lapidibus fuit, et altare in ea pulchrum et integrum, sed sine pallis etc. Sub ipso altari stat unus rotundus lapis, ac si fuisset pars unius columnae sectae in partes. Hic lapis tempore passionis Christi stetit in domo Pilati, ante stabulum mularum, pro sede; erat enim ita dispositus, quod fuit pro sessione aptus. Volentes ergo Dominum spinea corona coronare, volverunt lapidem a suo loco in praetorium, et Dominum Jesum desuper sedere fecerunt, eumque sedentem super hunc lapidem coronaverunt spinis. Post passionem autem Christi fideles eum lapidem huc portaverunt in perennem memoriam illius durissimae et opprobriosissimae coronationis. Postravimus ergo nos, et adorantes Dominum lapidem hunc manibus tetigimus, et ore deosculati sumus, et indulgentias accepimus (†). Et ea, quae passus est Dominus sedens super hunc lapidem, ad memoriam reduximus, quomodo Dominus Jesus indutus derisorie purpura, arundinem pro sceptro manu tenens, corona spinea coronatus, oculis velatus, consputus, colaphisatus, alapis percussus, arundine laesus, per Ave salutatus, Rex Judaeorum vocatus, propheta nominatus, et mille puncturis spinarum vulneratus, toto denique corpore ex flagellatione praecedente dilaceratus, irrisioni publice expositus, et ita plenus opprobrio in hoc lapide sedit tamquam Rex in solio, manifeste ostendens, regnum suum non esse de hoc mundo. Unde Sancti Christum regem non agnoscunt, nisi prout sedit coronatus in hoc lapide. Legimus enim de S. Martino, quod sibi spiritus malignus apparuit, corona aurea et purpura indutus, et splendido decore circumdatus, dicens, se esse Christum. Cui

Martinus: Ego Christum non nisi spinea corona, et stygmata crucis praeferentem non gnoscoa. Quo audito diabolus confusus abscessit. Legimus etiam de S. Catharina de Senis, cum fuisset a quadam mala muliere scandalose diffamata, ex hoc turbata confugit ad Dominum, petiit, ut innocentiam suam defenderet. Cui Christus apparuit, habens in dextra coronam auream, margaritis fulgidam, et in sinistra coronam spineam, aculeis hispidam, dicens ei: elige, quod vis. Aut in vitae hujus cursu serto spineo coronari, et aliam tibi pretiosam coronam servabo in vitam aeternam, aut nunc habere hanc pretiosam, et post transitum servabitur tibi haec de spinis. Cui virgo: Ego, Domine, in hac vita semper tuae beatissimae passioni conformari elegi et nunc eligo. Et haec dicens spineum diadema cum utraque manu de manu salvatoris arripuit, et capiti suo cum tanta violentia imposuit, ut post visionem dolorem sensibilem capitis ex spinarum puncturis sentiret. Sic etiam gloriosus rex Jerusalem, Balduwinus, qui primus latinus Christianus ibi regnavit, non auream, sed (**113 A**) spineam coronam pro insigniis regalibus habuit, semperque in diebus ostentationis suae, etiam inter reges existens, spinis coronatus processit, dicens: indignum fore, quod homo peccator rex Jerusalem ornatus aurea corona incederet, cum rex coelorum in Jerusalem spinea corona coronatus exstitisset. Sunt autem per circuitum Jerusalem spinae acutissimae, de quibus ego unam coronam complexui, et Ulmam mecum duxi. Nec credendum est, quod marinis spinis usi sint in coronatione Christi, sed communibus spinis, crescentibus per circuitum Jerusalem in monte Syon, et in monte Oliveti, et in vallibus. Coronatio enim Christi non fuit a Judaeis aut gentilibus praecogitata, sed dum jam judici praesentatus fuisset et accusatus, quod diceret, se Christum, regem, esse, tunc subito venit eis in mentem, quod derisorie et cum cruciatu esset coronandus, et de proximis spinis tulerunt, et forte ex coquina domus inter sarmenta comburenda eas invenerunt, quia hoc ad oculum vidi, quod etiam nunc non alia ligna habeant nisi spinas, et coquinae plenae sunt acutissimis spinis pro igne.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De capella S. Helenae, inventricis S. crucis.

Capella ista dimissa progressi sumus gyrantes ecclesiam ab intra cum cantu de S. Helena, signato in processionali, et ad unum ostium magnum venimus in muro ecclesiae, ac si per hoc ostium esset exitus de ecclesia extra. Per hoc ostium intrantes in tenebras, quas tamen luminibus nostris repulimus, statim pedibus apprehendimus gradus lapideos, per quos descendimus per XXX passus vel gradus usque in quandam capellam, quae dicebatur capella S. Helenae, quae subterranea est. Ibi ergo cantu finito genibus flexis oravimus, et indulgentias recepimus (†). Haec capella est satis magna, alias parietes non habens, nisi petras, in quibus est incisa, sicut et ipsi gradus de superiori ecclesia inter parietes petrarum descendunt, a superiori vero est testudinata, et per ipsam testudinem lumen incidens habet, ipsa autem testudo fulcitur VI columnis marmoreis, quae, ut dicitur, tempore passionis Christi sustentabant praetorium, in quo judicatus fuit Dominus. Et per sanctam Helenam fuerunt inde huc translatae. Hae columnae sunt politae et nigrae, et semper sudant, et guttatim destillat de eis aqua, et dum aliquis manu vel veste tergit guttas, statim erumpunt aliae guttulae. Porro vulgus dicit, quod sudare inceperint miraculose, dum Christus castigabatur in praetorio, et sudor ille sit fletus earum super innocentia Christi Jesu. Nec omnino abjicienda est vulgi opinio, quae certe otiosa penitus non est. Si enim lapides laudes Redemtori proclamare dicuntur, hominibus a laudatione silentibus, ut habetur Lucae XIX.; quid mirum, si lapides (B) fiere mortem Redemtoris hominibus ridentibus [existimentur]. Quia enim in die palmarum pueri Ebraeorum et discipuli Christi Osanna clamabant, lapides tacebant, et si hi tacuissent, lapides clamassent: sic si mortem innocentem et acerbam homines flevissent, lapides lacrymas non dedissent. Sed quia illi non flebant, lapides lacrymas fundebant, sicut et scissi in morte Christi leguntur. Nullum ergo inconveniens vulgi pia habet opinio, dicens: columnas illas in morte flevisse, nisi quod in Scriptura non legitur: facilius est enim, lapidem lacrymari, quam laudes decantare. Dicunt

consequenter, quod columnae illae ideo sine cessatione flent, quia homines, qui semper flere deberent et Christi passionem et sua propria peccata et calamitatem hujus miseriae, gaudent et rident. Et si homines a risu intemperato abstinerent lapides lacrymas non funderent. Alii simplices in bona fide de his columnis dicunt, quod Christo patiente Maria virgo dolore repleta, sola flens, sic has columnas est affata: non est, inquit, quod doleat mecum, et tantum pondus amaritudinis sola sufferre quomodo possum? Vos ergo lapides mecum flete. His dictis aquis stillare coeperunt. De his columnis forte dicitur Sap. II.: data est illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro. Et Habac. II.: lapides de pariete clamabunt. Et Job. 9.: qui commovet terram, concutiet columnas ejus. Ea, quae supra dixi de columnis, audivi a devotis et simplicibus catholicis, et a mulierculis devotis, quarum nolo spernere pietatem, nec abjicere devotionem. Scio autem bene, quod ea, quae operatione naturae fieri possunt, non sunt ascribenda miraculis; est enim certa species lapidis, in genere marmorum, emdros appellatur, de qua semper aqua stillat, ubicunque in aedificio fuerit locatus, quia ex frigidissima ejus complexione aërem circumstantem incrassando transmutat in aquam, quasi in habentibus aptitudinem faciles transitus aquae in aerem subtiliando, et aëris in aquam inspissando, quo fit, ut aërem aquam factum et petrae circumpositam naturaliter per guttas desudet a petra decidens. Unde simile dicitur Constantinopoli in veteri palatio, ubi in quodam habitaculo sunt conchae marmoreae de simili lapide, quae per se ipsas aqua replentur, et dum evacuantur, iterum, nullo homine faciente, replentur. Quod vulgus stupet, tenens pro miraculo, quod tamen naturaliter fit. Sic credo esse istas columnas emdronicas, naturaliter madentes et sudantes.

In eadem capella est una lapidea concha in muro, juxta altare pro aqua benedicta imponenda, quae jam semper est vacua et sine aqua benedicta. In hanc concham dum homo caput ponit et auscultat, audit quasi stridentes ignium flammas et strepitum, quasi decursum aquarum multarum, praecipue tamen, quando homo solus est in capella, et haec audire cupit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tunc audit horribilem tumultum, sicut egomet saepe audivi. Simplices hoc audientes terrentur multum, et dicunt, de subtus esse purgatorium, et sonitum illum causari ex illatione poenarum, et ex rugitu tortorum. Sed ego existimo, quod ex deambulatione superius in templo causetur inferius talis sonitus.

Iuxta utrumque latus graduum sunt cavernae magnae et altae, petris incissae, quae fuerunt capellae consecratae olim cum altaribus et penitus sunt (**114A**) absque lumine. Mirum est videre antiquorum devotionem in his et similibus. Duo altaria habet haec capella, et juxta majus altare ad latus dextrum est una cathedra saxea et juxta cathedram fenestra per petram, per quam est respectus in foveam inferius, in qua sancta crux fuit inventa. Et dicunt, quod dum Helena sanctam invenisset crucem, primo hanc capellam aedificavit, et in illa cathedra sedens continue in speluncam, ubi crucem invenerat, oculos conjecit per fenestram, et semper ibi manens, aedificatoribus formam templi erigendi tradidit, et impensas solvit, et in tenebrosis capellis lectulum suum habuit, et ibi cum ancillis suis diebus et noctibus mansit, quousque tota ecclesia consummata fuit. Hanc capellam nonulli nominant ecclesiam S. Jacobi, dicentes, quod S. Jacobus, primus in Jerusalem episcopus, ibi sedem suam habuerit, et ideo etiam ipsam cathedram nominant S. Jacobi sedem. Sed hoc est contra rationem, cum tempore S. Jacobi nulla fuerii ibi ecclesia, sed locus extra urbem despectus propter montem Calvariae.

De spelunca, in qua sancta crux fuit inventa a S. Helena.

De hac capella ulterius descendimus per XVI gradus, qui ad latus dextrum sunt, cum cantu de sancta cruce, et in aliam capellam venimus penitus tenebrosam, et lumine coeli carentem, lampadibus tamen multis illustratam. In imo illius capellae est fovea sub rupe superpendente, XXII pedes habens longitudinis, in qua sancta imperatrix Helena pretiosissimum thesaurum invenit, qui ultra CCC annos ibi latuit. Reperit enim ibi cruces tres, clavos, spineam coronam, tabulam tituli cruci superpositam, ferrum lanceae, quo Christi cor fuit transfixum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

calamum cum spongia et omnia instrumenta, quibus usi fuerant in crucifixione Christi et duorum latronum, quae omnia cum crucibus, tamquam immunda, in locum projecerant. Hanc sacram speluncam circumstetimus cum cantibus et laudibus, inventam ibi crucem laudantes, et singuli provoluti locum deosculati sumus, et indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus.

Porro in loci illius deosculatione sensimus dulcem spirare odorem ex specu, ex quo odore plurimum aedificati, confortati, et consolati fuimus, pro eo, quod percipere meruimus reliquias illius dulcissimi odoris, qui ex eo specu exhaluit, dum Judas Quirinus fodiens super crucem venit, ut legitur de inventione crucis sanctae.

Horribilis est locus ille et profundus in rupibus. Sed quomodo cruces tam profunde in viscera terrae fuerint immersae, facile est videre illi, qui civitatis sanctae antiquam dispositionem scit et legit. Antiqua namque civitas Jerusalem a parte occidentis, ubi crucifixus fuit Dominus, erat profunda voragine cincta, quae ab austro in aquilonem protendebatur ad longitudinem civitatis. Et ista vorago non fuit arte, sed naturaliter, pro civitatis fossato scopulis et rupibus sese respicientibus ab utraque parte voraginis. Super interiores scopulos et petras erat murus civitatis (B) circumductus, exteriores vero rupes eminebant in civitatis munitionem. Inter scopulos autem exteriores dicebatur unus Calvarius, et locus sub eo Golgatha. Et in Calvario crucifixus est Dominus cum duobus aliis, quibus a crucibus solutis ipsas cruces in voraginem illam projecerunt cum aliis instrumentis crucifixorum, quia Calvarius stabat super marginem voraginis, et non aliud fecerunt, nisi quod cruces de foraminibus petrae extraxerunt, et in foveam praecipitaverunt, sicut et alias immunditias in eam projicere solebant, quibus cruces post modicum opertae fuerunt, quia de muro civitatis cottidie immunditias effuderunt. Demum anno XLII. post passionem Christi, cum Titus Jerusalem everteret, projici fecit muros et turres ibi in voraginem illam, et ita cottidie cruces magis ac magis operiebantur. Deinde post LXXVII annos venit Helius Adrianus imperator, et in odium Christianorum aedificavit in Golgatha templum spurcissimum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Veneris statuam marmoream in ipso collocans, ut refert Jeronymus in epist. ad Paulinam, et in odium Judaeorum posuit statuam cum imagine sua in locum, ubi templum Domini fuerat, in quo Judaei oratorium fecerant, et quam statim imperator dorsum civitati vertit, Judaei statuam imperatoris destruxerunt. Quod audiens Adrianus reversus est, et totam civitatem funditus evertit eliminatis Judaeis, et abiit. Et ita iterum fuerant muri projecti in voraginem supra cruces. Non multo post Caesar redit, et civitatem de novo instauravit, et praecepit, ut murus antiquus occidentalis totaliter in voraginem praecipitaretur, eamque jussit repleri, et reliquae terrae aequari, et templum Veneris muris civitatis coincludi, et pro tanto civitatem amplificari fecit. Et ita factum est, quod vorago illa, in qua sancta crux jacuit annos circiter centum LXXX, ut Hieronymus in ...[loco dicto?]dicit, quousque sancta Helena venit, et vix locum invenire potuit, qui in oblivionem venerat. Specum ergo mundavit, et eum consecrari fecit, et suam capellam et habitationem desuper construxit, sicut hodie est. Stabamus ergo in loco illo quasi rapti prae admiratione scopulorum et petrarum, sub quibus sancta crux inventa fuit, quia rupes praerupti pendebant super capita nostra, qui ruinam minarentur. In hac sacra voragine multam devotionem hauriunt peregrini. Sed Christiani orientales et etiam Sarraceni in ea vacant superstitionibus vanis. Nam de rupibus illis frusta descindunt pro medicinis. Dicunt enim, quod febricitans, bibens de vino vel aqua, in qua aliquid de illis rupibus est impositum, quam statim sanetur. Insuper, dum quis sentit capitis dolorem, statim comam capitis abradi facit, et pilos abrasos ad custodes templi mittit, ut imponant loco inventae sanctae crucis. Quod dum factum est, sanatur dolens. Similiter faciunt, dum quis dentium dolorem patitur. Tunc barbam abrasam in specum mittunt, ut sanentur. Sic, qui dolent pudenda, etiam faciunt. Unde accidit, quod omnia foramina petrae et rupium sunt repleta barbis, comis et pilis. Hunc profanum ritum ex antiquis idololatris ad eos devenisse nemo dubitet. Dicit enim Diodorus libro 2. c. 4. antiquarum historiarum, quod olim Egyptii, vota diis facientes pro aegrotationum evasione vel curatione, capillos abrasos aureis vel argenteis imposuerint

vasis, mittentes eos ministris idolorum in templa, et sanabantur. Sic et illi criminosi faciunt hodie. Est enim retro locum inventionis sanctae (**115 A**) crucis concavitas profunda in rupe, quae repleta est barbis et comis hominum. Et quamvis Sarraceni, Turci, non credant, utuntur tam illo loco et loco Calvariae pro suis superstitionibus. In illo specu est optimus sonus et resonantia, cujus similem non audivi in aliquo choro vel ecclesia. Unde aliquoties, quando solus in eo fui, plena et alta voce cantavi antiphonas de inventione sanctae crucis et hymnos.

De sanctissimo monte Calvariae, in quo Dominus Jesus crucifixus pependit.

Consummatis omnibus, quae agenda erant in specu sacro, mox de loco ascendimus et per ostium templi reingressi sumus, et circumeuntes cantor alta voce inchoavit hymnum: Vexilla regis prodeunt, fulget, etc. Et cum illo cantu usque ad ascensum sanctissimi montis Calvariae venimus; in quem XVIII gradibus lapideis ascendimus ab inferiori ecclesia sursum et superius, in unam lucidam, pulchram, marmore polito et vario ornatam capellam venimus, in qua multae pendebant lampades ardentes et tria ibi altaria stabant decorata picturis de opere musaico, et erat capella de opere arcuario facta, in medio columna marmorea sustentante aedificium. Sub arcu testudinis depicti erant David et Salomon. David quidem cum illo versu: qui edebat panes meos magnific. Salomon autem cum illo: sapientiae aedificavit sibi domum; et signa immolationis Isaac. Haec capella est super montem Calvariae aedificata. Cum omnes in eam venissemus, et iam ad oculum nobis ostenderetur petra illa mirabilis, rupes desiderabilis, scopulus amabilis, lapis landabilis, saxum venerabile cum spectabili foramine, in quo sanctissima crux cum Crucifixo fuerat infixa, et haec intueremur, perterriti vehementer et concussi a tanta sanctitate, proni in terram cecidimus in facies nostras, et iam non audiebatur cantus, sed planctus, non hymnus, sed fletus et ululatus. Nullus ibi erat, qui se posset a lacrymis et gemitibus continere; quis enim tam durum cor

habere posset, quod non sciuderetur in loco, ubi oculis suis videt scissam petram durissimam? Quis ibi non etiam alto gemitu fleret, ubi Christus Deus noster in cruce suspensus alta et magna voce emissa clamavit, oravit etiam pro crucifixoribus, latroni paradisum promisit, matrem moestissimam Johanni commendavit, felle et aceto potatus fuit, omnia ibi consummata esse dixit, spiritum in manus patris commendavit, et exspiravit; latus ejus miles lancea aperuit, sanguinem et aquam ibi fudit. Ecce, peregrine devote, hic Abel occisus a fratre, Isaac ligatus a patre, serpens aeneus suspensus a Moyse, agnus paschalis immolatus in lege, Deus occisus ab homine, Jesus crucifixus carne, rex tuus suspensus cruce, Dominus tuus condemnatus morte, mitis et humilis et innocens perfusus cruore, sacerdos et hostia offerens sese. Haec et his similia in hoc tremendo loco contemplabamur, et diutius in oratione prostrati mansimus. Finita autem oratione unus post alium ad petram sanctam, quae prominebat supra fundamentum, accessit, et ad foramen crucis se quilibet juxta loci (B) dispositionem traxit, et locum ipsum eximia cum devotione deosculabatur et faciem, oculos, os quilibet super crucis foramen posuit, de quo nimirum foramine dulcis admodum spirat odor sensibilis, qui perceptibiliter hominem recreat. Brachium, etiam manus in ipsum foramen misimus usque ad suum fundum. Et cum his indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus.

Porro in latere sinistro foraminis est in ipsa petra grandis scissura, a summo usque deorsum, quae in Christi exspiratione facta creditur. Ad illam scissuram etiam accessimus unus post alium, et ipsam deosculati sumus, capita nostra ei imponentes magis et corpus, quantum fieri potuit. Insuper ab utroque latere sancti foraminis sunt alia duo foramina, in quibus duorum latronum cruces fuerunt impositae, qui crucifixi fuerunt cum Iesu, Dysme et Gesme: sed illa foramina videri non possunt, quia super ea stant columnae, non altae, in quarum capitibus sunt ferrei clavi, ad quos cerei et candelae affiguntur, et sunt istae columnellae quasi candelabra. Ipsam tamen columnam dextram deosculati sumus. Ut patet supra, fol. 67. A.

In pariete retro petram sanctam est pictura nova, valde pretiosa, Crucifixi, beatae Virginis, et S. Johannis Evangelistae. Fuimus ergo in monte Calvariae cum processione plus quam per horam, orationi et devotioni vacantes et erat profusa nox, quasi IX. hora ante medium noctis.

De ipsa scissura in persuasione ad Soldanum Nicol. de Cusa tradit libro III. cap. 17. de editore Alchor.

Descriptio montis Calvariae, et ejus dispositio. Vid. fol. 130. et fol. 264.

Calvariae locus non dicitur in Scriptura mons, sed solum vulgaris locutio ipsum montem appellat, cum tamen in veritate mons non sit, sed scopulus aut rupes, aliquantisper elevatus a terra, et tamen non hanc distinctionem habet mons Calvariae, ut patet in figura. Rupes, mons et locus fuit ab antiquo valde venerabilis, quia ibi

Adam, primus parens, fuit in eo mortuus,
Abraham a Melchisedech benedictus,
Isaac a patre huc ad immolandum ductus,
Serpens aeneus hic fuit collocatus,
Dominus Jesus hic est crucifixus et mortuus;

non quod mons Calvariae continet magnam civitatis partem. Locus Calvariae totius templi spatium designat. Rupis Calvariae tantum sustentat crucem. Porro ante civitatis ampliationem stetit hic scopulus ex opposito muri civitatis, super marginem voraginis profundae, quae civitatem a parte occidentali cingebat, ut supra dixi fol. 114, A. B. Et non erat longe a muro civitatis, quia ipsa vorago profunda quidem erat, sed non adeo lata, quin de muro cum lapide usque ad ipsum scopulum Calvariae quis jacere potuisset. Quam magnus autem fuerit scopulus, non potest bene sciri. Sed hoc ex ipsa templi structura patet, quod major fuerit, quam nunc est, quia necesse erat in circumductione muri partem de eo demere. Et quamvis rupes illa prope murum fuerit, ut dixi, longus tamen erat circuitus a lithostrato, ubi Dominus crucem

assumsit, usque ad portam judiciariam, et a porta transeundo per voraginis pontem usque ad rupem, quae non erat statim ante pontem, sed per aliquod spatium distabat sursum transeundo super marginem voraginis, et ibi scopulus super marginem ita dispositus erat, quod Dominus in eo crucifixus dorsum ad orientem contra civitatem habuit, vultum vero contra occidentem vertit. An autem Dominus crucifixus sit super scopulum, vel intra, venit in dubium, (**116 A**) quia propter structuras nescitur, quam latus fuerit in suo culmine scopulus. Ego credo, quod infra scopulum fuerit Dominus crucifixus, et eo cruci affixo crucem cum ipso super scopulum traxerunt sursum, et ibi eam rupi imposuerunt.

Ante crucifixionem Christi fuit locus Calvariae honorabilis ab antiquo. In eo fuit Adae testa decalvata reperta, a qua Calvaria est locus dictus, vel Calvaria et Golgatha, quod idem est. Judaei ab antiquo hunc locum venerati sunt, quia credunt, in eo Abrahamum voluisse immolare Isaac, filium suum, ut dicetur. Et ideo unum de excelsis erat in loco isto, ut creditur, in quibus populus immolabat etiam constructo templo, quod saepe reprehenditur in libris Regum, ubi etiam de sanctis regibus dicitur: et fecit bonum coram Domino, veruntamen excelsa non abstulit, adhuc enim populus immolabat in excelsis. Fuerunt enim quaedam loca in terra sancta, in quibus quaedam memorabilia facta fuerunt peracta a Domino, et in quibus ante templi aedificationem colebatur Dominus, et hostiis placabatur; quod facto templo non licuit. Ut fuit locus Sylo et Galgala, et mons Oliveti, et locus Calvariae. Singulariter tamen in hoc excelso populus nimis immolando excedebat, quia in eo collocatus fuerat serpens aeneus, de quo habetur Numeror. 21., quem populus multum venerabatur usque ad tempora Ezechiae regis, qui eum comminuit, ut habetur. 4. Reg. 18.

Venerabantur ergo antiqui locum hunc, quia Melchisedech ibi Abrahae occurrit cum pane et vino; et ibi est etiam mundi medium, de quibus omnibus patebit statim.

Porro, dum Judaei amisissent regnum, et regibus alienigenis et gentilibus gubernarentur, qui eos odio habebant, in displicentiam Judaeorum locum Calvariae et Golgathae fecerunt

locum punitionis malefactorum, in quo fures, latrones, homicidae, blasphemi puniebantur, et morte plectebantur, ut locum abominabilem redderent Judaeis in despectum, et ita loci despectio fuit facta usque ad Christum, quo resurgente et ascendente coepit locus coli a Christianis et venerari. Sed hoc idololatra Helius Adrianus imperator non sufferens templum Veneris ibi construxit, et statuam meretricis in scopulo Calvariae erexit, et ita locum dehonestavit, eum christianis exosum faciens, ut Hieronymus habet in epistola ad Paulinam. Et mansit ita centum et octoginta annis abominabilis Christianis, quousque S. Helena supervenit, et eliminata omni spurcitia locum mirifice decoravit, ut patebit in templi descriptione. De hoc monte vide infra fol. 130. et 255. Et in sermone beati Bernhardi ad milites templi, C. 10.

De loco, ubi Christus crucifixus fuit, et in quo Adae testa reperta fuit, et de scissura petrae.

Rupe sancta deosculata cum processione descendimus per gradus iterum ad ecclesiae pavimentum, et ingressi sumus capellam, quae est sub capella montis Calvariae, de qua consurgit scopulus crucis Christi, sursum usque in superiorem capellam se tollens. In hoc loco procidimus in terram, eamque cum multa devotione deosculati sumus, venerantes Jesum in cruce, cui ibi fuerat confixus. Si enim scopulus fuit, sicut hodie est, non poterat in eo crucifigi Christus, sed sub ea, et locus crucifixionis hic (B) fuisse necesse est, quamvis de hoc nulla habeatur scriptura aut certitudo, nisi quod loci dispositio videtur id ostendere. In hoc loco reduximus in memoriam ignominiosam Christi denudationem, quomodo hic eum omnibus vestibus nudantes spoliaverunt, et quomodo in exuitione vestium vulnera in flagellatione accepta renovata fuerint, et quomodo nudatus in terra incurvatus sedit prae verecundia, quia totaliter nudus erat, et prae debilitate, quia undique dilaceratus erat. Et cum iam crux parata esset, et crucifixores eum super crucem trahere vellent, receptis viribus surrexit, et genibus flexis ante crucem oravit, dicens: suscipe, sancte pater aeterne, me dilectum filium tuum, quem

tibi offero in sacrificium immaculatum pro salute humani generis in remissionem peccatorum. Et his dictis ad manus se crucifigentium libere dedit, qui eum super crucem projicientes crudeliter extenderunt. Quod cernens mater moestissima accurrit, et velum ad tegendum filii pudenda obtulit, quo et tectus fuit. Nam locus, in quo beata Virgo et Johannes sub cruce steterunt, prope hunc locum est, quamvis extra templum ingressum habeat, ut suo loco patebit. Ex quo etiam argumentum capio, quod Christus fuerit inferius crucifixus, et cum cruce supra rupem elevatus cum clamorosa derisione Judaeorum.

Post loci illius deosculationem, in quo Christum crucifixum suspicabar, processimus contra altare, quod ad rupem Calvariae est aedificatum, in cuius dextro latere vidimus in rupe scissuram, quae a summo descendit usque in terram. In eodem loco mortuus est et sepultus Adam, primus parens noster, ut multi dicunt. Nec obstat, quod dicitur Josuae XIIII., quod Adam sit in Ebron inter Enakim sepultus, i. e. inter gigantes. Quia dicitur in supplemento Chronicorum, quod Adam mortuus et sepultus fuerit in monte Calvariae, et postea corpus ejus demto capite translatum sit in Ebron, in speluncam duplicem. Caput vero Adae repertum est post multa tempora in monte Calvariae. Ideo pictores consueverunt testam humani capitis sub cruce depingere. Unde Ambrosius et Athanasius, Chrysostomus et Jeronymus in epistola ad Marcellam et in pluribus aliis locis, et Hebraeorum doctores, dicunt: Adam hic peccasse, et fuisse sepultum, ideo, ut ubi corruptum est genus humanum, ibi Christus proprium corpus exposuit, et ubi seminata est corruptio, ibidem incorruptio oriretur. Haec Anthonius. Sanctus etiam Jeronymus saepe idem dicit. In quodam tamen loco dicit: quod dicere, Adam ibi sepultum, sit favorabile et aures demulcens. Locum ergo scissurae deosculati sumus, et locum sepulturae Adam patris nostri.

Porro Orientales dicunt, in eo loco sepultum fuisse Melchisedech, primum sacerdotem Jerusalem. De quo habetur Genes. XIV. et Psalmo 109. Sed hoc latina et occidentalis ecclesia non recipit, propter dictum apostoli Hebrae. cap. 7.,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubi dicitur, quod Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum habere, neque finem vitae. Quod tamen non ita accipiendum est, quod Melchisedech nec natus nec mortuus fuerit, et sine genitoribus exstiterit, sicut Melchisedeciani haeretici dicunt, qui ipsum fuisse non hominem profitentur, ut habetur . . . . : quidam autem etc. Sed ita accipiendum est, quod in veritate genitores habuit, vitae initium et finem, sed hoc investigare nemo unquam potuit, ut esset figura conveniens aeterni sacerdotii Christi. Unde Hieronymus in epistola ad Evagrium mirabiliter invehit contra eos, qui dicebant, Melchisedech non fuisse hominem, sed Dei filium aut angelum. Et hoc dicentes censentur ab ecclesia haeretici Melchisedechiani.

In hac capella sunt sepulti reges latini, qui virtute magna (**117 A**) et maximis laboribus terram sanctam in manus Christianorum reduxerunt et subdiderunt, et Sarracenos ultra modum vexaverunt, et mirum est, quod non discerpunt ecclesiam propter corpora illorum. Sunt autem hi reges ibi sepulti, scilicet: rex Gotfridus de Bullion primus, dux Lotharingiae, qui anno Domini MLXXXXVI. capta Hierosolyma per universos principes occidentis creatus fuit rex Jerusalem, et mortuus hic in ecclesia S. sepulchri sepultus est. Rex Balduinus II., et III. rex Balduinus. IV. Fullo. V. Balduinus. VI. Almaricus. VII. Balduinus. VIII. Balduinus. IX. Guido. Hic ultimus pusillanimis fuit, et sanctam civitatem et regnum Jerusalem neglexit. Contra quem insurgit dominus Bertrandus, comes tripolitanus, qui etiam erat catholicus. Sed quia rex Guido potens fuit, nec potuit eum Bertrandus debellare cum suis, convocavit in auxilium contra regem Jerusalem regem Egypti, Soldanum, et fecit pactum cum Sarracenis, et Guidonem expugnavit. Videntes autem Sarraceni et gentiles dissidium regni, et quod Christiani in se ipsis essent divisi, conglomerati ceperunt civitatem sanctam, ejectis inde Christianis, et per consequens totam terram sanctam amiserunt Christiani. Et praefati reges omnes regnaverunt annis LXXXVIII et XIX diebus in Jerusalem, et cessavit regnum translatumque est et additum regno Aegypti, sicut est die hac.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ecce, quantum iterum evagatus sum de proposito, sed iam redeo. Capella praefata sub monte Calvariae est Christianorum de Nubia, qui ibi officia sua celebrant, et dicunt, quod rex Melchior, unus de tribus Magis, de quibus habetur Matth. 2., erat rex Nubiae, qui, dum de Nubia prope Hierosolymam venisset, urbem ingredi non voluit, sed juxta montem Calvariae hospitatus fuit, ideo sit eis hic locus datus ab antiquo. Ideo hac capella officiis processionis finitis et indulgentiis acceptis (†) recessimus.

De loco illo, ubi corpus Christi inunctum fuit et linteamine vel sindone involutum.

Exeuntes autem a capella illa de pede montis Calvariae processimus ad IX passus cum hymno: Pange lingua gloriosi proelium certaminis, de passione Christi, et venimus ad locum, in quo in ecclesiae pavimento jacet niger lapis, quibusdam rubeis maculis respersus, bene politus, qui dicitur ibi fuisse tempore passionis Christi juxta sepulchrum Joseph ab Arimathia. Nam Judaei suos lavant mortuos, et super tabulam ligneam aut lapideam corpus ponunt, et officia consueta explent lavando et ungendo. Joseph ergo, qui sepulchrum sibi exciderat de petra in eo loco, etiam tabulam marmoream politam sibi fieri fecit, in qua corpus suum lavaretur et ungeretur. Sed sicut suum sepulchrum Christo tradidit, ita et lapidem loturae. Cum ergo Joseph et Nicodemus cum suis adjutoribus corpus Christi de cruce solvissent, portaverunt ipsum huc, et nudum super hunc lapidem sanctum posuerunt, ibique unguentis foventes vulnera linimentis et in sindone munda involventes; (B) et in hoc funeris officio affuit gloriosissima et moestissima Maria, sedens, et in sinu suo caput vulneratum filii habens, ipsumque sudario circumligans, et Maria Magdalena pedes sacros, quos etiam in vita unxerat, diligentissime ungebat, et juxta necessitatem ipsum pretiosissimum corpus in hoc lapide evolvebant. Super hunc sanctissimum lapidem, pro dolor, imprudenter steti, ut supra fol. 109 A. B. patuit. Hunc lapidem cum processione circumstetimus, et cantibus finitis unus post alium provoluti ipsum

deosculati sumus, et indulgentias plenariae (††) remissionis accepimus. De hoc loco portaverunt corpus Domini ad sepulchrum, quod ad quinquaginta passus ab eo distat. Super hunc locum est chorda extensa de uno pariete ad alterum, in qua pendent multae lampades ardentes, et post processionem posuerunt mensam super lapidem, in qua celebrabant Missas, qui volebant.

De loco, ubi dicitur esse centrale medium totius mundi.

Cum omnia loca sancta ante dominici sepulchri ingressum prius visitassemus, declinavimus cum processione a via, per quam portatum fuit Domini Jesu corpus in sepulchrum, gyrantes sepulchrum sanctum, et golgathanam ecclesiam, quae est chorus totius templi, ingressi sumus; ibi cum ad medium venissemus chori, circumstetimus lapidem quendam, qui est rotundus, a caeteris lapideis tabulis elevatus, in cujus medio est rotundum foramen, in quo homo posset pugnum, h. e. manum complicatam, immittere. Lapidem hunc dicunt jacere in centrali medio totius mundi, et dicunt Orientales, quod Dominus Jesus ante passionem suam cum discipulis ibi stans digito hunc locum commonstravit, dicens: ecce, hic est medium mundi. Dicunt etiam veteres historiae, quod ante templi hujus aedificationem fuit in hoc loco a philosophis erecta columna alta marmorea, quae in aequinoctio aestivali umbram non faciebat meridie, sole directe super eam stante. Hujus experientiam quidam miles peregrinus societatis meae accipere volens, accepta licentia a domino Sabathytanco, magistro hospitalis, qui dicitur Calinus major, ascendit cum quibusdam sociis super convexum testudinis chori, quae testudo multum alta est, et habet gradus, per quos potest fieri ascensus, et in supremo convexi est altana cum lapidibus arte facta, in qua possunt sine periculo stare et circumspicere. In hanc ascendit miles ille in meridie, et vidit, an corpus suum umbram faceret. Qui dixit nobis pro certo, quod corporis sui umbram nullum vidisset, stabat enim directe super locum illum, quem superstetimus, quia ita altana est aedificata, quod supra locum stat, et quod illa experientia ibi capiatur. An autem hoc

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sit verum, et evidens signum, quod locus ille sit in medio terrae, ubi in meridie sol splendens sic directe super capita corporum [stat], quod umbram corpus non reddit, non video. Legi etiam in pluribus libris de multis locis, ubi corpora aliquo tempore non reddant umbram, sicut recitat Dionysius libr. 3. Antiq. hujusmodi, de quadam insula versus meridiem in oceano sita, in qua circa meridiem nullam fieri rei cujus umbram, cum supra verticem sol existat; quae insula longissime distat ab Hierosolyma. Sed et Petrus de Abano consiliator Doctrina 67. idem dicit fieri in civitate Athenae, in qua ipsemet experimentum hujus accepit. Et in civitate Sienae super Nilum idem dicit fieri sole in aestivo tropico existente. Et Ptolemaeus in tertia tabula Africae et in quarta multas regiones inducit, ubi sol stat meridie supra verticem. Et quod his amplius est, in tabula eadem assignantur loca plurima, ubi bis in anno sol super verticem stat sine umbra. Sic sunt loca in Asia multa, ut videri potest in 6. tabula, in 9. et 10. et 11. et in 12. Et notum est, easdem regiones non esse mundi medium. Multi aestimaverunt, certam insulam esse in mundi medio, in qua tamen sol semper meridie umbram relinquit. Caeterum vulgi imaginatio omnem locum totius orbis mundi medium opinatur, quia credit, homines per gyrum circumfusos orbi, et conversis pedibus stare, et cunctis scilicet coeli verticem esse, cunctosque mundi aut orbis medium calcare. Sed Augustinus de civit. Dei lib. XVI. c. 9. omnino negat antipodes esse, cum nec Scriptura, nec historia, nec experientia id doceat, et impossibile sit in oppositum orbis devenire locum propter oceani immensitatem, quam nulla navigatione pertransire est possibile. De his quaere in Specul. nat. l. 7. c. 10. Sed infallibilis veritas sacrae Scripturae testimoniis inducit, Jerusalem in medio mundi esse. Multi tamen dicunt, Jerusalem quidem esse in medio mundi habitabilis, sed non in medio machinae totius mundi. Sit tamen sic vel sic, Scripturae sacrae credendum est, quae Jerusalem in medio terrae positam esse dicit, et Salvatorem nostrum salutem in medio terrae operatum fuisse asserit. Unde de primo dicit Ezech VI.: Ista (**118A**) est Jerusalem, in medio gentium posui eam, et in circuitu ejus terram. De secundo Psalm 73.: ope-

ratus est salutem in medio terrae. Unde Hilarius: locus crucis talis est ut punctum [positus] in medio terrae, ad capessendam Dei cognitionem universis gentibus esset aequalis. Locus enim, ubi crux fixa fuit, et rupis, stat ad latus dextrum hujus centri et ab eo est ostium de choro super montem Calvariae. Sicut ergo Christus est persona media in Trinitate et mediator Dei et hominum, tenens semper medium in mundi redemtione, mundi medium elegit, statuens crucem in medio. De quo medio videtur esse illud Genes. 2.: lignum vitae in medio paradysi . e. crux Christi in medio mundi. Ideo Deuter. 6.: Dominus Deus tuus in medio tui. Et de ecclesia sancti sepulchri dicitur Levit. 26.: ponam tabernaculum meum in medio vestri, i. e. templum sepulchri mei in medio mundi.

In hoc ergo loco singulari quodam gaudio exultavimus, pro eo, quod cum salute et prosperitate de extremis mundi partibus mundi medium attigimus, et laudibus Domino solutis indulgentias accepimus (†).


De loco, ubi sanctae mulieres viderunt revolutum lapidem a monumento.

Recedentibus nobis ab hoc loco de golgathana ecclesia, per ostium, per quod intravimus, reexivimus in ecclesiam sancti sepulchri, et in locum venimus, in quo tres Mariae venientes, ut ungerent Jesum, viderunt revolutum lapidem a monumento, de quo fuerant per viam multum solliciti, dicentes: quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti, et hae respicientes viderunt eum revolutum. In loco illo intrantes procidimus, eumque deosculantes indulgentias accepimus (†).

Notandum: quod ubicunque talis pictura et signum est sancti sepulchri, et quotiens eam inveneris, scias me in ecclesia sancti sepulchri per noctem vigilasse ad dominicum sepulchrum in mea secunda peregrinatione. In prima vero tres noctes in ea fui.

F F F F F.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



De ingressu peregrinorum in sanctissimum Domini Jesu sepulchrum.

Expergiscemini nunc, et surgite fratres et Domini peregrini, et ad procedendum celerius festinate, sed non nisi festive venite. Omnem tristitiam deponite, lacrymas ab oculis vestris abstergite, a lamentationibus silete, et jucundissimum paschale Alleluja pariter concinite, nam post tristia sabbatha felix irradiavit mundo dies, ex squalido et tenebroso sepulchro, quod iam ingressuri sumus; multo enim magis fuit mundus ex eo illuminatus, quam a caeli micantibus sideribus fuerit illustratus. Venite ergo cum laetitia et laude, et videte locum, ubi positus erat Dominus, et terminum vestrae peregrinationis conspicite. Igitur cantor festiva et jucunda voce hymnum paschalem: Ad coenam agni providi etc. inchoavit, et cum isto cantu processimus, et ad dulcissimum Domini Jesu sepulchrum venimus, et ante eum cantica paschalia cum crebris Alleluja personavimus, cum tanto gaudio, et forte cum majori, ac si festus dies Paschae post laboriosam et tristem quadragesimam advenisset. Sicut enim in monte Calvariae Christo Domino nostro compassi sumus, et lacrymas fudimus, sic hic

congavisi sumus nostro redemtori, et dulces laetitiae lacrymas cum alacri cantu reddidimus. Et merito. Nam Salvator noster Jesus, post fletus et tristitias, post illusiones et verbera, post aceti et fellis pocula, post supplicia crucis et vulnera, post ipsam terribilem mortem, post lamentabilem sepulturam, post infernorum et aeternalium tenebrarum penetrationem, post ferreorum vectium effractionem, post principis tenebrarum ligationem, et omnium electorum patrum absolutionem, ex hoc quem cernimus tumulo gloriosus triumphator surrexit, ex hac caverna tenebrosa tantum lumen emicuit, tantus splendor illuxit, tantus candor resplenduit, tanta serenitas radiavit, tanta jocunditas prodiit, tanta salus spiravit, ut exultent simul terra, pontus et aether. In hoc namque sepulchro et exiguo tugurio renovata est juventus aquilae, leo catulum suscitavit, phoenix revixit, Jonas de ventre ceti illaesus exivit, vestitum est candelabrum auro, tabernaculum David, quod cecidit, suscitatum est, refulsit sol, qui prius erat in nubilo, vivificatum est granum frumenti, quod in terram cadens mortuum fuerat, cervus resumsit cornua, Samson tulit portas et evasit per custodias, Joseph eductus de carcere tonditur et decoratur et dominus Aegypti constituitur. Saccus Christi Jesu conciditur, et laetitia circumdatur, et cum his omnibus hic nostra laboriosa peregrinatio et taediosa evagatio finitur et quietatur. Deponamus ergo obsecro in hoc loco piissimas tristitiae querelas, ac nubila moeroris, (**119 A**) et in laetitia respiremus serenum, et qui funera redemtoris nostri prosecuti sumus cum dolore, nunc de ipsius resurrectionis gloria jocundemur. Venite ergo ac simul conglobemini milites et peregrini humani, sepulchrum sanctissimum ingredimini et videte, manibus tangite, ore contingite locum, ubi positus erat Dominus. Itaque cum laetitia ingressi sumus unus post alium in dulcissimum Domini Jesu sepulchrum, et loculum sanctissimum devotissime deosculati sumus, et indulgentias plenissimae (††) remissionis omnium peccatorum accepimus. Singularissimo enim gaudio affecti fuimus, plus quam in caeteris locis. Unde Bernhardus in sermone ad milites templi C. II. dicit, quod inter sancta et desiderabilia loca sepulchrum tenet quodammodo principatum, et devotionis plus nescio quid sentitur, ubi

quievit, quam ubi vivens conversatus est. Atque amplius movet ad pietatem mortis quam vitae recordatio; puto, quod illa austerior, haec dulcior videatur, magisque infirmitati blanditur humanae quies dormitionis, quam labor conversationis, mortis securitas, quam vitae rectitudo. Vita Christi vivendi mihi regula exstitit, mors a morte redemtio. Accepta ibi consolatione et indulgentiis cum laeta gratiarum actione egressi sumus, et ita finem habuit haec processio una hora ante noctis medium. (Descriptio sancti sepulchri patet fol. 124. B.) Finita autem processione contraxerunt se peregrini per societates ad angulos templi, unaquaeque societas in suo loco sedens, eramus enim lassi et elaborati, et fecimus sobriam collationem. Post collationem ad paululum quiescendum reclinavimus capita nostra ad parietem, et in pavimento jacentes dormitavimus. Ego vero mansi cum fratribus montis Syon intra capellam beatae Virginis, qui dederunt mihi quietum locum pro dormitione, sed omnino oculum non potui ad dormiendum claudere. Ideo statim surrexi, et accenso lumine cum vigilantibus ad loca sancta transivi. Major enim pars peregrinorum accensis luminibus per omnia loca sancta superius dicta ad placitum gyraverunt, et nunc huc nunc illuc ex devotionis spiritu migraverunt. Potest enim peregrinus totiens quotiens intrare sanctum sepulchrum, et montem Calvariae ascendere, et in specum inventionis S. crucis descendere, et ad alia loca, prout placet transire. Major autem devotio et collectio est in istis singularibus visitationibus sanctorum locorum, quam in communi processione, in qua est magna compressio, et tumultus, et inquietudo, et cantus et planctus; ibi vero est silentium et quies. Dum autem denuo circuitum fecissem, descendi in locum inventionis sanctae crucis, et matutinas meas legi. Multam enim delectationem in eodem subterraneo loco habui, quia quietus et mihi proportionatus erat; nam mons Calvariae, et dominicum sepulchrum, et alia loca superius erant continue plena peregrinis et tumultuosa. Interea aliqui de Dominis meis et servis eorum discurrebant per templum superius, lustrantes singulos angulos, quaerentes me ad confessionem eorum audiendam, nec suspicabantur me esse in loco. Tandem autem descendentes ad me, eos ibi

audivi, sedens in cathedra S. Helenae, de qua superius mentionem feci fol. 114. A.

De Officio dominico in dominico sepulchro celebrato, et de modo celebrandi, et de ordine.

Ut autem factum est noctis medium, sacrista cum tabula lignea cucurrit per templum, et magno strepitu ad matutinas signum dedit. Quod ut audivi, statim ascendi, et nondum confessis aliam (B) horam statui, qua eos audire vellem, et ingressus sacristiam, quae est capella beatae Virginis annexa, indui me ad Missam celebrandam (habet enim ecclesia haec, sicut et Bethlehemitana, privilegium, quod semper mediis noctibus possunt celebrari Missae); paratus ergo exivi in sanctissimum dominicum sepulchrum, et primum in eo locum celebrandi cum quiete habui, et jucunde de dominica resurrectione celebravi. Sub Missa mea aliquos de nobilibus communicavi in monumento sancto de commissione patris Gardiani. Post me alii sacerdotes ad Missae celebrationem accesserunt, in sancto sepulchro et in aliis tribus locis, ut dixi fol. 110 A. in 6. artic.

Est tamen pro loco sancti sepulchri major contentio sacerdotum, et praecipue quando sunt plures. Stant enim ante sepulchrum et exspectant celebrantem, qui dum ab altari discedit, statim alius accedit, et dum ille, qui celebravit, se exuit sacris vestibus, astant sibi quinque aut sex, aut plures, qui omnes contendunt accipere easdem vestes, et dum albam deponit, omnes sex aut plures eam apprehendunt et trahunt, et offendunt se ipsos verbis in tantum, quod quasi usque ad verbera procedunt. Vidi sic certantes in tantum commotos, quod unus sacerdos dicebat alteri: dimitte mihi vestem E contrario alius dicebat: ego eam tenebo, tu non es dignus, ut me praecedas. Alius respondit: et tu non es dignus celebratione, ideo te praecedam, quia dignior sum, quam tu. Et inter haec usque ad turpia improbria et maledictiones procedebant, trahentes albam quasi usque ad diruptionem. Ecce quis unquam audivit litigium irrationabilius! O quanta fatuitas, quanta temeritas, quanta coecitas! Judicavi, sic litigantes

habere coecam, fatuam, et Domino et hominibus abominabilem devotionem, et incomparabiliter melius esse talibus abstinere, quam se cum tanta coecitate divinis ingerere, imo, melius eis fuisset Jerosolymam non vidisse. Condolui vehementer saecularibus, qui adstabant, et cum grandi scandalo haec considerabant. Ego forte ex indevotione mea non tantum fui affectus ad celebrandum, quantum illi, potius a Jerusalem sine celebratione recessissem, quam pro loco contendissem. Semper tamen sine litigio locum habui in locis optatis, in prima et secunda peregrinatione. Vidi quosdam alios, qui quidem non contendebant, nec litigabant, sed et cum vi et impatientia irruebant, albam ad se trahentes, adeo potestative, quod nemo ausus erat se eis opponere. Et illos imperfectiores litigantibus judicavi, et magis temerarios. Illa contingunt ex defectu ordinis, quando res non ordinatur. In prima enim mea peregrinatione erant multi sacerdotes peregrini, et pauci laici, et non erat res ordinata per fratres, et tunc multa talia acciderunt. In secunda autem peregrinatione erant pauci sacerdotes, et multi saeculares, et pater Gardianus, vir prudens, bene cuncta ordinaverat, quod res pacifice transibat.

Caussae autem, quare sacerdotes sic festinant, et pro loco contendunt, sunt variae. Una est quandoque furor et devotio ad loca sancta, quae tanta est, quod generat zelum indiscretum, et praecipue in eis, qui non habent discretionem et sanctitatem, (**120A**) et tales timent semper, quod tempus non detur eis, quo suae devotioni satisfiat. Alia est, quia multi sacerdotes in voto habent, quod velint celebrare Missam unam aut duas in sancto sepulchro; et illi, ut votum solvant, contendunt et conatum faciunt. Alia est: quidam veniunt missi ab aliis, qui votum veniendi implere non possunt. Et illi mittentes committunt eis tot Missas celebrare in sancto sepulchro, et juramenta ab eis exigunt, et dant eis expensas, et tales timent perjurium, ac festinant et litigant. Alia est, ut redeuntes ad patriam dicere cum veritate possint: ego celebravi in sancto sepulchro Missam, et videtur eis, si locum habere non possent, quod esset eis verecundia et scandalum, quod ita recessissent a Jerusalem. Alia causa est: aliqui milites praesentes dant aliquando alicui sacerdoti ducatum

unum, ut illo die unam Missam pro se celebret in sancto sepulchro, et illi etiam conatum faciunt magnum Et hoc multoties contingit. Aliqui etiam religiosi a suis praelatis habent commissionem, ut tot Missas in sancto sepulchro celebrent. Et aliqui in recessu a suis caris et amicis promittunt eis, quod celebraturi sint in sepulchro dominico pro eis. Hi omnes festinanter pro loco contendunt. Alia causa est, et forte superstitiosa. Dicitur enim, quod de qualibet Missa in sepulchro dominico dicta, liberetur certe anima de purgatorio. Sic etiam dicitur de Missis celebratis ad catacombas Romae. Et praecipue liberentur animae, pro quibus intendit celebrans. Et qui hoc credunt, valde festinant, et cum suo detrimento et fratrum offensione et scandalo saecularium animabus succurrere contendunt. Alia caussa est: quidam putant, Missas in sancto sepulchro dictas, efficaciores esse tam pro se, quam pro aliis vivis et defunctis, et magis impetrativas gratiarum. Alia caussa est cupitositas quorumdam et irreverentia, quo nulli deferunt, sed antecedere conantur, quia patientiam habere nesciunt. Alia caussa est, quae est prima et ultima: peregrini bene sciunt, quod non nisi tribus noctibus in ecclesia sancti sepulchri manere permittuntur, nec vacat eis tempus, nisi pro tribus Missis, et ideo quilibet conatur se primo de Missa in sacro sepulchro dicenda expedire, et ea non dicta non quiescit, timens sibi deficere tempus, sicut saepe tempus multis defecit, et sine Missa in sancto sepulchro recesserunt cum tristitia. Igitur, sicut dictum est, Missas celebravimus, et cum jam sol oriretur, iterum sacrista cum tabula cucurrit per circuitum in totam ecclesiam, et signum fecit ad summum Officium ad primam et tertiam cantandum in monte Calvariae. Ascendimus ergo omnes in montem sanctum, et pater Gardianus cum suis ministris sacris induti ad altare accessit, et cantor Officium de sancta cruce: Nos autem glari orationem, inchoavit, et cum altis vocibus prosecuti sumus Officium. Sub Officio communicaverunt (**121 A**) Domini milites, et omnes peregrini saeculares cum magna devotione, et protractum est Officium quasi usque ad horam VIII. ante meridiem, et in puncto, quo finivimus, venerunt Sarraceni ad expellendum nos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ejectio peregrinorum de templo sancti sepulchri, et visitatio locorum, in quibus indulgentiae habentur per circuitum ecclesiae.

Finitis Officiis et Missis celebratis venerunt domini Mauri pagani, et januas ecclesiae patefeceruut, facientes magnum strepitum ad valvas, ut citius exiremus. Quo audito territi sumus pariter et turbati pro separatione a tam dulcibus locis, et cucurrimus per loca, deosculantes ea; circa quae dum moras facerent peregrini, commoti sunt Mauri, et januas templi concusserunt fortiter, adeo quod cardines stridebant, et horribilibus clamoribus discurrebant per loca sancta, et peregrinos vi ab eis repellebant, extra ecclesiam ejiciebant nos omnes, demtis consuetis custodibus sancti sepulchri. Nobis autem ejectis clauserunt valvas ecclesiae, et abierunt, nos in atrio relinquentes. Ibi iterum ad visitationem quorundam locorum sanctorum templo cohaerentium nos ordinavimus.

De loco, in quo Maria Virgo et Johannes Evangelista stabant sub cruce Jesu, quando eos sibi invicem commendavit.

Primo ergo de ostio ecclesiae declinavimus ad dextrum, et ibi ad murum templi est adscensus per gradus lapideos ad montem Calvariae, et olim supra gradus erat ostium, per quod introibant ad scopulum Calvariae, quod ostium jam est per Sarracenos obstructum. Sub istis autem gradibus est ostium, per quod est introitus in unam capellam, quae est intra septa ecclesiae sancti sepulchri, ab intus tamen est muro circumdata, quod nemo ab intra eam ingredi potest, quia Sarraceni etiam ejus interius ostium obstruxerunt. Et in ista capella est locus, in quo beatissima Virgo Maria et sanctus Johannes Evangelista steterunt sub cruce, ad radicem scopuli Calvariae, quando eos ambos vidit Dominus Jesus, et Johannem matri, et matrem discipulo commendavit. In hoc sancto loco procidimus, et in terra prostrati indulgentias accepimus (†).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hunc locum Indiani habent, et officia sua in eo peragunt.

In hoc loco comtemplabamur dolorem immensum Virginis, quia omnibus doloribus cujusvis corporeae passionis ibi eam cruciatam novimus. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil comparatione ipsius passionis, quae nimirum sua immensitate transfixit penetralia sui benignissimi cordis. Stabat enim, ait Evangelista, juxta crucem Jesu Maria, mater ejus, non utique otiosa, aut superfluis occupata, (**122 A**) sed mente turbata, et voce querulosa, dicens: Fili mi, animae meae olim consolatio et gaudium, nunc autem gladius penetrabilior omni mucrone auctissimo. O quam infelix mihi et tibi facta est dies illa, et quis poterit mederi vulneribus dolorum meorum? et mitigare angustiam misellae matris tuae? Cum inspiciam filium meum ut leprosum factum, qui speciosus eras prae omnibus filiis hominum; ut maleficum et reum cum iniquis deputatum, qui sanctus sanctorum es. Et super omnia mihi intolerabilia te cerno velut oblitum mei, viduae matris tuae. Jam ecce, jam moriens, et nihil mihi dicis. Et quid faciam ego sine te filio meo? Quo divertam. Ad quem confugiam? Tu mihi pater; tu mihi frater; tu mea gloria. O me desolatam! quae tantum filium in cruce video deficere. O amantissime fili, loquere mihi matri tuae, ut audiam vocem tuam, ut sic saltim audiens verba tua patientior fiam ad tolerandam, quae me cruciat pro amore tuo poenam, ne deficiam in hac indicibili tribulatione. Cui quaeso me orphanam derelinquis? His, et similibus lamentationibus in hoc loco Virgo Maria calamitatem filii sui et suam deflebat. Quam filius videns dixit: mulier, ecce filius tuus. Compassi ergo sumus in hoc loco matri, sicut in monte Calvariae filio. Sed et ipsi Evangelistae, qui in tanta afflictione ibi stabat, quanto amore prae caeteris flagrabat. Stabant autem beata Virgo, et Johannes, et alii, non sub brachiis crucis super rupem, sed sub rupe, contra Christi faciem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De capella sanctorum Angelorum, et quare sit ibi?

Dictis orationibus in loco praefato, in aliam capellam transivimus, quae consecrata est in honorem sanctorum Angelorum. Hanc Jacobitae inofficiant, et in ea prostrati indulgentias accepimus (†). Quo facto contulimus simul, quare sanctorum angelorum capella esset huic sanctissimo templo adjuncta. Et responsum accepimus, quod propter effectualem illius ecclesiae custodiam, quam angeli habent, sit haec capella aedificata. Si enim S. angeli non in singulari hanc custodirent semper ecclesiam et dominicum sepulchrum, dudum per infideles funditus eliminata esset. Peregrini etiam de transmarinis partibus ad sepulchrum dominicum venientes multa discrimina et mortis pericula evadunt, muniti angelorum custodia, quibus in hac capella grates referunt, et petunt, cum prosperitate reduci ad propria sub eadem angelica custodia.

De capella S. Johannis Baptistae.

Ab ista capella transivimus consequenter ad aliam, in honorem S. Johannis Baptistae consecratam, quam inhabitant Georgici. In quam cum venissemus, procidimus orantes, et indulgentias accepimus. (†) Valde rationabile est, quod major inter natos mulierum locum habeat et oratorium juxta ecclesiam majorem inter omnes ecclesias, et etiam ideo, quia sanctissimus Baptista, Christum digito demonstrans, dixerat: ecce, agnus Dei, qui tollit peccata mundi; quod in hoc loco constat (**B**) esse completum, in quo sacrificium pro reconciliatione totius mundi se obtulit. Insuper ideo ibi capellam Baptista habet, ut ipsi templo Sarraceni magis parcant, quia magno honore venerantur Christi Baptistam.

De capella S. Mariae Magdalenae in atrio templi.

Ulterius procedentes in aliam capellam S. Mariae Magdalenae venimus in sinistro latere, juxta turrim campanarum. Fuit autem olim ecclesia magna, cum annexo monasterio monialium, sed iam major pars est destructa. Hanc

capellam Graeci in Officiis provident. Ex magna autem ratione antiqui patres huic sanctissimo templo sancti sepulchri adjunxerunt ecclesiam S. Mariae Magdalenae. Nam cum omnes apostoli hunc desererent locum, et a sepulchro recederent, ipsa Maria Magdalena sola in horto mansit, circumiens et quaerens, nec abesse poterat huic loco; qua sedulitate meruit hic habere oratorium, ut perpetuis temporibus hic honoraretur. In hac capella dictis praescriptis orationibus et acceptis indulgentiis (†) recessimus ad alia.

Locus, in quo volebat Abraham offerre filium suum Isaac.

Quatuor capellae praefatae stant per circuitum plateae vel atrii templi sancti sepulchri, et de atrio sine ascensu vel descensu est introitus in eas, quibus visitatis, ut dictum est, retraximus nos ad dextrum latus atrii, et ibi per unum ostium ingressi per obscurum transitum ivimus in veteribus structuris ita, quod penitus nil videre poteramus, ex eo quod locus erat obscurus, et nos recenter de splendoribus solis in locum caliginosum ingressi fueramus. In ista caligine processimus per aliquot passus, et venimus ad gradus lapideos, per quos sursum ascendimus, et aliquos cellulas ibi reperimus et camerulas, in quibus quidam miseri Christiani orientales habitant, ad quas pulsavimus, et non nisi unam servulam et nigram vetulam ibi invenimus, quae, ut nos vidit, reseravit capellam, propter quam ascenderamus. Est enim capella pulchra, vario et polito marmore strata, super montem Calvariae sita, ad latus crucis rupis, extra tamen ecclesiae septa. Haec capella dicitur in eo loco constructa, in quo Abraham ex praecepto Domini volebat immolare filium suum Isaac, juxta sententiam catholicorum doctorum, Jeronymi et Augustini, et etiam Rabi Judaeorum. Alii tamen dicere volunt, quod in monte Seyr vel Sardenai prope Damascum sit factum. Caeteri dicunt, quod in monte Moria, in quo Salomon post ea templum construxit, sit factum. Sed nostrum dictum magis est catholicum, et rationi consonum, ut figura et veritas, etiam quoad locum, convenientiam haberent. Quia, sicut Abraham proprio suo filio

non pepercit, ut habetur Genes. 22., sic Dominus ipso filio suo non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit. Ut habetur Rom. VIII.

Iuxta hanc capellam ab extra stat una vetusta (**123A**) arbor olivarum, quam dicunt esse plantatam in eo loco, ubi aries haerebat cornibus inter vepres, quem obtulit Abraham pro filio, ut dicitur Gen. 22. In illa ergo sacra capella in terram nos prostravimus, et cum orationibus praescriptis indulgentias (†) recepimus. Indulgentiis adeptis convertimus nos ad contemplandam eximiam ipsius Abrahae obedientiam, qua sine omni contradictione voluit ad unicum Domini praeceptum re sibi carissima carere, et amantissimum occidere suis propriis manibus, unigenitum suum sibi miraculose natum ex legitima uxore, cui promissiones factae fuerant. Et cum his omnibus erat filius bonus, sanctus, obsequiosior omnibus, pulcher, sanus et innocens. O quale exemplum virtutis, mente inspicere illos in hoc loco in practica hac arduissima laborantes. Abraham erat senex, Isaac XXV annorum, et erant soli per omnia ambo Deo parere parati. Ecce, inquit Isaac, habes me, pater, filium tuum ad votum, stringe manus et pedes meos funibus, interfice me, sicut tibi et Deo nostro placet. O peregrine, quid erat videre venerandum senem illum mirando fervore ligare manus et pedes filii, elevatumque evaginatum gladium, ut illum perimeret. O inaudita obedientia patris et filii! O ardentissima utriusque voluntas ad obsequendum Deo! Heu confundatur hic, reprehendatur, corrigatur, emendetur nostra tepidissima obedientia, admonet Deus, hortantur praelati, clamant scripturae, experientia testatur, vota ligant, exempla docent; et tamen obedire contemnimus. Sanctos ergo patriarchas invocemus in hoc loco, ut detur nobis gratia a Deo.

Locus, ubi occurrit Melchisedech Abrahae cum pane et vino.

Inde egressi in unam aliam capellam aeque pulchram inducti sumus, quae in loco illo est erecta, in quo Melchisedech sacerdos Dei summi et primus rex Jerusalem Abrahae occurrit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eumque benedixit, et prommissionem de nascituro Christo ex eo praenuntiavit, panemque et vinum obtulit. Cui Abraham primitias et decimas omnium, quae habebat, dedit. In hoc loco terram deosculati sumus, et indulgentias (†) recepimus, et fecimus, juxta quod hortatur Apostolus Rom. 7. dicens: intuemini, quantus hic Melchisedech sit, cui decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha. De illo S. Melchisedech habes supra fol. 116. B. Ab illa capella transivimus ad murum chori ecclesiae, supra ad dextram gyrantes, et longe lateque per civitatem respicere poteramus, et distantiam a porta, per quam Dominus Jesus cum cruce eductus fuerat, usque ad montem Calvariae, optime notare poteramus.

Atrium ante ecclesiam sancti sepulchri haec loca habet, et in eo sunt, quae sequuntur.

His visis descendimus per gradus, per quos ascenderamus in templi atrium, et prope ostium monstratus fuit nobis lapis quidam in pavimento (B), cui erant impressa vestigia duorum pedum hominis, ac si homo staret super massam cerae mollis, et pedes infiguret, et videtur manifeste, quod figurae illae vestigiorum non sunt artificiose lapidi incisae, sed aliquo miraculo; de quo tamen nulla habetur certitudo. Dicunt tamen, quod vestigia illa sint Domini Jesu ibi stantis sub rupe Calvariae, et suam crucifixionem exspectantis. Ante hunc lapidem prostravimus nos, et sancta deosculati sumus vestigia. Inde consequenter processimus prope exitum de atrio, et in locum venimus, ubi Dominus bajulans sibi crucem gravem dicitur sub cruce corruisse prae angustia et horrore, cum vidisset ante se rupem Calvariae, ut supra patuit fol. 92. Hic locus sacer signatus est lapide, in quem multae cruces sunt incisae per peregrinos. Hunc ergo locum deosculati sumus et indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus.

Palatium regis Jerusalem juxta templum.

Post haec de atrio exivimus et in sinistra parte ecclesiae per ostium quoddam ingressi in hortum quendam venimus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

consitum pomerantiis et malogranatis, et de horto in domum magnam cum multis habitaculis ascendimus, in qua tamen domo tantum pauperes quidam Graeci habitant pauci, et possent in ea centum homines habitare cum quiete, quia, ut dixi, est habitatio grandis, solennis cum valde multis cameris testudinatis, et adhaeret a parte occidentali ecclesiae sancti sepulchri, ita, quod de principali habitatione est fenestra per murum in ecclesiam sancti sepulchri, per quam respectus est super dominicum sepulchrum.


Haec domus olim fuit habitatio regum Jerusalem, et in ea habitabant, ut semper sanctissimo dominico sepulchro adessent, et omnibus diebus dabantur de ea cuilibet peregrino tres panes tempore regum latinorum. Sed et dominus Soldanus capta et possessa civitate sancta multis annis continuavit; sed nunc totum periit, et illi Graeci, qui regium palatium inhabitant, vix vivere possunt prae paupertate. Sed et ipsa domus undique ruinam minatur, et in multis locis ruit, nec est, qui reficiat vel sublevet ruinas illas Peregrini de Graecia in illa domo habitant, quando sunt in Jerusalem, et dicunt, quod sit palatium patriarchae Graecorum.

De hospitali Sancti Johannis et locis eidem annexis et coaedificatis.

De illa domo exeuntes ex opposito in hospitale Sancti Johannis ascendimus, in quo peregrini dormiunt et manducant. De quo supra fol. 39. A. patuit. Huic autem habitaculo, in quo peregrini morantur, erat (**124 A**) quondam annexum grande palatium et solennis habitatio dominorum militum sancti Johannis, qui erant piissimi hospites, et largissimi peregrinorum, et fuit illa consuetudo, quod quando peregrinus hospitale ingrediebatur, dabat hospitalario II marchetas venetianas, et sine querela habuit liberum hospitium, etiam si per annum in Jerusalem mansisset. Et tam amplus et gloriosus fuit locus iste, et hoc hospitale, quod si mille peregrini venissent, omnes locum sine pressura habuissent, sicut in ruinis videri potest, et in ea parte, quae semirupta mansit, quae adeo magna est, quod in ea quadringenti peregrini possent manere.

Ex opposito hospitalis sunt ruinae ingentes murorum, reliquiae domus dominorum theutonicorum, apud quos hospitabantur olim honorabiles peregrini de Alemannia. Juxta eandem domum erat alia curia magna, in qua manere solebant foeminae peregrinae, quae viris in hospitali magno cohabitare minime permittebantur. Haec omnia peccatis nostris exigentibus in acervos lapidum sunt redacta.

Porro ad latus magni hospitalis erexerunt Sarraceni turrim altam, pretiosam, polito et albo marmore ornatam, et juxta turrim moscheam, contra faciem templi sancti sepulchri. Et in hac turre clamant et ululant die ac nocte secundum maledictae suae sectae institutiones. Ego omnino credo, hanc moscheam cum turri in despectum Crucifixi, et in praejudicium Christianorum esse aedificatam. Juxta moscheam sub turri est una schola puerorum, in qua pueri paganorum de lege Machometi imbuuntur, et toto die mirabili ejulatu clamant. Ego quadam alia vice, cum solus caussa orationis de monte Syon in atrium templi descenderem, et pueros clamantes audirem, accessi ad ostium scholae et introspexi, et sedebant ordinate in terra, et eadem verba omnes pariter altis vocibus personabant, inclinantes caput cum dorso, sicut Judaei faciunt etiam in suis orationibus. Totiens autem repetebant verba eadem, quod ipsa verba et notam retinui, quae sic sonabant:



Ha y la Ha lyl la lach Ha y la Ha lyl la lach Ha y la Ha lyl la lach.

Illa enim sunt vera principia et professio fidei eorum, et ea in principio pueris tradunt studenda, et ea eis repetitis vicibus inculcantur. In turribus etiam frequenter ea proclamant, ut patebit fol. 95. part. II. Alia etiam habent, quibus pueri instruuntur, quae aliter sonant, sicut saepe (B) audivi. Sub illa schola intra moscheam et templi atrium sunt duo carceres civitatis, in quibus includuntur malefactores, et sunt parvae domunculae, quasi clibani, et stant in magnum impedimentum et terrorem peregrinorum. Saepe enim mihi contigit,

quod quando ad ecclesiam sancti sepulchri descendere volui, et orationes meas ante ostium templi dicere, si vidi circa carceres armatos statim, regressus fui, ne mihi aliquam injuriam inferrent. Credo etiam hos carceres ibi aedificatos in dedecus templi et hospitalis, et in terrorem peregrinorum.

Ab hospitali usque in templi atrium est parva via, nec prohibetur peregrinis descendere, quotiens volunt per diem, nisi concursus populorum ad carceres praedictos impediat. In mea prima peregrinatione non fuimus ducti ad hospitale Sancti Johannis, sed in quandam domum magnam in Millo, sub area David, nec poteramus ad ecclesiam sancti sepulchri descendere, nisi sub tutela alicujus Sarraceni. Quae autem caussa fuerit, quod alibi sumus locati, quam in hospitali, ignoro. Hoc tamen scio, quod ante nos peregrini multis annis fuerant in eadem domo hospitati, quia parietes erant depicti cum armis nobilium nostrorum, in quo notavi, eos ibi fuisse, et non in hospitali Sancti Johannis. Est enim domus eadem magna, cum multis habitaculis et cum horto pulchro, situata inter montem Syon et Jerusalem in Millo etc.

Igitur omnibus locis praedictis, ut dictum est, visitatis regressi sumus omnes, quilibet in locum suum. Peregrini milites saeculares in hospitium Sancti Johannis, religiosi vero cum fratribus minoribus ascenderunt in montem Syon, et ibi manducavimus, bibimus et quievimus. Et hic est finis illius peregrinationis.

Sepulchri dominici Jesu descriptio, quale fuerit ab initio, et quale nunc sit, et caetera.

Natura et ars in constitutione rei, quamvis totum finaliter intendant, a partibus tamen incipiunt, et primo a nobilioribus, constituendo partem post partem, quousque resultet totum, quod intendunt. Eodem modo faciendum arbitror in dispositione ecclesiae sancti sepulchri, quam ponere intendo: antequam ad ejus descriptionem procedam, prius principales ejus partes describam, quae sunt sepulchrum sanctum, quod est caput, et principalior pars totius templi, a quo totum templum denominatur, et postea montem Calvariae describam etc.

(125 A) Sepulchrum dominicum descripturus, quamvis non sit res magnae importantiae, difficultatem tamen non parvam patior in ea re, et hoc propter diversitates, quae de hoc reperiuntur in libellis peregrinorum. Et etiam propter hoc libenter ejus dispositionem fratribus meis tradere vellem adeo clare in scriptis, sicut ego vidi oculis. Quod est impossibile, cum necesse sit, me plus vel minus scribere de hoc, quam viderim. Principaliter tamen de hoc tria dicenda.

I. Quale fuerit dominicum sepulchrum tempore, quo in eo fuit corpus Domini locatum.

II. Quale illud sit, quod modo stat, quod visitavimus et honoravimus.

III. An illud sepulchrum sit idem, in quod Dominus Jesus fuit positus. Et in illo articulo stat tota difficultas.

Quoad primum, sciendum, quod facile est dare intelligere, quale fuerit dominicum sepulchrum tempore mortis Christi. Nec patitur difficultatem in eo, qui antiquas sepulturas illarum terrarum vidit, quamvis ex dictis sanctorum Evangelistarum non possit id clare haberi, quia succincte et breviter de hoc loquuntur. Matthaeus dicit cap. 27.: et accepto corpore Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti. Marcus vero cap. XV. dicit: Joseph mercatus sindonem et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum in petra, et ad volvit lapidem ad ostium monumenti. Et cap. XVI. dicit de lapide advoluto: erat quippe magnus valde; et introeuntes in monumentum viderunt juvenem etc. Lucas autem cap. XXIII. dicit: Joseph petiit corpus Jesu, et depositum involvit in sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et cap. XXIV. dicit: mulieres invenerunt lapidem revolutum a monumento, et ingressae non invenerunt corpus Domini Jesu. Et in eodem capite: Petrus surgens cucurrit ad monumentum, et procumbens vidit linteamina, posita solo. Johannes plus dicit, quam alii. In cap. XIX. dicit: erant autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat, ibi ergo propter Parascevem Judaeorum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum. Et cap. XX. dicit: quod Maria Magdalena vidit lapidem revolutum a monumento, et annuntiavit Petro et Johanni, qui, venientes ad monumentum, Johannes se inclinavit, et vidit linteamenta posita, et non introivit.

His praelectis, homo, qui vidit monumenta antiqua terrae sanctae faciliter intelligit, quale dominicum monumentum fuerit. Quia iam nullo modo est, sicut fuit, propter templi superaedificationem, et propter ejus ornatum, ut patebit in secundo, et propter mutationem loci, quia erat templum sepulturae extra muros Jerusalem, sed postea murus est circumdatus, et aedificia adjuncta, quod non mansit aliqua loci dispositio, juxta Evangelistarum narrationem. (B) Si vis ergo scire, quale fuerit, imaginare hortum extra murum et fossata civitatis, et inter fossata et hortum stratam publicam maceriam horti habens ab una parte, et murum exteriorem fossati aut rupes, si rupibus cingitur, sicut in Jerusalem fuit, ab alia. Ulterius imaginare in ipso horto rupes hinc inde parvas et magnas e terra consurgentes, inter quas una rupes magna et lata ad modum domunculae stat integra non cavata. Talis fuit hortus, de quo Johannes dicit, quod in loco, ubi crucifixus est Jesus, prope erat hortus. Fuit enim Jesus extra hortum crucifixus intra rupes voraginis, ita, quod via publica dividebat rupem crucis a maceria horti. Omnes enim horti per circuitum Jerusalem sunt rupibus pleni, et de fundo inaequali, propter rupium elevationem. Homines ergo, qui in suis hortis rupes magnas habebant, ipsas cavabant, et sibi sepulchra incidebant et habitacula pro mortuis. At si rupes magna erat, facto uno habitaculo iterum in projecta ostiolum excidebant, et aliam cavaturam faciebant pro aliis amicis sepeliendis, et post hoc iterum petram incidebant pro alio habitaculo. Si petra non habuit nisi unam simplicem cavaturam, dicebatur spelunca simplex; si duas, dicebatur spelunca duplex, sicut legimus, Abraham emisse speluncam duplicem, Genes. 23. Si tria habitacula, spelunca triplex; si quatuor, quadruplex. Et sic deinceps. Vidi ergo in aliquibus hortis juxta agrum Acheldamah in parietibus petrarum tot speluncas, sibi invicem succedentes, unam post aliam in ipsam petram incisas, quod

non ausus fui usque ad ultimam procedere, postquam enim ingressus fui tertiam, et lumen per primae speluncae ostiolum immissum amplius cernere non potui, substiti propter horrorem tenebrarum. Posset enim ingrediens errare et exitum amittere, quia antiqui profunde petras pro suis mortuis sepeliendis cavaverunt. Joseph ergo ab Arimathia, vir bonus et justus, nobilis et dives, potens et prudens, emit pro se hortum juxta civitatem ad latus rupis Calvariae, et rupem integram incidi et cavari fecit. Mortuo autem Domino cessit Josephus juri suo, et hortum cum monumento Christo dedit, qui primus et altius in eo sepultus fuit. Dum enim de cruce depositus fuit, portaverunt eum a rupe Calvariae per maceriam in hortum, et super lapidem ad hoc factum corpus unxerunt, et in sepulchrum intulerunt in secundam speluncam, quia erat spelunca duplex, et primum ostium primae speluncae erat altum et latum, ad mediam speluncam ducens. Ostium ad secundam speluncam ducens non respiciebat ostium primae, quia erat in latere sinistro ingredientis, et erat demissum et parvum ostiolum, et a parte dextra erat locus (**126 A**), in quo positus fuerat Dominus in aquilonari parte, ibi enim cum industria fuit intermissa cavatio, et tantum de petra dimissum, quantum corpus hominis in dorso jacentis occupat in latum et in longum, tribus palmis et dimidia a terra sursum. Pro quo nota, quod scribentes de dominico sepulchro faciunt differentiam inter monumentum et sepulchrum. Monumentum enim dicitur tota petra cavata, et totum habitaculum. Sed sepulchrum dicitur locus corporis sarcophagus, sive tumulus, sive tumba. Monumentum ergo Domini non habuit sepulchrum sive sarcophagum mobile, sed de ipsa eadem petra factum. Fuit tamen a parte anteriori cavatio ad imponendum corpus, quod in medio sepulchri ponebatur, ita, quod supra fuit quasi tabula coopertum, et infra fundamentum a terra elevatum derelictum, ubi corpus ponebatur. Ita videntur loqui Sancti de dominico sepulchro scribentes. Magister in historia sacra allegat venerabilem Bedam, dicitque: monumentum Domini domus erat rotunda, de subjacente rupe excisa, tantae altitudinis, ut vix homo longus manu extenta culmen posset attingere, introitum habens ab oriente, cui magnus lapis appositus erat pro ostio.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In parte vero ejus aquilonari locus dominici corporis in eadem petra factus est, VII pedes habens longitudinis, tribus palmis altius pavimento eminens, quasi sarcophagus super impositus fundamento. Vel in ipso pariete loculus factus erat, sicut fit in muris domorum, ad utensilia reponenda, et sarcophagus ille non desuper, sed a latere meridionali erat, ut esset quasi loculus vel tumba in latere jacens, aperturam non sursum, sed ad latus habens. Color vero monumenti et loculi rubicundo et albo dicitur esse permixtus. Haec Magister, uti supra. Illa erat prima dispositio dominici monumenti et sepulchri.

Hanc dispositionem immutavit Helius Adrianus imperator, qui in loco templum Veneris erigi fecit, ut etiam supra patuit fol. 116. A. Monumentum tamen Domini non deposuit, nec rupem Calvariae, sed utrumque Deo disponente templo inclusit, sicut hodie est. Illam tamen irreverentiam locis illis exhibuit, quod in spelunca dominici sepulchri posuit Jovis simulacrum, et rupi Calvariae superposuit statuam Veneris. Ut Jeronymus habet in epistola ad Paulinum. Et sub ista dispositione prava et abominabili mansit locus sanctus annis circiter centum octoginta, et fuit intra civitatem, quia praefatus Adrianus voraginem implevit, quae erat pro fossatis civitatis, et murum circumduxit, templum civitati includens, ut patet fol. 114. B. Ex hoc venit locus in oblivionem, et fuit sepulchrum Christi factum capella et oratorium Jovis. Rupes vero Calvariae fuit factus monsVeneris. (B) Et ita fuit locus iste totaliter cultui daemonum deditus et gentilium errorum plenus usque ad tempora Sanctae Helenae, quae locum a delubris purgavit et Christo Domino reconsecravit.

Quomodo sanctum sepulchrum illo tempore sit et quale?

Secundo videndum est, quale nunc sit dominicum sepulchrum, cujus figurae et formae sit. Pro quo notificando accipio descriptionem, quam honestus vir Johannes Tucher, civis Norimbergensis,confecit in lingua theutonica de dominico sepulchro, qui anno 1479, uno videlicet anno ante meum primum introitum, fuit multis diebus in Jerusalem, et dominicum tumulum

curiosissime inspexit, et manibus, pedibus, digitis, et extentis brachiis mensuram ejus accepit. Cujus quidem descriptionem mecum in Jerusalem habui, et per omnia, sicut scripsit de sancto sepulchro, sic inveni. Ideo eum de theutonica lingua in latinum transumsi, et evagatorio meo inserui, uti veram et a viro maturo et veraci confectam. Sed ne alicui terminorum aequivocatio ambiguitatem generet, hoc praenotandum est, quod ubicumque ipse dominus Johannes Tucher ponit in suo theutonico libello Klaftern, ibi ego cubitum pono, cujus mensura accipitur extentis ambobus brachiis de termino medii digiti unius manus usque ad terminum alterius. Et ubi ipse ponit Spanne, ibi ego ponam palmum, qui accipitur manu extensa de principio pollicis, usque ad finem auricularis vel medii digiti. Describit ergo praefatus vir, Johannes Tucher, dominicum sepulchrum et monumentum sic. Monumentum Domini ab exteriori apparet primo aspectu quasi quaedam turris bassa, non alta, per circuitum duodecim angulos habens, et ad quemlibet angulum stat columna lapidea sexangularis, unius palmi spissa, et illae columnae sustentant parvam testudinem, quae est supra monumentum, a qua testudine exit quaedam circumferentia per circuitum, quae columnas excedit ad mensuram dimidii pedis. Habet autem rotunditas totius domunculae cum columnis XII cubitos magnos, mensurando ab extra per gyrum totum monumentum, sed ab intus mensurando habet IX palmos paullo minus in longitudine, et totidem in latitudine. Et a pavimento usque ad summum concavi testudinis habet viri et dimidii altitudinem. Sepulchrum autem sine tumba monumenti, quae est in dextra parte domunculae albo et polito marmore vestita tabula marmorea operta, super quam potest celebrari Missa, habet in latitudine IIII palmos et III digitos, a terra vero sursum manu mensurando tres palmos et quatuor digitos. Ostiolum autem speluncae, per quod ingressus patet, habet in altitudine IIII palmos et dimidium, et III digitos. Murus autem ostioli sive foramen petrae habet in spisso tres palmos. Porro altitudo totius monumenti sive domunculae (**127 A**) a terra sursum cum testudine habet duos cubitos cum dimidio magnos. Supra convexum testudinis est aedificatum tabernaculum in sex angulos in altum,

sicut turris, cum duplicatis columnis sex, habentes in altitudine II cubitos, qui sustentant culmen tabernaculi, quod habet in altitudine unum cubitum. A supremo vero culmen illius tabernaculi mensurando per aerem sursum usque ad aperturam tecti, quod supra monumentum patet, per quam lux in templum intrat, sunt forte VI cubiti, et illa apertura est rotunda, et adeo lata, sicut tota domuncula monumenti, ita quod, si ipsa domuncula mobilis esset, et sursum traheretur, per ipsam aperturam posset extrahi. Ex quo patet, quod monumentum Domini stat sub dio, ita quod pluit et ningit per praedictam aperturam super eum. Porro ipsum tabernaculum subtili schemate est fabrefactum de polito marmore, et intus et extra cum columnis et culmine fuit deauratum, sicut hodie patet, quod a fundamento templi usque ad summum culminis tabernaculi monumenti sunt in altitudine V et dimidium cubiti, a fundamento vero usque ad aperturam tecti sunt XII cubiti, aut paullo plus. Porro, ante introitum monumenti est atriolum quoddam, habens in latitudine tres cubitos, minus uno palmo. Ostium primum domunculae est in medio, habens in altitudine I cubitum magnum, et III palmas cum dimidio. Capella ante speluncam tumuli, quae est spelunca prima, habet in latitudine unum et dimidium cubiti, et in longitudine totidem, et in quolibet latere unam parvam fenestram quadratam. In eadem spelunca anteriori tribus palmis ab ostiolo speluncae interioris est supra fundamentum elevatus lapis quadratus, qui habet per quadrum II palmos et dimidium, super quem dicitur angelus sedisse post Domini resurrectionem, qui lapis est pars illius magni lapidis ad ostium monumenti revoluti, de quo lapide patuit supra fol. 102. B.

Ecce, illa est dominici monumenti descriptio, prout hodie stat; et haec doscriptio ad oculum patet in peregrinali, quod fecit magnificus et ingenuus vir, Dominus Bernhardus de Braitenbach, decanus metropolitanae ecclesiae Moguntinensis, qui fuit comes meae secundae peregrinationis, in quo artificiali effigiatione fecit figuram dominici monumenti depingi, sicut et alia, ut patebit. Receperat enim secum ingeniosum et eruditum pictorem, quem pretio conduxit, qui a venetiano portu et deinceps potiorum civitatum et locorum habitudines et formas figuraret, quod et magistraliter et proprie fecit. Cui ergo

placet, eandem picturam inspiciat, et praefatam descriptionem clare intelliget.

Hoc dominicum monumentum in medio ecclesiae resurrectionis dominicae stat, sicut in die parasceves in ecclesia parochiali civitatis ulmensis sepulchrum ponitur. Sed ecclesia sancti monumenti est rotunda, et supra operta, ut patebit.

Tria quodammodo habet ostia sanctum sepulchrum. Primum est in atriolo, mihi spelunca prima, quod atriolum habet murum, non altiorem, nisi quod homo intus existens potest super ventrem jacere in muro, et per ecclesiam circumspicere. (B) Unde aliquoties super ipsum murum sedi, et merces negotiatorum in pavimento inferius perspexi. Verum introitus in atriolum non est prope ostium, quia super caput ingredientis nihil est, cum careat superiori limine. Sed inter duos muros se respicientes est ingressus, qui, si essent altiores, et limen superponeretur, ostium fieret. Secundum ostium est de atriolo in primam speluncam monumenti. Et hoc ostium janua clauditur et seris obfirmatur. Hujus ostii claves iam habent latini fratres minores; ante paucos annos Georgici eos habebant. Tertium ostium est de illa capella, vel prima spelunca, in secundam speluncam, in qua est dominicum sepulchrum. Haec spelunca nullam habet fenestram, nec lumen in ea est, nisi quod ab lampadibus XIX in ea ardentibus habet, quae pendent super sarcophagum Domini, et quia spelunca angusta est, causatur ab igne lampadum fumus et foetor, qui valde turbat intrantes et moram in ea facientes. Ardent etiam multae candelae super sepulchrum, quas ponunt peregrini pro devotione eorum. Unde ex fumo lampadum et candelarum denigrata est superficies interior ex toto, quae tamen vestita est candido et polito marmore per totum scilicet pavimentum parietis et arcus. Et tantum de illo.

Quid sentiendum sit de sepulchro illo Domini, an sit suum verum et proprium, vel an sit aliud postaedificatum?

Tertio videndum est, anillud monumentum et illud sepulchrum, de quo iam dictum est, sit idem, in quod Dominus fuit positus, de quo et eum resurrexisse credimus? Et hic articu-

lus majoris difficultatis est. Circa ejus determinationem dicam ea, quae legi in antiquis et modernis peregrinalibus. Nollem enim ex propriis quicquam temere asserere, quod devotionem ad dominicum sepulchrum posset tollere aut diminuere in Christi fidelibus. Porro, difficultas in hac re resultat ex diversis et differentibus sancti sepulchri descriptionibus antiquorum et modernorum. Venit etiam ex diverso statu civitatis Jerusalem et crebris ejus devastationibus, ex desiderio etiam et devotione ipsum sepulchrum visitantium et aliquid de eo reportare pro magnis reliquiis quaerentium. Ex vestitu etiam ipsius sepulchri ambiguitas surgit, cum nec intus nec extra, nec in monumento, nec in sarcophago quicquam appareat de rupe vera et petra, sed totum, ut patuit, est candido et polito marmore vestitum et ornatum, quod ab initio non fuit. Videamus ergo, quid alii de hoc sentiant, et quod magis rationabile est, imitemur.

Quidam Sanctus, dictus Alculfus, qui visitavit dominicum sepulchrum et longe ante tempora latinorum regum Jerusalem, ut mihi videtur, in Jerusalem fuit, antequam post Eraclium imperatorem civitas sancta esset per Sarracenos capta, hic in suo libello sic dicit. In spatio medio rotundae interioris ecclesiae rotundum inest in una eademque petra excisum tugurium, in quo possunt homines stare et orare, et a vertice arcus non brevis staturae hominis usque ad illius domunculae cameram aut arcuaturam pes et semipes mensura in altum extenditur. Hujus tugurioli introitus ad (**128 A**) orientem respicit, et totum extrinsecus electo marmore tegitur, cujus summum culmen auro ornatum auream non parvam sustentat crucem. In hujus tugurii aquilonari parte sepulchrum Domini in eadem petra excisum habetur intus, sed pavimentum humilius est loco sepulchri. Hoc tugurium nullo intrinsecus ornatu tectum est, sed per totam ejus cavaturam ferramentorum ostendit vestigia, quibus dolatores in eodem usi sunt opere. Color vero illius ejusdemque petrae, monumenti et sepulchri duo permixti sunt, rubeus et albus, inde et bicolor eadem ostenditur petra. Insuper hoc sepulchrum simplicem facit lectum capacem unius hominis, super dorsum jacentis, in modum speluncae introitum habens ad australem monumenti partem

respicientem e regione, culmenque humile desuper eminens fabricatum. In quo sepulchro duodenae lampades juxta nomina XII apostolorum semper die ac nocte ardentes lucent. Haec ille, et plura alia scribit praefatus se vidisse, quae ostendunt eum ante mille annos terram sanctam vidisse. Et valde placet mihi illa descriptio, quia multum concordat cum descriptione venerabilis Bedae, quod patet fol. 126 A.

Quidam alius peregrinus, qui anno Domini 1200 dominicum sepulchrum vidit, dicit sic. Spelunca, in qua est sepulchrum Domini, est exterius undique tecta marmore, sed interius est rupes nuda, sicut fuit tempore passionis Christi. Si ille intelligit per hoc, quod dicit speluncam esse totam exterius tectam marmore totam superficiem speluncae ab extra et ab intra, tunc erat spelunca sicut hodie est. Si vero vult dicere, quod solum superficies partis exterioris fuerit tecta marmore, et interior nulla sit, concordat cum praecedenti descriptione. Et ita credo eum sensisse.

Alius quidam peregrinus sic dicit. Capella sancti sepulchri est testudinata in modum semicirculi, nullam habens fenestram, et in ea est sepulchrum, quod est de integro lapide excisum, sed ne a peregrinis rodatur, est tabulis marmoreis vestitum, et tabula anterioris partis habet tria foramina, per quae verum saxum sancti sepulchri tangi et deosculari potest. Est tamen tabula adeo artificialiter lapidi adjuncta, quod unus lapis esse putatur. Et idem dicit: credo, quod in nulla ecclesia de vera petra sepulchri Domini habeatur. Si enim, inquit, per petias et grana posset deportari, dudum deportatum fuisset, etiam si magnus mons fuisset. Idem etiam vult, quod nullae lampades in sepulchro ardeant, nisi tempore, quo peregrini ibi morantur, qui oleum emunt etc.

Peregrinus alius fuit anno MCCCXXX. in dominico sepulchro, qui ad instantiam cujusdam Cardinalis intraverat, ut rem consideraret, et modo dicto describit sanctum sepulchrum, haec adjungens. Advertendum est, inquit, quod monumentum illi sanctissimo loco superpositum non est illud, in quod corpus Christi exanime primitus fuit positum, quia sacro testante eloquio monumentum Christi erat excisum in petra una, sicut antiquorum monumenta sunt in illis regionibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Illud vero ex pluribus petris est compositum, caemento conglutinatis, non multum artificialiter, nec est ibi aliquid de vero sepulchro, nisi in parte sinistra eminet de muro domunculi unus lapis grossus, ut caput hominis, et albus, septem palmis a terra elevatus, et hunc peregrini deosculantur pro reliquiis veri sepulchri Christi. Haec ille.

(B) Novissime peregrini ingressi contraria in suis libellulis referunt, et quilibet hoc, quod sibi videtur, conatus est ita tradere, quia non sit fas alicui contradicere. Quidam dicunt, quod sub tabulaturis marmoreis sit adhuc integra monumenti et sancti sepulchri petra, quamvis minime videatur. Alii dicunt, quod nemo pro certo sciat vel possit asserere, sub tabulaturis esse petram veram vel non. Alii manifeste asserunt, quod non manserit ibi de petra vera in quantitate grani milii. Et ad hoc allegant plures rationes. 1) Malitiam paganorum, qui tanto odio in Christianos inardescunt, quod nihil eorum, quae Christiani diligunt aut venerantur, incorruptum derelinquunt. Sciebant autem sepulchrum Christi nobis esse venerabilissimum, ideo majori furore in eum exarserunt, et discerpserunt. Sciebant insuper, quod stante sepulchro illo Christiani semper anhelarent ad rehabendam civitatem Jerusalem, sed eo deposito minus curarent de ea, ideo nihil ex eo ibi reliquerunt. Saepe etiam multo tempore fuerunt a Christianis vexati et impugnati et fugati ipsi Sarraceni, qui dum etiam victoria potirentur, et Christianos expugnarent, injurias et vexationes perpessas prius a Christianis vindicaverunt in sancto sepulchro, ipsum destruentes, et ecclesiam sancti sepulchri devastantes in Christianorum despectum. 2) Alia ratio assignatur, quare nihil de sancto sepulchro in loco remanserit. Cum enim Christiani ultima vice victi a Sarracenis cogerentur Jerosolymam tradere eis et emigrare, hanc traditionem tali conditione et pacto fecerunt, ut exire dimitterentur salva vita et omnibus rebus, quae asportari possent. Et ita Sarraceni consenserunt, ut emigrarent a Jerusalem, et omnia, quae vellent, secum asportarent. Tunc patriarcha hierosolymitanus cum omni clero suo, et rex Jerusalem cum omni militia civitate sancta emigraverunt, in qua transmigratione creditur omnia tulisse usque ad fundamenta, quae sancta

reputabant, inter quae dominicum sepulchrum praecipuum erat, quod nullatenus ibi gentibus conculcandum dimiserunt, Cum etiam nunc fideles illa loca visitantes de petiis et terra, quantum possunt auferre, tollunt, et si possent, totam terram asportarent, ne a porcis illis conculcaretur. Et nemo dubitet de illo, si possibile esset locum sancti sepulchri removere, dudum ipsum transtulissent, quanto magis petram, quam deportare possunt in particulis. Alia ratio, quare dicunt nil remansisse de sancto sepulchro, est indiscreta devotio fidelium, qui propter nullum praeceptum nec prohibitionem dimittunt, quin de locis sanctis tollant particulas, si possunt. Et ex hoc argumento dudum petram sancti sepulchri deportatam.

E contrario rationibus praefatis alii opponunt, dicentes ad primam de malitia infidelium, quod numquam adeo fuit ferox, ut in sanctum sepulchrum saeviret, Deo et angelis id custodientibus, ut dictum est supra fol. 122 B. Et de immanissimo tyranno Cosroe legitur, quod dum Hierosolymam incendisset, et ad templum sancti sepulchri accederet, ut ipsum dissiparet, perterritus fuit ante ecclesiam, ut festinus ab ea recesserit, nec ad sepulchrum dominicum venire (**129 A**) potuit. Sciebant etiam, quod sepulchro manente Christiani nullis expensis parcerent, sed ipsum visitarent, a quibus pecunias multas pro theloneo habere possent, et pro intromissione in dominicum sepulchrum aurum et argentum praeberent. Ideo ratione quaestus et utilitatis servaverunt sanctum sepulchrum, Deo in ipsis amorem pecuniae augmentante, ut servaretur suum sepulchrum. Nec credendum est, quod Sarraceni a Christianis vexati vindictam in sancto sepulchro et ultionem quaererent cum tanto eorum detrimento. Hoc potius credo, quod ipsum stare permiserint, ut Christiani benigniores ad eos essent, quia valde timent eos. Insuper non videtur rationi consonum, quod fideles emigrantes a Jerusalem tulerint inde dominicum sepulchrum, cum sit petra integra, de visceribus terrae excrescens, et si raserunt petram, quaero, quo portaverunt saxa abrasa? Numquam vidi in aliqua ecclesia lapidem de sancto sepulchro in quantitate unius digiti, et tamen fui in multis et praecipuis ecclesiis orientis et occidentis. Nec intelligendum est, quod omnes Christiani fuerint

expulsi de Jerusalem, sed tantum latini, cum quibus agebatur bellum, et non alii orientales. Expulsis autem latinis orientales confoederati et jurati Soldano sepulchrum Domini possederunt, ut patebit. Imo, nec omnes latini ab Hierusalem migraverunt, sed plures manserunt, jungentes se Sarracenis, quos Papa excommunicavit. Legimus etiam, quod Christiani victi a Sarracenis, antequam de Jerusalem egrederentur, convenerant cum iis, ut peregrinos advenientes de latinis intromitterent. In quod libentissime consenserunt. Et ideo Soldanus consuetam eleemosynam, quam rex Jerusalem per singulos dies dare solebat peregrinis, in hospitali sancti Johannis existentes, solvebat eo modo, quo rex Jerusalem fecerat. Ideo nihil est de asportatione Sancti sepulchri. Verum est tamen, quod legimus, templum sancti sepulchri fuisse aliquando dissipatum, et etiam ipsum sanctum sepulchrum, numquam tamen ex toto fuit erutum. Hujus rei experientiam talem accepi. Accepi candelam accensam in ecclesia sancti sepulchri, dum in ea vigilarem, et ad dominicum monumentum accessi, curiosissime perscrutans, an aliquid non marmore tectum possem videre, et ab extra per circuitum totum inveni marmore tectum. Ingressus per primum ostium anterioris capellae parietes utriusque lateris marmore vestitas inveni, sed parietem ante faciem meam, qui dividit speluncam anteriorem ab interiore, in quo est ostiolum ad dominicum sepulchrum, nudum inveni, et adhibito lumine petraeam parietem vidi, non quadris compositam, sed integram, in qua instrumentorum ferreorum signa manifeste apparent. In superiori tamen parte videtur ruptura fuisse, quae lapide et caemento est resarcita Ex quibus videbatur mihi, quod dominicum sepulchrum fuisset aliquando destructum, sed numquam ex toto erutum, et jam stat reparatum, et sicut hodie stat, ita stetit plus quam ducentos annos, nisi iam est diligentias marmore vestitum, ne peregrini de parietibus lapillos eruant pro reliquiis, et propter eandem causam (B) deposita fuit a sancto sepulchro tabula cum tribus foraminibus, de quo supra habetur, quia peregrini foramina cum instrumentis ferreis forabant ad accipiendum aliquid. Quamvis peregrini semper conati fuerint recipere particulas de sancto sepulchro, numquam tamen ad-

missum est eis, sed alii lapides porriguntur loco verae petrae. Semper enim assunt dominico sepulchro custodes, qui prohibent corrodere volentes. Ideo non valet, quod illi dicunt de indiscreta devotione fidelium, qui, et si habeant illam indiscretam devotionem, tamen non admittitur eis, ut indiscrete agant.

Ex praedictis etiam patet, quod dominicum sepulchrum in principio habuit partem superiorem acutam, ita, quod quasi operculum esset, tegens tumulum cum dorso acuto, sicut fieri solent tumulorum opercula, sed fideles abraserunt illam elevationem, et operculum planum fecerunt, quasi tabulam, ut Missa in sancto sepulchro super tumbam posset celebrari.

Ex omnibus jam dictis de sancto sepulchro hoc teneat devotus peregrinus et pacificus, quod, sive illa spelunca, quae hodie stat, sit verum Christi monumentum et totum, sive sit pars ejus ibi, sive nihil sit ibi de eo, parum refert, sive hoc sive illud sit, quia principale ibi mansit, quod asportari et demoliri nullatenus potest, scilicet locus sanctissimae sepulturae et resurrectionis Christi, in quo loco, etsi non sit ibi Christi monumentum, in quo corpus ejus fuit positum, est tamen ibi Christi moumentum, in quo corpus ejus saepissime fuit consecratum, et priori monumento simillimum, spelunca duplex, ejusdem sanctitatis, dignitatis, et reverentiae; sicut tabulae, quas fecerat Moyses ad instar priorum, quas fregerat, eadem praecepta continebant, et ejusdem sanctitatis et reverentiae erant pro maximis et sanctissimis reliquiis in arca testamenti repositis. Et illa sufficiant de sancto sepulchro.

Reperi in quibusdam antiquis peregrinalibus libellis sequentes versus, quos invenerunt lapidibus sancti sepulchri insculptos, quam tamen scripturam ego non vidi.

Super tabulam sepulchri sic erat scriptum:
Mortuus hic jacuit, mortem dum morte redemit,
Hic leo dormivit, qui pervigil omnia trivit.

Super ostium monumenti sic scriptum erat:
Aspice plasma meum, qui transis ante sepulchrum
Quo triduo jacui, cum pro te passus obivi,
Et Behemoth dirum contrivi compede plexum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vectibus et tetri confractis prorsus Averni
Abstulit inde suos secum super astra locatos.

In rotunditate S. sepulchri sic erat scriptum:

Vita mori voluit et in hoc tumulo quievit,
Mors quia vita fuit, nostram victrix abolevit.
Nam qui confregit inferna, sibique subegit,
Ducendoque suos fortis dux ipse cohortes
Atque triumphator hinc surrexit leo fortis,
Tartarus inde gemit, et mors lugens spoliatur.

Dispositio montis Calvariae ejusque brevis delineatio.

Mons Calvariae post sanctum dominicum sepulchrum tenet in dignitate et sanctitate locum secundum. Ideo quamvis supra fol. 117. B. ejus descriptio habeatur, hic tamen propter ordinem et quaedam alibi omissa rememoratur. Pro quo notandum, quod mons Calvariae, vel Golgatha, locus est ad septentrionalem plagam montis Sion, et est differentia, quando dicitur mons Calvariae, et scopulus vel rupes Calvariae. Mons Calvariae continet magnam civitatis partem. Locus Calvariae est tota platea, continens totum templum. Rupes Calvariae continet tantum Christi crucem et latronum. Mons Calvariae dicitur tota illa altitudo, quae est a porta veteri, cujus pars adhuc stat, usque sursum ad ecclesiam sancti sepulchri. Est enim ascensus satis longus ab illo bivio, ubi Christus dixit mulieribus flentibus: filiae Jerusalem, nolite flere super me etc., usque ad locum crucifixionis, et superius est latitudo satis magna, in qua totum templum sancti sepulchri consistit, quod totum est mons Calvariae sive Golgatha, et illo modo ecclesia sancti sepulchri jacet super montem Calvariae. Sed rupes Calvariae est locus sive monticulus, in quo crux dominica cum Domino et duobis latronibus stetit, ut ante habitum est. Ad hanc rupem sanctissimam sunt tres ascensus. Primus est de ecclesia golgathana, a loco, ubi est medium mundi; secundus est ab inferiori ecclesia sancti sepulchri; et tertius est ab atrio templi exteriori. Et hunc ascensum Sarraceni obstruxerunt, sicut et alia templi ostia, ne quis sine eorum scitu posset in ecclesiam venire. Est ergo rupes Calvariae petra crucis; et mons Calvariae tota altitudo a domo

divitis epulonis, sive a bivio praefato sursum; nec est imaginandum, quod mons Calvariae sit altus locus, supereminens alios in circuitu, quia tam ad occidentem quam ad meridiem sunt altiora loca, quam ipse sit. Sed dicitur mons respectu locorum illorum, a quibus est ascensus ad eum, ut dictum est. Et tantum de illo. Plura vide de hoc monte fol. 115 et sequenti, et fol. 255.

Descriptio ecclesiae sancti sepulchri et ejus dispositio.

Ecclesiam sive templum sancti sepulchri descripturi videbimus quatuor. I. Quis eam fundaverit? II. Quantae gloriae et honoris olim fuerit? III. Qualis nunc sit? IV. Qui sint eam inofficiantes et differentiae eorum, qui in ea Christum colunt. Et ex his quatuor resultabit ejus plenaria descriptio, et per consequens ejus cognitio.

(B) Quis fundator fuerit ecclesiae sancti sepulchri, et quoties destructa et reparata fuerit.

Templum dominici sepulchri quis aedificaverit ambiguum est propter varietates de hoc loquentium. Aliqui opinantur, quod illa ecclesia fuerit templum Veneris, quod Helius Adrianus imperator super locum crucifixionis et resurrectionis exstruxerat, et Sancta Helena superveniens idola ejecit, et domum Christo dedicavit.

Aliqui dicunt, quod templum praefatum funditus evertit, et ecclesiam illam erexit. Legimus etiam in libris bellorum Christianorum et Sarracenorum, quod templum sancti sepulchri saepe per infideles fuit eversum, et per fideles reerectum. Cosdroë hoc templum conabatur evertere, sed territus divina virtute fugit ab eo. Dum autem Tartari sanctam terram et Jerusalem occuparent, capta civitate templum sancti sepulchri dicuntur evertisse. Sed non multo post imperator constantinopolitanus venit in Jerusalem, et templum reaedificavit eo modo, quo prius fuerat. Post hoc Sarraceni furentes in Christianos ultionem in templo sumserunt, et templum everterunt funditus. Sed quidam imperator constantinopolitanus reerexit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Et de his quaere veritatem luculentam fol. 264. B., ubi habetur etiam locus crucifixionis et sepulturae.

Quam gloriosum olim fuerit templum S. sepulchri, et de reliquiis ejus ac ornatibus.

Gloriosum valde fuit hoc templum olim structura et cultura, et non solum sanctum propter sancta loca in eo conclusa, sed propter reliquias pretiosissimas in eo reservatas. Ibi olim erat recondita S. crux, ut patet supra fol. 111 A., et alia insignia passionis Christi per sanctam Helenam reperta. Ibi ostendebatur catena quaedam magna, quae Domino Jesu in horto, dum caperetur, ad collum fuit posita, et peregrinis advenientibus etiam ponebatur ad collum, et multae virtutes fiebant per eam. Ibi etiam habebatur calix argenteus magnus, de quo Dominus Jesus in ultima coena communicavit discipulos, de quo dicit: hic calix novum testamentum est in meo sanguine, Luc. 22. Ibi etiam erat pelvis, in quo Dominus Jesus pedes suorum discipulorum lavit in ultima coena. In hac ecclesia fuit illud pretiosissimum sudarium, quod beatissima virgo Maria circumligavit capiti Domini Jesu, cum de cruce deponeretur, ut dictum est supra fol. 117. De hoc sudario habetur Joh. XX., quod Petrus intrans in monumentum vidit linteamina posita et sudarium, quod fuerat super caput Jesu non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum, et mansit ita jacens in sepulchro per aliquot dies post Christi resurrectionem. Quidam autem Judaeus, volante fama de resurrectione Christi, occulte sepulchrum Domini est ingressus, et videns sudarium pulchre involutum tulit illud in domum suam, quia pauper et infelix Judaeus erat. Ex ea autem hora, qua sudarium (**131 A**) in domum suam intulit, benedixit Dominus domui Judaei, et factus est dives et inclitus. Hoc ut Judaeus perpendit, sudarium sanctum diligentissime inclusit, tanquam thesaurum pretiosissimum, nec tamen ad Christum conversus, sed inveteratus ad extrema pervenit, et convocatis duobis filiis suis, divisit illis substantiam, dans seniori sudarium, et juniori omnia alia. Senior autem sprevit sudarium, quanquam pater cunctis opibus diceret esse nobilius, et cum fratre suo mutavit, et sudarium juniori cessit, qui

fortunatissimus mox effectus est, et frater ejus e contrario in dies defecit. Cum autem et ipse haeres sudarii in extremis ageret, suo dilectiori filio derelequit, dicens sibi virtutem ejus, et ubi repertum fuisset. Qui accepto sudario subito ditatus est, et ita Judaei de ista linea magis facti divites et honorati. Et transivit sudarium haereditario jure de uno ad alium multis temporibus usque ad quintam generationem, in qua facta fuit contentio inter fratres de sudario, et res in publicum venit. Hoc audientes Christiani instabant pro sudario habendo, tamquam pro re sua, sed Judaei nullo modo dare volebant, unde facta est seditio magna in Jerusalem, insurgentibus Christianis contra Judaeos pro sudario. Unde ad sedandam seditionem visum est prudentibus, ut judex illius rei et sententiator poneretur, qui nec Christianus nec Judaeus esset et in ejus sententiam ambae partes consentirent. Quod cum placuisset, advocatus est Mabius, rex Sarracenorum, ut ferret sententiam de sudario, et omnia sunt sibi narrata a partibus. Qui statuto die, convocata omni plebe Christianorum, Judaeorum, et aliorum, in publica platea sedit cum tribunali, jussitque sibi apportari sudarium. Et allatum est ei in scrinio. Demum jussit apportari ligna, et copiosum ignem in medio accendi. Et stabant Judaei ab una parte rogi, Christiani ab alia, gentiles vero inter utrosque. Rex ergo accepto linteolo clamavit, dicens: nunc Jesu Nazarene, ecce sudarium tuum, Dijudica, cui parti debeatur. Et hoc dicto linteolum flammis injecit. Quo injecto, moramque aliquantulum faciente, cuncti ejus consumtionem suspicabantur. Sed ecce, subito illaesum de igne consurgens, et in altum sursum se tollens, quasi avis expansis alis volare coepit, et aliquamdiu per aerem circumvolans paulatim coepit descendere. Et stabant omnes suspensi vultibus, et elevatis manibus, exspectantes, cui parti advolare vellet. Angelo autem duce in brachia Christianorum consedit, qui flexis genubus illud susceperunt, et in ecclesiam sancti sepulcri cum magno gaudio portaverunt. Et mansit ibi multis annis in magna veneratione inter reliquias sancti sepulchri non minimum.

In super hanc sacram ecclesiam Dominus olim multis illustravit prodigiis, quorum illud fuit manifestum, quod semper sabbatho sancto paschae omni congregato vulgo et omnibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exstinctis luminibus, ita quod in toto templo non esset scintilla, mox (B) clero cantante et populo orante fulgur repente de coelo cecidit, et templum quasi igneum reddidit, adeo quod nemo ibi existentium intendere valuit in radium illum coelestem, quo radio cereus paschalis incendebatur, et omnes lampades et candelae. Hoc facto abcessit. Hoc miraculum multis annis contigit, et postquam cessavit, statim sepulchrum Domini in manus gentium evenit. Dicunt etiam, quod ultimo terra sancta recuperata ignis ille caelestis rediit, et cereum incendit. Sed ipso non veniente Christiani fuerunt repulsi. Est enim Christianis manifestum signum, si ignis ille paschalis apparuerit, quod digni sunt habitatores civitatis sanctae et possessores dominici sepulchri. Si non apparet, potentia eorum, etiamsi actu possideant, durabilis non est in terra sancta. Hodie Christiani, qui sunt in Jerusalem, omnes in vigilia paschae veniunt in templum, et Graeci includunt suum sacerdotem in monumentum Domini cum candela exstincta, quam cum magno clamore profert accensam, de qua omnes lampades accenduntur. Non autem miraculose accenditur, sed arte, quamvis simplex vulgus clamet in coelum, Deum laudans, quasi miraculum sit factum, et ita divulgant apud plebem, et etiam apud Sarracenos. Audivi pro certo, quod Sarraceni dicant, si Christiani ignem paschalem de coelo haberent, ut dicunt, nobis et de hoc certificarent, ad Christum converti essemus parati. Sed heu, signa nostra non vidimus, iam non est propheta, et nos non agnoscet amplius. Verum de illa miraculosa incensione ignis vel cerei paschalis nil loquitur Jeronymus in his, ubi eum legi, cum tamen valde pulchrum tractatum et epistolam scripserit elegantem de accensione cerei paschalis ad Praesidium, diaconum. Nec Gregorius episcopus Turonensis, scriptor antiquorum miraculorum, illius ignis facit mentionem.

De hoc igne vide pulchra fol. 264. et seqq. Praeter ea, quae dicta sunt, fiebant in ecclesia olim collationes et disputationes contra haereticos, et convocati vel fidei rationibus vel miraculis vincebantur, prout Cyrillus in epistola ad Augustinum refert de convictis haeresiarchis in ea.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Forma ecclesiae sancti sepulchri, in qua jam stat, et ejus moderna descriptio hic habetur.

Ecclesia dominici sepulchri, qualis nunc sit, videre restat. Pro quo notandum, quod ecclesia illa est trinomina, quia est duplex, et quaelibet habet suum nomen, et totum etiam habet suam nomen.

Ecclesia, in qua monumentum Domini stat, dicitur ecclesia sancti sepulchri; ecclesia, ubi est medium mundi, juxta rupem Calvariae, dicitur ecclesia golgathana; ambae dictae ecclesiae simul dicuntur Anastasis, i. e. ecclesia resurrectionis Domini. Est autem in veritate non nisi una ecclesia, et navis, continens sanctum sepulchrum, dicitur ecclesia sancti sepulchri. Et chorus illius ecclesiae dicitur ecclesia golgathana, quae est in loco Golgatha. Est autem ecclesia grandis et pretiosa, et si nihil esset, nisi navis ecclesiae, in quo dominicum sepulchrum stat, faceret per se magnam ecclesiam secluso choro. Nam ecclesia illa, secluso choro, rotunda est, magnis columnis marmoreis per circuitum fulcita, habet autem per diametrum de columna ad columnam LXXIII pedes, et a tergo columnarum usque ad murum templi pedes XXX. Et illud spatium per gyrum se extendit, et transitum facit inter columnas et parietem templi sive murum cingentem templum. Hic transitus supra est testudinatus, quae testudo ab una parte dependet super columnas (**132 A**) praedictas, ab alia innititur parieti templi sive muro circulari. Super illam autem testudinem olim erat circularis transitus communis, et altaria, et juxta portam templi est ascensus per lapideum gradum ad superiora. Nunc vero sunt superius habitacula et chori, per intermedios muros divisi, in quibus Christiani de aliis ritibus sua officia peragunt. De columna vero ad columnam ducti sunt arcus, super quos ulterius murus in altum consurgit usque ad tectum, in quo sunt fenestrae, per quas de testudine circulari est respectus in ecclesiam, et super sepulchrum Domini. Porro, suprema pars illius rotundae ecclesiae non habet lapideam testudinem, sed ligneam de trabibus cedrinis fabrefactam, ita tamen, quod in loco culminis trabes a muro ascendentes inclinati contra se invicem conveniunt in circulo

magno, et aperturam rotundam faciunt, per quam lumen per totum templum spargitur, et directe sub ipsa apertura stat monumentum domini expositum coeli impressionibus. Ut patet supra fol. 127. A. Ipsae autem trabes et asseres ab exteriori parte versus coelum sunt plumbo tecti, interius vero sunt depicti coloribus, parietes vero sub tecto et sub arcus sunt de opere musaico, depicti cum figuris novi testamenti, sed propter vetustatem perit illa pretiosissima figura, nec est qui decidentia renovet. Per circuitum illius ecclesiae rotundae sunt multae capellae, ut patuit in processione. In ejus medio est monumentum dominicum. Ad orientem ejus est chorus magnus et pulcher, ad quem directe respicit ostium sancti sepulchri, et stat ostium contra ostium. In medio chori est rotunditas magna et alta, sursum camerata et testudinata supra locum, ubi est mundi medium, in cujus summitate ad extra est ascensus, ubi videtur in experientia ibi esse mundi medium, ut dixi supra fol. 117. B. Chorum illum Graeci tenent, et juxta altare est sedes patriarchalis marmorea, in qua antiquissimis litteris latinis est scriptum: Crucifixum in carne laudate, et sepultum propter nos glorificate, resurgentemque a mortuis adorate. Super locum vero, ubi crux fixa fuit, scriptum esse dicit Magister in Specul. hist. sic: o Theos, i. e. Deus. Basilevs imon i. e. rex noster. Pro aeonon. i. e. ante saecula. Ergase, i. e. operatus est, fecit. Sophias i. e. salutem. En meso i. e. in medio. Tisgis i. e. terrae. In hac ecclesia sunt supra et infra, extra et intra, multae capellae prophanatae, in quibus olim ardebant lampades, et fulgebant auro altaria et vitreis fenestris. Sed nunc lampades nullae, altaria diruta, et fenestrae obstructae et lapidibus obturatae. Major enim pars fenestrarum obstructa est lapidibus, et omnia ostia obturata sunt demto uno, cujus claves Sarraceni habent, per quod est ingressus. Ad occidentalem partem ascenditur per gradus ad quoddam ostium fortiter clausum, per quod Maria aegyptiaca conabatur ingredi, sed repulsa fuit, quousque se emendaturam devovit, ut patet in vitis patrum clare. (B) Propter fenestrarum et ostiorum obturationem est ecclesia tenebrosa, sed pavimentum totius ecclesiae est aequale, et de polito marmore, ita, quod etiam in tenebris ambulans non

offendit. In una parte ecclesiae extra murum est cisterna magna, optimas habens aquas, pro custodibus templi. Et ab alia parte est etiam exitus in quandam curiam non tecto opertam, et altis muris circumdatam, in qua sunt loca honesta ad opus naturae agendum. Haec ecclesia habet annexam turrim altam, de albo lapide marmoris erectam, in qua olim pendebant campanae, quarum ligna et trabes adhuc videntur superius, in quibus pependerunt. Sed perdita Hierosolyma campanas omnes dejecerunt, non enim sustinent campanas pagani de ritu Machometi, quia in Alcorano eorum praeceptum habent, quod non utantur campanis ad Dei servitium, nec sustineant. Et tamen dicitur, quod libenter pulsum earum audiant. Sed solum ideo non habent, ne nobis essent conformes. Quod maledictus Machometus ubique praecavit.

Haec turris prima apparet ante omnia, venienti de Bethania in Jerusalem, sicut saepe consideravi. Limen super ecclesiae ostium est de candidissimo marmore, et ab extra est sculptum imaginibus de ingressu Domini super asinam in Jerusalem; et de illo, quomodo ementes et vendentes ejecit de templo; et de resuscitatione Lazari. Veruntamen imagines sunt violenter destructae, et mutilatae membris. Super ecclesiae valvas fuerunt haec metra inscripta lapidibus, quae tamen ego videre non potui:

Anno milleno centeno quo minus uno,
Quindecies Nilo jam phoebi lumine tacto,
Vitae plus sacrae studio quam mitigare acre,
Jerusalem Franci capiunt virtute potenti.

Columnae marmoreae pretiosissimae stant in atrio templi, sustentantes limen, et porticum ornantes. Si quis autem cupit videre formam hujus templi, videat peregrinale magnifici domini et ingenui viri, Domini Bernhardi de Braitenbach, ecclesiae metropolitanae moguntinensis decani, et ibi depictam ejus effigiem adeo clare intuebitur, ac si in atrio ecclesiae staret et videret.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quomodo Anastasis est communis omnibus Christianis, et quomodo peregrini numquam intromittuntur, nisi dent tributum templi, et de modo ingrediendi templum, et de multiplici secta in templo.

Quarto et ultimo videndum est de inhabitantibus templum praedictum, et qui sint, qui in eo Officia sua peragunt, et circa hoc videbimus rem horribilem et monstruosam. Est enim modo (factum) hoc templum ad modum archae Noae, in qua omnium bestiarum, mundarum et immundarum differentiae, demtis piscibus. Sic et ibi nullus piscis, i. e. nullus aquis infidelitatis immersus, nullus idololatra, nullus Christum absolute negans, habet locum, nec in eo subsistendi locum inveniet, sicut nec (**133 A**) extra aquam. Sed solum Christicolae ibi manent, et hoc sive sint mundi fidei veritate, sive immundi haeretica pravitate, vel sive sint domestici catholica veritate, sive indomati et silvestres schismatica diversitate. Quaecumque enim gens Christum pro Deo colit, quocumque modo illud credat, sive credat coaeternum et coaequalem patri, sive non, creatorem aut creaturam puram, hominem verum aut phantasticum, passum aut non passum, mortuum aut non mortuum, sacramentorum vim, aut nullam, Papam esse vicarium Christi aut non, singuli reperiunt in templo hoc sibi similes, et ingredi sinuntur. Et si hodie aliqua gens veniret, adeo horribili haeresi infecta, ita quod nulli in sancta ecclesia illa eam ad sua Officia vellent admittere, Soldanus proprium chorum et habitationem eidem in illa ecclesia daret, etiam si crederet, Christum non fuisse hominem, sed bestiam, dummodo Christum dicat suum Deum esse. Nemo ibi excluditur, nullus repellitur; quicumque solvit Sarracenis tributum templi, pro ingressu quinque ducatos, ille ingreditur, quantumcunque immundus sit. Nec alicui Christiano templum aperiunt, nisi solutis quinque ducatis; et in hoc non parcunt nec fratribus montis Syon, quos non intromittunt, nisi soluto tributo; demto tempore, quo peregrini sunt in Jerusalem, cum quibus gratis intromittuntur. Et tempore absentiae peregrinorum non possunt mutare custodes templi, sed illi, qui cum

peregrinis intromissi fuerunt, et custodes deputati sancti sepulchri, manent semper usque ad adventum peregrinorum. Nec fratres positi custodes exire possunt, nec alii fratres intrare, nisi velint solvere tributum. Et si volunt mutare custodes, oportet solvere tributum.

Verum bis in anno patefaciunt valvas templi, et gratis omnes Christianos intromittunt. Scilicet in Parasceve usque ad secundam feriam paschae; et in vigilia inventionis sanctae crucis usque ad vesperas sequentis diei. Et in illis diebus est templum repletum viris et foeminis, de omnibus mundi regionibus, et est tumultus magnus et compressio prae multitudine. Et ibi tunc audiuntur omnia idiomata mundi, et forum pretiosissimarum rerum et cararum fit tunc in ecclesia. Demtis ergo praefatis duobus temporibus numquam nisi auro dato aperitur illa ecclesia. Non sicut erat olim, dum alia erant tempora. Sed catholici Christiani semper et omni hora intrare gratis poterant, nec admittebatur quovis modo haereticus aut schismaticus in illam ecclesiam, nec pro pretio, nec gratis. Sed capto sepulchro Domini captivi sunt peregrini, ita quod non possunt in Jurusalem quidquam agere, nisi quod placet Sarracenis.

Porro, ante paucos annos erat sic consuetudo, quod Sarraceni mane in ortu solis ecclesiam aperiebant, eosque usque ad vesperas inclusos retinebant, et in occasu solis ejiciebant. Et hoc fuit tolerabile. Sed hodie contrario modo fit, sero enim nobis aperiunt, et mane nos ejiciunt. Et hoc est multum durum et molestum, quia noctibus illis, quibus in templo sumus, parum aut certe nil quiescimus, et hoc propter crebram locorum sanctorum visitationem et circuitionem, et propter divinorum Officiorum continuationem, et propter ululatum et clamores mirabiles orientalium Christianorum, qui tota nocte ecclesiam clamoribus male sonantibus implent, et propter mercatorum negotiationes, et ultimo propter excessivam multitudinem pulicum (B), qui in pavimento undique saltant, et ubicumque homo ponit se ad dormiendum vel ad orandum, statim plenus est pulicibus, nec quiescere potest. Unde autem veniant nescio, nisi forte ex natura marmoris procreantur, vel custodes templi eos nutriunt et non occidunt. Post illos

autem nocturnos labores et inquietudines statim expulsis nobis de templo cogimur ad alia loca visitanda transire, et iterum laborare, et ita peregrini nimis attenuantur vigiliis, jejuniis, et laboribus, et vix conceditur eis tempus modicum manducandi. Et ideo gravis modus nunc est quoad hoc, quamvis aliis respectibus melius sit illud, quam aliud. Ego enim multo libentius vôlo per noctem esse in ecclesia clausus, quam per diem.

De diversis hominum generibus in ecclesia sancti sepulchri habitantibus.

Sicut diversitas creaturarum decorat universum et creatorem mirabilem et perfectum ostendit, sic diversitas gentium, morum, linguarum et rituum plurimum decoraret ecclesiam catholicam, et Redemtorem nostrum mirabilem et perfectum ostenderet, si inter illa odiosa perversitas gentilium, haereticorum, et schismaticorum minime invenirentur, quamquam etiam ex ipsis mirabilis Deus et perfectus ostendatur. Ecclesia sancti sepulchri pulchrior est cunctis ecclesiis mundi ex diversitate gentium in ea Deum laudantium, redditur tamen deformis et monstruosa ex erroribus horribilibus intrantium eam. Olim enim ingrediebantur Christiani de toto mundo, et omnibus linguis sine erroribus, sine perfidiis, sine superstitionibus Deum colere volentibus, et non intromittebantur excommunicati, schismatici, haeretici praescisi, quibus iam, heu, templum plenum est, quibus ipsa basilica sordet. Sunt autem VII differentiae Christianorum in hoc templo, quorum quaelibet habet suam propriam sectam, proprium ritum, proprium chorum, cum diversis erroribus et damnosis etiam in substantialibus fidei. De quorum erroribus longum nimis esset hic dicere. Si cui autem placet aliquid de his videre, legat peregrinale domini decani moguntinensis ecclesiae, quod loco sui confecit venerabilis sacrae theologiae professor egregius, Pater Martinus Röth, Conventus phorcemensis Ordinis Praedicatorum, qui, uti vir doctus, multa de erroribus habitantium in Jerusalem gentium accurate disseruit per longum in eodem peregrinali. Ego vero ad posterius nihil, vel parum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

de his tangam, sed tantum quae loca templi sancti occupent gentes illae, brevius dicam.

De Latinis catholicis.

Latini Christiani primi et veri catholici, qui a Sarracenis nominantur Franci, hoc templum inhabitant, et sunt orthodoxi fide, devoti professores, viri religiosi, fratres minores, qui Conventum habent, ut dictum est, in monte Syon, multorum fratrum, (**134 A**), XXIIII scilicet, vivuntque rub regulari sui Ordinis institutione, de eleemosynis devotorum peregrinorum illuc ex terris Christianorum venientium, et aliorum quorundam principum fidelium, qui sacrorum locorum devotione et pietate christiana moti annuas suas illis transmittere eleemosynas non negligunt. Nam felicis recordationis quondam dux Burgundiae Philippus censu annuo mille ducatorum subsidio, dum vixit, pro sua salute ad loca sancta contulit devotione ac fratrum Deo ibi servientium sustentatione. Quod et filius ejus Carolus, dum fuit in humanis, etiam fecit. Sed et successor ejus modernus, Dominus illustrissimus et victoriosus, dux Austriae et Burgundiae Maximilianus, nunc recenter rex gloriosissimus Romanorum creatus, ipsum idem suorum imitatur exemplum praedecessorum in ducatu Burgundiae, transmittens fratribus consueta subsidia. De his fratribus et eorum Conventu vide in visitatione locorum montis Syon inter septa monasterii, sub die XIII. hujus mensis, et singulariter fol. 96. B. et fol. 108. B.

Hi fratres loco Latinorum omnium ponunt ad minimum tres de suis in ecclesiam sancti sepulchri, sanctissimi monumenti custodes, qui die ac nocte ibi manent et totum corpus ecclesiae romanae et latinae repraesentant, quibus fratres montis Syon necessaria per foramina portae ecclesiae porrigunt. Habent autem in ipso templo potissima et sanctissima loca. Nam claves dulcissimi Domini Jesu sepulchri et speluncae ipsi habent, ipsumque aperiunt et claudunt, cui volunt, et in eo Missas celebrant, quando placet. Nec audent sacerdotes aliarum sectarum in eo celebrare, nisi de Latinorum expressa requisitione et licentia. Qualiter autem haec tam

insignis potestas super sanctissimum Domini monumentum ad nos Latinos devenerit, longum esset dicere. Non multum tempus est elapsum, quod Georgici dominabantur et regebant dominicum sepulchrum. Et est mirum, quod alii Christiani aliarum sectarum sustinent Latinorum potestatem, cum de nulla secta sub religione christiana tam pauci habitent in Jerusalem, sicut de Latinis, et dum sint magis difformes vita, moribus, vestitu et lingua ipsis Sarracenis, quam quicunque alii Christiani. Insuper inter lampades, quae semper ardent in sancto sepulchro tres sunt Latinorum, quas nutriunt oleo et igne; reliquae sectae nutriunt alias XVI. Habent etiam Latini capellam beatae Virginis, de qua supra fol. 110. B. Et ibi celebrant, et horas suas perficiunt in ea. Et retro capellam habent locum amplum pro dormitione, coctione, commestione, et naturae exoneratione. In illa capella tres nutriuntur lampades ardentes. In monte Calvariae habent Latini proprium altare, et tres lampades super rupem crucis Christi ardentes. In loco inventionis crucis Christi habent altare unum, et unam lampadem ardentem in specu, ubi crux Christi inventa fuit. In loco (B) inunctionis corporis Domini de cruce depositi habent unam lampadem ardentem.

Cum Latinis adhuc communicant Bohemi in Jerusalem, et quando ad loca sancta veniunt, cum Latinis manent, et a Latinis divinae percipiunt, quamvis a romana ecclesia discesserint, et haereses in dies magis et magis crescant. Sed et Glagolae nobiscum sunt, quamvis Missas latinas non legant sed in sua materna lingua, quia ordines sacros Romae percipiunt, nec sunt haeretici.

Graeci quid habeant in templo sancti sepulchri.

Graeci habent praecipuum sanctae ecclesiae illius locum, chorum et caput totius Anastasis. Hi Graeci in primitiva ecclesia fuerunt celebres et famosi in fide, praeclaras civitates et insignes ecclesias quatuor patriarchales, Antiochenam, Jerosolymitanam, Alexandrinam, et Constantinopolitanam, per multa tempora sub ecclesiastica obedientia possidentes. A qua tandem

recedentes in errores pessimos ceciderunt usque in blasphemiam spiritus sancti, et contra sacramentorum ritum, et contra ecclesiae romanae potestatem. Aliquotiens autem rationibus convicti ad ecclesiae gremium redierunt, sed XII vicibus relapsi nun cobstinati cum Turcis et Sarracenis vivunt, et Latinos, si quo modo possunt, sine misericordia persequuntur. Nunquam Turci et Sarraceni tantum crevissent, si illi Graeci proditores non fuissent. Orientales alii Christiani dudum reducti ad ecclesiae unitatem fuissent, et hodie reduci possent faciliter, si Graeci infidi et superbi non obsisterent, et reductos seducerent. His tamen malis non obstantibus ecclesiam illam sanctissimam sepulchri dominici ingredi praesumunt, et qui malitiae caput sunt, caput ecclesiae injuste sibi usurparunt, et chorum cum altari summo possident hodie, et multas lampades ante altare acensas servant. Habent etiam carcerem Domini, de quo dixi fol. 112 A., in quo unum habent altare cum una lampade ardente. In monte Calvariae duo habent altaria, quia Georgici, qui ipsum montem possident, sunt de secta eorum. In capella S. Helenae sub terra habent unam ardentem lampadem. Locum etiam divisionis vestium Christi habent, et in eo altare et unam lampadem. Et tantum de illis.

Georgici, quales Christiani sint, et quae loca habeant in ecclesia sancti monumenti.

Georgici, qui et Nubiani dicuntur, et Christiani de cinctura ut in plurimum vocantur, sunt de remotis valde partibus a terra sancta, viri bellicosi, qui etiam mulieres ad bellandum instruunt. Hi Christiani sunt, sed per omnia erroribus depravati, sicut Graeci. Possident autem in templo sancti sepulchri montem Calvariae, et semper juxta rupem sanctam habent, custodem ibi inclusum. Hunc locum sanctum non diu habuerunt, sed tantam ab annis XV. Obtulerunt enim regi Aegypti, Soldano, munera, qui inde ejecit Armenos et (**135A**) induxit Georgicos. Habent etiam locum et specum inventionis sanctae crucis, et tres in eo lampades, quas tamen raro accendunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Habent etiam capellam sub monte Calvariae, in qua reges Jerusalem latini sunt sepulti. Ut patuit supra fol. 117 A.

De Jacobitis haereticis.

Jacobitae sunt etiam in templo, et possident in suis terris multa regna orientis. Sunt autem singulares heretici, in multis damnabiliter errantes. Circumcisionem servant; et pueros ad ubera matris pendentes sub utraque specie communicant; et circa Christi humanitatem multipliciter errant. Hi habent parvam capellam annexam dominico monumento, in qua habetur altare et lampades. Locum etiam inunctionis Domini possident, in quo VII habent lampades ardentes.

De Christianis de India, Abissinis.

Abassini, sive Christiani de India, sub abbate degentes, templum nostrum sancti sepulchri etiam possident. Sunt autem vitae valde austerae, pauperes, et multorum errorum. Laici eorum studiose ad Missam conveniunt in solennibus, et tunc omnes utriusque sexus incipiunt altis vocibus jubilare, saltare pedibus, plaudere manibus, conglobantes se in circulis ibi sex vel septem, ibi novem vel decem, et interdum per totas noctes sic canunt, potissimum in nocte resurrectionis Christi, qua non cessant canere et cursitare, donec illucescat, et ita ferventes sunt hoc agentes, quod multi propter labores illos infirmantur. Et quamquam ista faciant et observent, tamen perniciosis erroribus infecti sunt, et haeretici abhorribiles ecclesiae sanctae. Accipiunt enim cum Judaeis, Sarracenis et Jacobitis inutilem, imo damnabilem circumcisionem, et adurunt ferreo ignito calamo suos parvulos in facie, nec baptismum aquae curant recipere. Hi possident capellam, in qua sub altari lapis stat, super quem Dominus sedens spinea corona fuit coronatus, in qua habent lampadem et altare. Porro, capella eorum cum altaribus, in qua cottidiana sua Officia peragunt, est ad sinistram partem, circa ingressum sancti sepulchri, inter columnas templi sagis et mattis et aliis velis loco parietum circumdata, et sunt ad funes suspensa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De Christianis de Syria, Surianis.

Suriani, qui et Syri, Christiani sub diversis gentilium principibus in servitute misera degunt, et sunt infecti erroribus Graecorum, quos imitantur, haeretici, et homines falsi, dolosi, fures, zelotypi in uxores, sicut Sarraceni. Hi etiam nobiscum sunt in templo sancti sepulchri, et possident capellam sanctae Helenae, ibi sua Officia peragentes. Morantur autem ad latus Indianorum in tabernaculo velis circumdato et caetera.

(B) De Christianis Armenis, quales sint?

Armeni etiam in hac sacra ecclesia nobiscum sunt, ab Armenia venientes, es sunt Graecorum implacabiles inimici, nec tamen cavent errores eorum, nec eis carent. Dum enim conficiunt, aquam vino non apponunt, ut Graeci; sextis feriis carnes manducant; et diem nativitatis Domini colere nolunt; sed ipsi jejunant pro eo, quod ad nostras miserias illo die natus est Dominus; diem autem Epiphaniae solenniter celebrant, propter baptismum Christi, in quo dicunt esse festum spiritualis nativitatis Christi. In quo etiam errant. Hi Armeni, ut dictum est superius de Georgicis, habuerunt montem Calvariae, sed eo amisso emerunt a Soldano locum in superiori templi ambitu, et ibi chorum consecraverunt, et habitacula fecerunt. Sunt autem Armeni minus nobis difformes quam quicumque alii praefati. Porro audivi, frequenter esse quosdam Armenos, qui nullos habent sacerdotes, nisi fratres Praedicatores, qui sunt eorum episcopi curati et sacerdotes, et sunt optimi catholici, quos quidam frater Ordinis ad fidem convertit, et Summam S. Thomae in eorum linguam transtulit, et alios libros catholicorum doctorum. Solent illi Armeni pro tempore visitare generalem magistrum Ordinis Praedicatorum, et se filios suae obedientiae exhibere, et sepulchrum beati Dominici patris nostri visitant in Bononia cum multa devotione. Hoc audivi a multis fratribus, qui eos viderunt et audiverunt loquentes cum Generali, modo quo poterant, quia latina lingua carent et italicam ignorant.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Praefatae Christianorum gentes manserunt in Jerusalem, quando capta fuit civitas a Sarracenis; et expulsi Latini, patriarcha et rex Jerusalem cum omnibus suis, et tradita fuit illis Christianis ecclesia sancti sepulchri, ita tamen, quod loca in ea, quae placerent, emerent. Quod et fecerunt. Et facta est in templo hoc sancto confusio commixtae multitudinis ab anno Domini MCLXXXVII. die 11. Octobris, et manserunt praedictae gentes omnes, demtis Latinis, in Jerusalem, servientes Sarracenis sub tributo. Stetit autem civitas sancta multis annis sine latinis Christianis, quousque Robertus rex Siciliae multo auro comparavit a Soldano loca sancta aliqua, et ea fratribus minoribus tradidit, qui ea possident usque in hodiernum diem. De his vide supra, fol. 108.

Porro praeter gentes jam numeratas sunt plures extra fidem Christi in Jerusalem, ut Sarraceni, Judaei, Turci, Samaritani, Mamaluci, de quibus omnibus luculenter tractat saepe dictus magnificus dominus Bernhardus de Braitenbach, qui nullis parcens sumtibus pro ordinata compositione sui peregrinalis sive itinerarii induxit venerabilem magistrum, illuminatum theologum et ornatum rhetorem, videlicet patrem Martinum Roth, Ordinis (**136 A**) Praedicatorum, quod praefati domini itinerarium ornato et compto stilo composuit, et gentium diversitatem habitantium in Jerusalem cum erroribus et perversitatibus et moribus clare descripsit, reprobans errores et utilissimas doctrinas theologicas tradens cum solutionibus multarum difficultatum. Conduxit etiam pretio eruditum virum, Erhardum Rewich, subtilissimum pictorem, qui portus maris et civitates et terrae loca, et praecipue terram sanctam, et habitum gentium dictarum proprie figuravit, et figuras ad descriptiones aptavit. Ibidem ergo, si cui placet, legat, et multa a me dimissa inveniet. Ego autem pro nunc ulterius procedam ad evagandum.

Visitatio locorum sanctorum per civitatem S. Jerusalem et per circuitum ejus.

Quinta decima die hoc in festo divisionis apostolorum, diem inchoando a praecedenti vespera, denuntiatum fuit omnibus peregrinis, ut in occubitu solis montem Sion ad scenderent,

quia domini ductores nostri vellent nos eodam sero in Bethlehem ducere. Cumque omnes in plateam Syon venissemus, invenimus ibi asinarios nostros stantes cum asinis; currit autem unusquisque quaerens et clamans pro suo asinario, ut dictum est supra fol. 84. B. Et receptis asinis stetimus et ductores nostros diutius exspectavimus, tandem autem sole in occasum vergente venerunt tristes, dicentes, quod de Sodomis et solitudinibus Jordanis adscendissent in Bethlehem Madianitae, Arabes et Beduini, nosque ibi exspectarent, ut armata manu nobis occurrant ad spoliandum; idcirco hac vice manere in Jerusalem necesse foret, quousque populus ille rapax a Bethlehem discedat. Et ita reductae sunt bestiae in suum locum, nos vero visitavimus et circuivimus loca sancta montis Syon, et juxta locum divisionis apostolorum diutius oravimus, cujus instabat solennitas. De hoc loco vide fol. 104. A.

Cum sol autem occidisset, descenderunt peregrini ad hospitale suum pro quiete, multi tamen manserunt nobiscum in monte Syon celebrantes nobiscum vigilias in locis sanctis. Media enim nocte surreximus cum fratribus ad matutinales laudes, quibus finitis incepimus celebrare Missas privatas, unusquisque in loco sibi placito usque ad crepusculum. Die autem XV. illucescente, antequam oriretur sol, descendimus, nos qui eramus in monte Syon, in hospitale, et dominos peregrinos fratres nostros excitavimus ad peregrinandum, quibus paratis de hospitali exivimus, et aliqui fratres montis Syon nobiscum, et Calinus Elphahallo Sarracenus cum baculo salvum conductum (**B**) praestans et pueros arcens, ne nos lapidibus impeterent. Venimus autem primo in atrium templi sancti sepulchri, et ibi in loco, ubi Christus sub cruce cecidit, ut superius dictum est, procumbentes, indulgentias plenariae remissionis accepimus (††).

De porta, extra quam fuit Dominus Jesus ductus crucifigendus.

Exeuntes autem consequenter de templi atrio in vicum, qui ducit de monte Syon in montem Calvariae, et de illo ducit per descensum in civitatem per ejus longitudinem, quae est ab austro in aquilonem, et latitudo ab occidente in

orientem, cumque per spatium aliquod descendissemus per vicum in via illa, per quam Dominus Jesus crucem bajulans in montem ascendit Calvariae, venimus ad quandam antiquam portam, ruptam in dextra parte, de qua non plus mansit, quam unum latus a terra sursum usque ad curvitatem, quae arcum sustentat, reliquum totum dissipatum est. Sed et illa pars, quae mansit, est iam intra domos constituta, quod non potuimus ad eam venire, e regione autem stetimus et eam intuiti sumus. Fuit autem porta alta, magna et firma, ut optime in ruinis cernere potuimus, de lapidibus sectis et quadris aedificata. Haec porta ante civitatis ampliationem per Aelium Hadrianum factam dicebatur porta vetus, quia fuerat ibi a tempore Jebusaeorum. Et post dicebatur porta judiciaria, quia in ea more antiquorum judicia agitabantur, et quae judicata iam erant et sententiata, extra eam mandabantur executioni. De utroque nomine habetur Nehem. 3. scil. de porta veteri et judiciaria, quae unum sunt. Extra hanc portam ductus est Dominus Jesus, crucem sibi bajulans crucifigendus. Unde de hac porta dicitur Hebr. 13: Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ergo humanni peregrini ad eum extra portam, imperperam ejus portantes. Quis quaeso portam hanc nisi cum compassiva devotione potest intueri? Hic enim educitur Abel in agrum Afrem ut perimatur. Hic transiit Jsaac cum lignis, ut in monte immoletur. Hic videtur botrus in ligno portatus. Circa hanc ergo portam orationes praescriptas in processionali diximus, et genibus flexis indulgentias suscepimus (†).

De tabernis in via ad montem Calvariae, in quibus occidendi refocillabantur.

Progressi inde consequenter venimus ad loca, ubi tempore eductionis Christi erant tabernae, et quando morte plectendi educebantur, fuerunt aliqui pii homines, qui pro plectendis vinum solvebant, et dabatur eis hic bibere vinum forte, ut bibentes jocundi fierent, quia dicitur Esdrae VI., quod vinum omnem mentem convertit in securitatem et jocunditatem, et non meminit omnem tristitia, et debitum, et omnia praecordia facit honesta. Ab hinc etiam tulerunt in scyphis

et cantharis vinum usque ad locum torturae, ut et eidem inebriarentur, ut dictum est supra (**137 A**) fol. 112. Sic etiam tradidit faciendum Talmud, statuens, morituros prius inebriari, ut impleretur Scriptura Prov. 13.: Date syceram moerentibus, et vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, et obliviscantur doloris sui. Ad has ergo tabernas, cum venisset Dominus Jesus cum cruce et duobus latronibus cum eo crucifigendis, processerunt festinanter cum Domino Jesu, et cum aliis duobus substiterunt, apportantes eis potum; et pro Domino Jesu tulerunt ex hospitio myrrhatum vinum, quod in loco crucifixionis fuit, et ministrant (ministraverunt), quod tamen non accepit, ut dicitur Matth. 27. Nec legitur, quod alii duo crucifigendi portaverint cruces suas, sed socii eorum portaverunt. Jesus autem Dominus noster suum portavit patibulum, quia omnes amici ejus dereliquerunt eum, et noti ejus recesserunt ab eo. Magis autem festinabant cum Domino Jesu quam cum aliis, quia, ex quo Pilatus invite tulerat sententiam, et coactus eorum importunitatibus paruit voluntati eorum, timebant, ne forte sententiam, quam injuste latam esse sciebat, revocaret. Ideo festinabant. Circa hunc locum stetimus et ex compassionis affectu oravimus.

Domus sanctae foeminae Veronicae.

Deinde progressi in descensu venimus ad locum Veronicae, quae dicitur fuisse mulier illa sanguine fluens XII annis, et ad tactum fimbriae vestimenti occultum fuit curata, quam Dominus filiam vocavit, fidem ejus plurimum commendans, ut habetur Matth. 9. Hanc quidam dicunt fuisse Martham. Sed Eusebius Lib. VII. Eccles. Histor. dicit, eam Veronicam fuisse, quae curata a Domino sequebatur eum, et erat matrona sanctitate et pudicitia insignis. Haec audiens tumultum populi praetereuntis domum ejus cum crucifigendis, exilivit de domo et cum lamento occurrit Domino Jesu cruce gravato, videnque vultum ejus sputo et sanguine repletum, sudarium extraxit, et faciem salvatoris tersit; mansit autem figura faciei in sudario, ac si fuisset ei impicta, quod mulier illa penes se retinuit, et miram consolationem in eo habuit,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et multis signis et virtutibus facies illa claruit, et celebris facta fuit. Haec mulier cum sudario a Tiberio Caesare per Volusianum militem e Hierosolyma Romam accersitur. Detinebatur enim Caesar magno infirmitatis morbo, qui, quamprimum mulierem sanctam suscepisset, et imaginem contigisset, curatus est. Quo curato postea usque ad mortem ibi moribus et sanctitate in pretio habita cum apostolis Petro et Paulo atque Clemente ecclesiam Dei constituens perseveravit. Ipsa autem imago panniculo impressa, Clementi Pontifici et successoribus ab eadem ex testamento derelicta, nunc usque Romae in beati Petri templo a Christi fidelibus maxima cum religione invisitur. Sacrum autem sudarium nomen mulieris retinuit usque in hodiernum diem, et dicitur Veronica (**B**). Hanc Veronicam vidi Romae in die ascensionis Domini anno 1476.

De hoc multi per tempora exquisitis celebravere laudibus, inter quas illa singularis habetur, et communiter dicitur, quae sic incipit:

Salve sancta facies nostri Redemtoris,
In qua nitet species divini splendoris,
Impressa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicae ob signum amoris.

Igitur domum istam sanctae Veronicae jocunde contemplabamur, cogitantes, quomodo tota romana ecclesia acquisivit per illius domus hospitam decorem et gloriam accipiendo ab ea faciem Salvatoris, et fideles de universo mundo Romam currunt, ut faciem hanc desiderabilem videant, quam dum Christianus cernit, a fletu se cohibere non valet. Stetimus ergo ante domum, et ostium deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†). Porro post peregrinorum recessum a Jerusalem nos, qui mansimus, in ipsam domum intromissi fuimus per Sarracenum, qui eam inhabitat.

Domus Dodrucis, divitis illius epulonis, qui purpura indutus etc.

Consequenter descendimus per vicum, et ad domum vetustam sed pulchram venimus, quae dicitur fuisse divitis epulonis domus, qui proprio nomine Dodrux dicebatur, quod

tamen Dominus in Evangelio exprimere noluit, sicut nomen pauperis expressit, propter causam, quam ponit Gregorius in oratione ejus de parabola. Hic Dodrux, abundans et deliciosus, infirmo ac mendico Lazaro micas mensae suae negavit quae cadebant de mensa. Hanc domum propter merita pauperis illius honoravimus, et indulgentias recepimus (†). Insuper peregrini omnes tam divites quam pauperes exempla emendationis vitae ibi accepimus, divites in divite voluptuoso, et in infirmo sepulto continentiam et misericordiam didicerunt; pauperes vero in Lazaro paupere, ulceribus pleno, et in sinum Abrahae deportato, spem et patientiam. De his duobus, divite et paupere, habetur Lucae XVI.

De bivio, in quo angariaverunt Simonem, ut tolleret crucem post Jesum, quod et fecit.

Processimus et consequenter in locum venimus, ubi duae viae se intersecant, et crucem faciunt, ita, quod stans in medio potest procedere ad quamcumque plagam. Christus autem in hoc bivio existens cum cruce debilitatus fuit, et eam remisit ad paululum respirandum. Pessimi autem Judaei festinabant multum, propter causam praedictam in articulo de tabernis; et dum ibi staret, supervenit Simon Cyrenaeus, qui fuerat gentilis et factus proselytus, Christi occultus discipulus. Hunc angariaverunt, cogentes eum tollere crucem post Christum, ut dicitur Luc. XXIII. Invitissime autem tulit crucem magistri sui, quia mysterium adhuc ignoravit et salutem. Accurrimus ergo ad locum illum, et Christo compassi pariter et congavisi. Compassi quidem, quia non erat ei adjutor aliquis, nisi hic Simon, qui coactus adjuvit eum portare crucem. Congavisi autem, quia jam non unus rusticellus veniens de proxima villa adest portare crucem Jesu, sed multi barones, nobiles et honorati, de castris et civitatibus longinquis nunc hic assunt, (**138 A**) qui de transmarinis partibus advenerunt voluntarie, portantes crucem Domini sui libentissime. In hoc ergo loco nos prostravimus, et orationibus signatis dictis indulgentias plenarias recepimus (††). In hoc loco quondam stabat ecclesia, quae nunc est tota destructa.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco, in quo Christus flentibus mulieribus dixit: filiae Jerusalem etc.

Ulterius cum processissemus per viam Domini durissimam, et iter laboriosissimum, quod cruce passus transivit, venimus ad locum, ubi Dominus crucem bajulans audiens et videns lamentabilem ululatum mulierum sequentium se praetermissa furentis populi turba ad amantes et plangentes se foeminas oculos et ora convertit, dicens: filiae Jerusalem, nolite flere super me etc., ut habetur Luc. 23. In hoc loco sacro in terram prostrati singultibus et fletibus vestigia Salvatoris nostri deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†). Ibi etiam quondam stetit ecclesia, cujus tamen nunc nulla apparent vestigia.

De loco, in quo beata Virgo perterrita paene exanimis effecta.

Transeuntes consequenter per sanctam et flebilem viam, non absque copiosis lacrymis devotorum peregrinorum ad locum venimus, ubi ad dextram viae partem est altitudo quaedam, in qua stetit moestissima virgo Maria toto mane, quo filius suus in praetorio apud judicem fuit, ut videret, quo duceretur, et sequi posset. Cum autem vidisset filium inter duos latrones procedentem cum gravissima cruce, coronam spineam habentem in capite, et vultum livorosum sanguine et sputis dehonestatum, turbis armatorum circumseptum, mox exterrita corruit, et syncopizavit. In hoc loco geminato moerore perturbati stetimus, et post orationes consuetas in terram prostrati locum et humum sanctam deosculati sumus; indulgentias (††) plenas ibi habuimus. Hoc in loco quondam solemnis stetit ecclesia, quae dicebatur ad sanctam Mariam de Spasmo, ex quo ibi spasmatizavit. Hanc ecclesiam Sarraceni destruxerunt, relinquentes muros eos stare, qui erant fortes de quadris magnis, ut Sarracenus sibi super eos muros habitationem erigeret, quia in delectabili loco est et alto. Nam a loco Calvariae usque ad domum divitis epulonis est descensus, et a loco, ubi Simon angariatus tulit crucem post Jesum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est adscensus usque ad locum hunc, in quo muri ecclesiae sine aedificiis stant. Hoc enim insigne de loco refertur, quod, cum multi Sarraceni super veteres muros illos attentaverint sibi domos construere, numquam aliquis potuit structuram consummare, sed post labores et sumtus subito constructa corruere, et hoc totiens contigit, quod nemo in loco hoc attentat quidquam erigere, sed dimittunt murorum ruinas vacuas stare. Dicunt etiam, quod nec lapides possunt inde auferri, in signum sanctitatis loci et futurae ecclesiae ibi aedificandae.

(B) De loco, ubi Dominus Jesus ad mortem fuit sententionatus, qui dicitur Gabatha vel Lychostratos.

Inde progressi in vicum venimus, ad locum, ubi tempore passionis Christi erat locus judicii, dictus hebraice Gabata, et graece Lychostratos, latine vero collis moeroris, quia erat altitudo multae moestitiae illis, contra quos sententia ferebatur. De hoc loco habetur Joh. 19. Stat autem in loco illo arcus altus, de quadratis lapidibus, flexus de una parte vici in aliam, claudens superius vicum ad modum portae. Supra arcum vero murus est aedificatus, longitudinem viri habens. In hoc muro sunt immurati duo quadrati lapides albi, de polito et candido marmore, a se invicem distincti, contra vicum respicientes, ac si pro decore essent muro inserti. Tempore enim passionis Christi erat locus ille Lychostratos marmoreis tabulis pavimentatus, et in pavimento fuerunt elevati super alios pavimenti lapides duo politi, albi et quadrati unus sub tribunali, ita, quod judex sedens pro tribunali haberet pedes super eum; alter vero erat in medio pavimenti, super quem statuebatur reus judicandus. Et per circuitum erant scamna consulum et judicum. Ad hunc ergo locum Gabatha exivit Pilatus, ad sententiam peremtoriam faciendam contra Jesum, sedens in tribunali, pedes habens super lapidem, et Dominus Jesus summandus stetit super rei lapidem. Hos duos lapides acceperunt fideles, et eos super arcum hunc muro inseruerunt in perpetuam rei memoriam. In hoc ergo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

loco genua fleximus, et adorato Domino indulgentias accepimus (†). Reduximus ibi ad memoriam impias Judaeorum accusationes Christi, et proclamationem injustam, et judicis injusti metum, et Christi silentium, et multa, quae in hoc loco sacro contigerunt.

De praetorio et domo Pilati, in qua Dominus flagellatus, coronatus et multipliciter vexatus fuit.

Orationibus finitis in loco praefato surreximus, et per arcum jam dictum transivimus, et ad domum Pilati venimus, in qua domo, quanta Dominus Jesus sustinuerit, nullus Christianus ignorat. Erat in ea praetorium, in quod Dominus Jesus duris nexibus vinctus et catena ferrea collo circumdatus judici praesentandus fuit ductus, accusatus, examinatus, ad Herodem missus, et iterum reductus in hanc domum, et interrogatus, flagellatus, spinis coronatus, et multipliciter derisus, et plenus opprobriis populo fuit ostensus. Ante fores igitur illius domus in terram nos prostravimus cum multo fletu, et orationes in processionali praescriptas diximus', et indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus, et surgentes lapides parietum deosculati sumus. Libentissime autem domum illam ingressi fuissemus, sed inhabitatores ejus nolebant eam aperire, stabamus namque ante domum, sicut Judaei stabant, quando Christum judici (**139 A**) praesentabant, qui nolentes ingredi hanc domum, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha, nos vero optavimus totis praecordiis ingredi, ut contaminationes nostrae et immunditiae mundarentur, et ut magis sanctificaremur, sed intromissi non fuimus pro hac vice. Post recessum autem militum a Jerusalem in eam venimus per practicam, sicut dicetur infra fol. 231. B. Domus illa, quamvis per Titum fuerit cum aliis eversa, remanserunt tamen muri aliqui, super quos in reaedificatione alia domus fuit constructa, et ita species prioris domus ablata. Remansit autem arcus portae, per quam Dominus inductus et eductus est, et nunc sub arcu illo non est introitus domus, sed alibi, et antiqua porta stat quidem, sed muro obturata. Sunt autem in lapidibus capitalibus et arcualibus antiquae portae rotae

sculptae, et quadranguli, et trianguli, sicut si essent astrolabia. Et credo, quod propter aliquam superstitionem antiqui sic habuerint. Domus haec tempore passionis Christi fuit grandis, multorum habitaculorum, sed iam est satis stricta ab intra, locus tamen flagellationis est testudinatus, et fuit. Sed nunc projiciunt inquilini domus omnes immunditias et purgamenta domus in eum sanctum locum. In illa domo fuerunt columnae illae VII sudantes, de quibus dictum est supra fol. 113. A. Et in eam ascendebatur per marmoreos gradus XXVIII. Et cum Dominus sursum duceretur captivus cum furia et violentia, in gradu XI. cecidit supra sanctam suam faciem, ita, quod de naribus et ore sanguinem emisit, qui super gradum fluxit. Hi gradus, ut dicitur, translati sunt a Jerusalem Romam, et positi ad sanctum Johannem Lateranensem pro ascensu ad sancta sanctorum, et quotiescumque quis per eos adscendit, indulgentias plenariae remissionis acquirit. In maxima autem habentur veneratione hi gradus, per quos peregrini non ascendunt nisi super genua denudata, et dum ad XI gradum veniunt, ibi se prosternant, et diutius devotiusque orant, et locum deosculantur, ubi signum effusi sacri cruoris cernitur; qui locus est ferreis cancellis circumdatus. Non solum autem indocti et simplices id agunt, sed domini Cardinales et doctissimi per gradus illos modo praedicto pro indulgentiis ascendunt, et eos in domo Pilati stetisse praedicant.

Domus regis Herodis, in qua Christus fuit spretus et illusus.

A domo praedicta recessimus, et per vicum progressi venimus ad alium vicum, qui de illo sursum ducit per ascensum, et derelicto vico, per quem de monte Calvariae descenderamus, vicum illum ascendimus, et ad unam magnam domum venimus, quae fuit domus Herodis regis, in quam Dominus Jesus ductus fuit a Pilato per illum ascensum, in qua spretus fuit ab exercitu Herodis, et veste alba illusus, et multa perpessus, ut dicunt Evangelistae. Dicitur, quod vestis Christi alba, qua in domo Herodis illusus fuit, erat ad modum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scapularis Praedicatorum et Carthusiensium. Ante hanc domum prostrati Dominum precabamur, (℟) et indulgentiis acceptis surreximus (†). Ingressum enim in domum hanc in mea prima peregrinatione habere non potui, quia tunc erant in ea scholae puerorum Sarracenorum, in quibus pueri instruebantur. In mea vero secunda peregrinatione repente repulsi fuimus a domo, quia praefectus civitatis suas concubinas in ea locatas habuit, propter quas etiam post abscessum peregrinorum ingressum habere non potuimus.

De domo Simonis Pharisaei, in qua mulier peccatrix poenituit.

Festine domum Herodis dereliquimus, ne praefectum offenderemus, et in vicum pristinum descendimus, et ante fores cujusdam domus substitimus. In illa enim domo dicitur habitasse Pharisaeus ille, qui rogabat Jesum, ut manducaret cum illo, et cum ibi esset, venit mulier, quae erat in civitate peccatrix, et mirae poenitentiae et devotionis obsequia praestitit, ut habetur Luc. VII., adeo, ut etiam secundum Gregorium saxeum pectus lecrymae illis peccatricis ad exemplum poenitendi emolliat. Quot enim habuit in se delectamenta, tot de se praebuit holocausta; et convertit ad numerum virtutum numerum criminum, ut totum serviret Domino in poenitentia, quidquid ex se Deum contemserat in culpa. Ante hujus domus fores procubuimus, et indulgentias accepimus (†).

Porro videtur esse diversitas Evangelistarum de domo praedicta. Lucas ubi scripsit, videtur dicere velle, quod in Jerusalem hoc sit factum. Sed Marci 14. et Joh. 12. et Matth. 26. dicitur factum Bethaniae in domo Simonis leprosi. Ideo dicunt quidam magistri et sancti doctores, ut Hieronymus contra Iovinianum cap. 46. Et quod Evangelista Lucas loquitur de alia muliere, quam alii tres, qui de Maria Magdalena loquuntur, et suum officium exhibuit in Bethania, alia autem in Hierosolyma in domo hac. Et huic dicto demonstratio sanctorum locorum concordat, quia hic ostenditur domus Simonis Pharisaei, et in Bethania domus Simonis leprosi. Nisi

quis velit dicere, quod Maria Magdalena in principio conversionis suae in hanc domum venit, et lacrymis pedes Domini rigavit, et postea circa tempus passionis in Bethania, effudit unguentum super caput discumbentis, et quod fuerit una eademque mulier. Quod ego magis credo esse.

De schola beatae Mariae Virginis, in qua literas didicit; et an literas didicerit, resolvitur.

Surreximus ab oratione de praedicta domo, et consequenter properantes ad alium quandam magnam domum venimus, de lapidibus quadris, sectis, et sculptis, quae annexa erat atrio templi dominici. Dicunt autem quod eadem domus fuerit schola beatae Virginis, in qua literas didicit, quando per parentes templi servitoribus praesentata fuit, divino mancipanda obsequio. Hanc domum cum admiratione contemplabamur, et dubium in nobis ortum est, utrum beata Virgo Maria literas ab aliquo homine didicerit, et quis Judaeus ejus magister fuerit. Cum dicat Sap. 7.: Omnium artifex docuit me **(140 A)** sapientiam. Dominus enim omnium dilexit eam, ideo est ipsa doctrix disciplinae ejus, et electrix operum illius Sap. 8. Ideo videtur, quod non fuerit ab homine instructa. Insuper Damm. dicit, quod beata Virgo a nullo illustrium vincitur. Sunt autem aliqui sancti, qui non ab homine, sed per revelationem Jesu Christi didicerunt, sicut St. Paulus ad Galat. 1 de se testatur. Sed et Salomon non ab homine, sed divinitus didicit sapientiam. Et caeteri apostoli omnes doctores orbis facti per inspiratam scientiam. Sanctus etiam Thomas de Aquino magis dicit se orando studuisse, quam legendo. Sic et S. Catharina de Senis instructa per Dominum Jesum libros scivit legere, et scripturas, et tamen nullius apicis nomen aut conditionem novit, nesciens distinguere ab a. b., vel b. a. c, ut videretur ejus instructio miraculosa. Sancta etiam Maria aegyptiaca in deserto novit scripturas per Domini revelationem. Ut quid ergo dilecte frater Evagator, ostende mihi scholam, in qua litteras beatissimam Virginem Mariam didicisse dicis, si a nullo illustrium vincitur quomodo ab homine instructa est? Cum alii per inspirationem notitiam

Scripturarum habuerint, quis Judaeus fuit magister ejus, quae ab initio viarum suarum possedit aeternam sapientiam? Attende frater dilecte, et domum hanc nequaquam spreveris, sed eam scholam beatae Virginis fuisse crede. Quamvis enim doctore homine indigua non fuerit, discipula tamen fieri propter meritum humilitatis non recusavit, sicut etiam legalem purgationem accepit, non ex necessitate, sed ex humilitate. Sic etiam Dominus Jesus, aeterna sapientia, inter doctores sedit, eos audiens et interrogans et nec auditu nec interrogatione proficere in scientia potuit. Recessimus ergo ad murum domus illius, et eum deosculati sumus, et indulgentias accepimus (†) et consuetas orationes diximus.

De templo Domini, quod dicitur templum Salomonis.

Paululum inde progressi ad locum venimus, ubi ad dextram transitus erat testudinatus, qui transitus erat dealbatus, et lampades ardentes pendebant in eo; ante illum transitum stetimus, et per eum in templi atrium prospeximus, ipsum etiam templum, quod nominant Salomonis, vidimus. Fleximus ergo genua, et verum illius templi Dominum adoravimus, et indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus ibi.

Quamvis enim templum hoc pro nunc sit muschea et maledictus Machometus in ea colatur, olim tamen erat ecclesia sanctissima, et futura est, et multiplici miraculo Salvatoris nostri sanctificata. Ideo indulgentiae non obstante Machometo durant, cum ipsa ecclesia stet in sanctissimo loco, et olim fuerit Christo aedificata et dedicata. De hoc templo et ejus descriptione, et quis eam aedificaverit, et quale moda sit, dicam fol. 257 A et in sequentibus. De Sarracenorum muscheis, quas Canones nominant mesquitas, vide in spec. histor. Libr 24. C. 82, et infra P. II. fol. 104.

De loco nativitatis beatae Mariae Virginis super piscinam probaticam.

(B) Repulsi autem citius fuimus a templi inspectione. Non enim aequanimiter ferunt Sarraceni, ut hoc templum inspiciamus, vel quod ei quovis modo appropinquemus. Secessimus

ergo ab eo, et progressi de vico, quum ad sinistram alium vicum intravimus, ad quandam ecclesiam magnam venimus, cui adjacet solemne monasterium cum omnibus officinis claustri, in qua olim deguerant moniales sub abbatissa Ordinis S. Benedicti, et erant divites et sanctae. Sub illa ecclesia est locus nativitatis Mariae beatae Virginis, quia ibi erat domus Joachim et Annae. Sarraceni ex illa ecclesia fecerunt muscheam, quapropter nobis ingressum non indulgent. Stetimus ergo et orationes consuetas ante fores ecclesiae perfecimus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Verum post peregrinorum recessum intromissi fuimus nos, qui in Jerusalem remansimus, cum magna tamen difficultate et occulte, ut fol. 230, in latere B, et ibidem etiam describitur locus et monasterium.

Et notandum, quod Sarraceni singulariter conantur illam ecclesiam etiam a memoriis Christianorum delere, quia in argumentum mendacissimi Alcorani est ibi. Habet enim Alcoranus, quod beata Maria Virgo fuerit filia Miriam, soror Aaron et Moysis, quod deliramentum falsissimum est, ut patet de cribra Alcor. l. 1. c. 1. et lib. 3. c. 17.

De probatica piscina Bethsaida, ubi paralyticus sanatus est.

Prope ecclesiam illam ducti fuimus per arctum vicum, et domum quandam pulsavimus, in qua residebant pauperes Sarraceni, qui ostium reserantes nolebant nos intromittere nisi prius daremus eis aliquot denarios. Quod cum factum fuisset, ingressi sumus, et per gradus lapideos in unam curiam vel planitiem non multum magnam descendimus, quae vallata muris quondam fuit, et adhuc pro parte est. Et sunt per gyrum portae arcuatae. In illo loco erat tempore Christi piscina probatica, quae cognominabatur hebraice Bethsaida, ubi Dominus Jesus paralyticum sanavit, ut dicitur Joh. V. Habebat autem piscina haec aequas, quae confluebant tempore pluviarum ex stillicidiis templi, et in ea oves et alia pecora in templo immolanda lavabantur. Salomon etiam jussit lignum, quod ei Sibylla monstraverat, et in quo Christum pati praenuntiaverat,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

visceribus hujus piscinae immergi. Quod ibi latuit usque ad tempus passionis Christi, et tunc supernatavit, et acceptum crux Christo factum est. Propter dignitatem hujus ligni creditur angelus de coelo descendisse et aquam movisse, post ejus motum unus sanabatur, qui primus in ea cecidit. Ibi Dominus quendam sanavit, qui XXXVIII. annis motum aquae exspectavit, ut patet Joh. V.

Haec piscina nunc nullas habet aquas, sed in ejus medio est quaedam facta cisterna, quae pluviales aquas suscipit. In hoc ergo loco dictis orationibus, ut in processionali signatum est, indulgentias recepimus, (†) et terra deosculata de loco ascendimus, et iterum in vicum priorem transivimus (**141 A**) et ex opposito alium vicum ingressi ad quandam magnam piscinam venimus cum abundanti aqua, quae ab antiquo fuit ibi, et in Scriptura nominatur piscina interior, quam Ezechias rex Juda fecit, et in eam praeter aquas pluviales induxit aquas superioris fontis Gihon incidens ferro petram, ut dicitur Eccl. 48. et 4. Reg. 20. Nam multo studio ab antiquo usque nunc fuerunt in Jerusalem facta aquarum retinacula, ad quae tempore hiemali et pluviali aquae de tectis concurrerent, ut per aestatem civitas aquas haberet. Caret enim sancta civitas aquis propriis et nutritur aquis de coelo vel a longinquo inductis. Credo quod hodie major cura sit, quomodo civitas sancta provideatur de aquis, quam prius umquam fuerit, quia Sarraceni continuis et cottidianis baptismatibus utuntur, magis quam Judaei; igitur lavatoria multa habent, et mirabili industria inducunt aquas in Jerusalem. Ut patet fol. 249 A. B.

Peregrinatio vallis Josaphat sequitur.

Visa piscina illa consequenter processimus, et ad finem civitatis venimus in parte aquilonari ad portam, quae olim dicebatur porta Ephraim, quia per eam via est ad montem Ephraim, nunc vero dicitur porta S. Stephani, quia per eam fuit eductus, et extra in valle lapidatus. Per hanc portam est via in Sichem, Samariam et Galilaeam provinciam. Eximus ergo per portam illam, et quam statim extra venimus,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dereliquimus vias aquilonis, quas e regione respicit, et convertimus nos ad orientalem plagam contra montem Oliveti, et procedentes civitatem sanctam in dextro latere habuimus. Cum autem venissemus ad angulum muri, in quo murus orientalis jungitur aquilonari, convertimus nos ab oriente contra austrum et per longitudinem muri prospeximus usque ad aliam civitatis portam magnam orientalem, cujus turris altitudo dejecta est, et rupta; haec autem porta dicitur porta aurea, per quam Dominus Jesus in die palmarum intravit, sedens in asino, sub qua Joachim et Anna convenerunt ad ante jussum, quoniam divino oraculo acceperant, nasci de se Mariam Virginem. Hoc etiam spectabile miraculum ibi contigit, quando Heraclius imperator, hostibus devictis, et cruce, quae capta fuerat a Persis, redemta, hic per eam portam equo residens cum imperiali pompa intrare voluit, mox ut ad portam hanc venit, submiserunt se lapides, et integer clausus murus factus est. Nec ingredi valuit, quousque omnem saeculi pompam deposuit, et cum omni suo exercitu discalceatus humiliatusque intrare meruit cum cruce Domini.

Ad hanc portam fuit Dominus deductus honorifice a monte in templum cum palmis et ramis virentibus, et intravit cum laude et gloria tali, sicut legitur 1 Maccab. 13. Simonem ingressum fuisse, et sicut habetur 2 Maccab. 10. de thyrsis et ramis viridis et palmis. Sarraceni non sinunt nos ad hanc (B) portam accedere, et nequaquam permissi fuimus ibi ire, quia ante eam sunt Sarracenorum sepulturae, super quas Christianos non sinunt ambulare. Genua tamen contra eam fleximus, et adorato Domino indulgentias (†††) plenariae remissionis accepimus. Data est enim hujusmodi indulgentia omnibus contra hanc portam e regione respicientibus et adorantibus, totiens quotiens id fecerint. Creditur enim, quod reliquiae illorum murorum, qui hodie ibi stant, sint adhuc de vera porta aurea, per quam Dominus intravit asino sedens, quia Titus, dissipans Jerusalem, reliquit quasdam turres pro fortalitiis et custodiis, de quibus turris portae aureae una fuit, cum vectibus relicta. Unde vectes ejus hodie sunt cupreis laminis deauratis tectae. De quibus laminis et clavis occulte accipiunt Sarraceni petias et particulas et Christianis vendunt, quia

multi Christiani valde laborant ad habendum aliquid de illa porta, et saepe mortis periculis se exponunt noctibus accedentes et de ea vellentes particulas. Quidam pecuniis non parcunt, sed Sarracenum aliquem disponunt pro pretio, qui de ea discerpat, et eis tribuat cuprum vel lignum pro auro et argento. Causa autem, quare reliquiae illius portae ita carae sunt, est, quia dicitur (an superstitiosum sit, ignoro), quicumque aliquid de illa porta secum portat, quod apoplexia et morbus caducus et pestilentia eum non potest invadere. Iuxta hanc portam quondam, dum Christiani Jerusalem habebant, fiebat magnam festum in die palmarum. Nam in vigilia vel sabbatho palmarum clerus omnis in Bethaniam exibat, et vigilias per noctem celebrabant in ecclesia sancti Lazari, et crepusculo cum processione ascenderunt de Bethania in Bethphage, et ibi aliquem de magnis episcopis posuerunt super asinum, inductum sacerdotalibus vestibus, et contra civitatem sanctam processerunt. Eis autem descendentibus de monte Oliveti reliqui clerici et religiosi cum universa plebe de civitate eis obviam cum ramis palmarum processerunt, et modo evangelico de olivis ramos caedebant et projiciebant in viam, et vestimenta sua in via prosternebant clamantes: Osanna, etc. Et cum de valle sursum contra portam ascenderent, portas ipsas claudebant, et juvenes supra turrim stabant, cantantes: Gloria, Laus et caetera, Et finito hymno deducebant episcopum cum magno jubilo in templum. Post perditionem vero civitatis sanctae et Latinorum expulsionem continuaverunt Armenii cum eorum episcopo hanc festivitatem multis annis, quousque diabolo instigante ibi suos damnatos mortuos sepelire coeperunt, et ex tunc portam obturaverunt. Nunc vero ita diem palmarum festinant: ipso die post Officium divinum et cibi sumtionem exeunt fratres montis Syon in Bethaniam, et cum processione et cantu ascendunt in Bethpage, (**142 A**) ibique aliquem fratrem sacris indutum ponunt super asinum, et cum laudibus ipsum comitantur contra civitatem. In descensu autem montis Oliveti accurrunt eis caeteri Christiani orientales cum ramis palmarum et olivarum et cum prosternatione vestimentorum, et deducunt eum usque in torrentem Cedron, et ibi finitur processio, non enim audent sic cum laudibus contra civitatem ascendere, ne Sarra-

ceni cum lapidibus processionem confundant. Et satis mirum est, quod tantum committunt; nam ante centum vel quinquaginta annos non permisissent, nec ante XX annos in tanta libertate erant Christiani, sicut nunc sunt. Deus pro sua laude adaugeat, ne in finem claudantur ora canentium se in tam sanctissimis locis.

De loco, ubi Saulus servavit vestimenta lapidantium sanctum Stephanum.

Expediti circa portam auream venimus descendendo per praeceps via aspera et lapidosa ad locum quendam, ubi stat petra, quae est in summitate plana. Super hanc petram posuerunt vestimenta sua carnifices illi, qui sanctum protomartyrem Stephanum lapidare volebant, ut expeditius jactare possent, et fortius ictibus Sanctum perimere. Et Saulus adolescens huic aderat spectaculo, et zelo pro Judaismo accensus omnium vestimenta custodiebat, ut sine sollicitudine lapidarent, quatenus sic omnium magis juvaret. Sedebat autem Saulus supra vestimenta et petram fremens in Stephanum et blasphemans Christum. Hunc ergo locum deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

De loco, ubi S. Stephanus fuit lapidatus.

Paululum ab illa petra descendimus contra torrentem Cedron, et ad locum venimus, in quo Stephanus fuit lapidatus, ubi prositis genubus pro lapidantibus orabat, et cum gaudio suscepit lapides. Igitur canitur de eo: Lapides torrentis illi dulces fuerunt. Quantum autem oratio Seephani valuerit, dicit Augustinus: si Stephanus non orasset, ecclesia Paulum non haberet. In hoc ergo loco ipsos lapides deosculati sumus, et indulgentias suscepimus (†). Siquidem locus ille repletus est lapidibus limpidissimis torrentis. In illo loco quondam stetit ecclesia venerabilis, cujus tamen vix comprehendi possunt vestiga. Ad sinistram enim adhuc remanserunt aliqui muri. Locus ille valde sanctus est, quia ibi mortem, quam Salvator pro omnibus pati dignatus est, ipse Stephanus primus in hoc loco reddidit Salvatori.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De valle Josaphat, et de torrente Cedron.

Ab hoc loco consequenter descendimus in vallem Josaphat, usque in torrentem Cedron. Haec vallis alio nomine dicitur Cela, secundum Hieronymum, et torrens Cedron dicitur Chrinarus. Dicitur autem vallis Josaphat eo, quod rex Josaphat solemne sepulchrum (B) in ea sibi excidi fecerat, de quo dicetur fol. 176 A. Infimum illius vallis dicitur torrens Cedron, qui quidem torrens aestivo tempore siccus et torridus est, sed hiemali tempore ex revolutione nivium fluit aquis. Dicitur etiam, quod aliquando super torrentem illum fuerint cedri plantati, a quibus dictus sit torrens Cedron et cedrorum. Haec vallis et torrens venit a parte aquilonari et contra austrum descendit, dividens montem civitatis et templi et montem Syon et Gion, a monte Oliveti et a monte offensionis, et continuatur cum valle Siloe et cum valle Hermon, quae contra orientem flectitur, et usque ad Sodomam extenditur. Unde torrens Cedron, quando aquas habet, decurrunt aquae ejus usque in mare mortuum per longum spatium gyrans in curvitate vallis. Nonulli tamen volunt dicere, quod torrens Cedron habuerit olim continuas aquas fluentes, et adhuc habeat sub terra meatum suum, quia vallis illa per consequentes devastationes civitatis sanctae fuit ruinis injectis repleta in imo, et sub illis ruinis dicunt decursum torrentis sempiternum esse. Quod ego non credo esse verum, quia per vallem illam descendi usque in Sodomam, longe a Jerusalem per profundissimos torrentes, ubi nullae ruinae sunt injectae, et tamen non guttam aquae semper fluentis potui considerare, sed solum siccum torrentem, per quem suo tempore est aquarum decursus ad horam, nec sit dubium alicui, si torrens ille habuisset antiquitus aquas semper ex fonte manantes, hoc sacra Scriptura nequaquam tacuisset. Et si adhuc sub terra esset sempiternus ejus fluxus, Jerosolymitae adjutorio omnium orientalium foderent usque ad ripam, quia aquae vivae pretiosae sunt in Jerusalem, et indigent eis, et dudum ars inventa esset, quod aquae sursum in civitatem directae fuissent, sicut aquae fontis Siloe, quas dicit Nicol. de Lyra in civitatem sursum quondam cursum habuisse; de quo tamen multum miror, cum fons ille sit profunde sub monte Syon.

De illis iam dictis vallibus, et de torrente et fonte Siloe, et de montibus paullo ante nominatis in sequentibus saepe mentio fit. Ideo volui modicum praemittere pro faciliori intellectu sequentium. Igitur cum ad ima vallis venissemus, transivimus torrentem per ipsum lapideum pontem, qui arcuoso opere est factus, et ad radices montis Oliveti venimus, et paululum ascendentes de torrente ad fontem draconis venimus, de quo habetur Nehemiae 2. Ibi contuli cum dominis militibus de diligentia Nehemiae, quomodo de captivitate de terra longinqua in Jerusalem venit, et gyrans nocte civitatem vidit ruinas ejus, stetitque juxta puteum illum, et deliberavit, quomodo muros Jerusalem dejectos et turres collisos et portas dissipatas et domos desolatas et templum combustum reaedificare posset cum licentia Artaxerxis regis. In quo facto segnities principum nostrorum reprehenditur, qui nullam curam habent pro recuperatione (**143 A**) civitatis sanctae, ac si non esset necessaria. Quare autem cisterna illa dicatur fons draconis, non memini me legisse; puto tamen, quod aquas olim habuerit ex aliqua origine fluente, a qua per dracones vel gurgites sint aquae in cisternam hanc inductae. Sic enim regio Draconitidis dicta est ab eo, quia nullas aquas habet nisi per dracones et per subterraneos meatus inductas.

De ecclesia sepulchri beatissimae Mariae Virginis in valle Josaphat.

Adscendimus consequenter et ad latus sinistrum declinavimus ad ecclesiam sepulchri beatissimae Mariae Virginis, quae profunde in terrae visceribus petris et rupibus est incisa. Dicunt tamen aliqui, quod in exordio suae aedificationis non fuerit sub terra, sed supra; et quod per inundationes aquarum de monte Oliveti secum ducentium sit cooperta et propter vallis repletionem. Porro, supra ingressum est quoddam aedificium in modum capellae factum, et ante ostium est atrium quadris marmoreis aedificatum. In hoc antrum descendimus et contra introitum ecclesiae properavimus, cumque ad ostium ecclesiae venissemus clausum invenimus, nec custodem ecclesiae praesentem. Dicebant tamen nobis Sarraceni

prae foribus sedentes, quod in continenti esset adfuturus. Est enim sacrae illius ecclesiae aedituus homo sarracenus, qui a suo patre custodiam illius ecclesiae haereditavit, cui hoc, quod subjectum est, accidit: Sarracenus ille, scilicet pater illius, qui hodie est aedituus, nescio quo servitio promeruit, quod Soldanus hanc ecclesiam sibi pro munere donavit, ut sibi inde quaestum a peregrinis conquireret. Accepta ergo ecclesia videns, quod Christiani eam cum magno furore visitarent, adgravavit pretium, quod intrantes sibi solvere solebant, in tantum, quod de persona non minus quam III ducatos pro ingressu habere volebat. Propter quod gravamen peregrini resignaverunt visitationem ejus, et nemo amplius intravit, et locus quasi in oblivionem venit. Quadam autem nocte apparuit in somnis beata Maria Virgo illi Sarraceno avaro, durissimeque eum arguit, dicens: mente et sensu perdite inimice Dei, et legis praevaricator, impedimentum honoris mei, qua temeritate praesumsisti claudere fores meas servitoribus meis peregrinis? Surge igitur velox, et omnibus peregrinis gratis et sine gravamine patefacito ostium sepulchri mei. Sin autem, corpus tuum vermibus scaturiet, et domus tua citius destruetur. Et his dictis disparuit. Sarracenus autem plenus timore evigilavit, et tremebundus surrexit, et omnia, quae sibi dicta fuerant, familiae suae revelavit, prohibens, ne de caetero aliquem Christianum repellerent ab ecclesiae ingressu, sed omnibus gratis aperirent et hoc posteris suis post eum fieri mandarent (**B**). Et ita factum est usque in hunc diem. Stantibus ergo nobis ante fores ecclesiae venit Sarracenus, vir grandaevus, filius supradicti, cui beata Virgo apparuerat, et ostium reseravit, intrareque permisit, et ad quemlibet in suo idiomate dixit: vade, et Deum adora, et virginem Mariam lauda. Ingressi autem ostium descendimus per gradus marmoreos quinquaginta duos in profundum, et cantor in descensu inchoavit alta voce hymnum: O gloriosa domina etc.

Quem nos prosecuti cum magno gaudio cantavimus, et in ecclesiae medio ad sepulchrum beatissimae Virginis venimus, quod ingressi unus post alium tumbam sacram devotissime deosculati sumus, et cum gratiarum actione indulgentiam (††) plenariae remissionis accepimus, et post hymnum: O gloriosa

etc.: Salve regina cantavimus cum aliis etc. Valde jocundi in hoc sacro loco fuimus, et cum jubilo cantavimus. Numquam audivi tam suavem et bonam resonantiam in aliqua ecclesia, sicut in illa et in specu inventionis crucis sanctae, ut dixi supra fol. 117. A. Aliquando solus in hoc ecclesia fui per horam, vel duas, et ut mihi placuit oravi et cantavi, nec potest vox cantantis superius audiri. Notavi hoc aliquoties, quia aliquoties in illa ecclesia fui, quod semper peregrini laetiores et jocundiores sunt in hac ecclesia, quam in aliis locis. Et merito. Ex hoc enim loco gloriosa Virgo coelos ascendit, et ineffabiliter sublimata cum Christo regnat in aeternum. Regina mundi, inquit Jeronymus, in hoc loco de praesenti saeculo nequam eripitur, ideo gaudete, quia secura de sua immarcessibili gloria hinc ad coeli venit palatium, quam idcirco de praesenti saeculo transtulit, ut pro peccatis nostris fiducialiter intercedat. Nulli etiam dubium, quin in hora assumtionis beatissimae Virginis omnem coelestem Jerusalem exultasse ineffabili laetitia, et cum omni gratulatione jubilasse. Creditur enim, quod Salvator per se totus festinans huc cum universa coelestis regni militia venit, et anima corpori reunita eam resuscitavit, et cum gaudio secum in throno collocavit. Nec credendum est, quod casu beatissima Virgo Maria elegerit suam sepulturam in valle Josaphat, sed hac ratione, ut peccator metuens astare in hac valle futuro tremendo judicio, nunc ipsam vallem praeocupet, et matrem nunc imploret, in obsequium ejus se exhibeat, et revocari in hanc vallem non timeat, si favorem matris judicis obtinebit. Dereliquit autem heata Virgo pro nostra consolatione in sepulchro sudarium et vestes, quae per Juvenalem, patriarcham Jerosolymitanum ad instantiam imperatricis Constantinopolim translatae sunt.

Descriptio ecclesiae et sepulchri beatae Virginis in valle Josaphat.

Ecclesia beatae Virginis in valle Josaphat dicitur ecclesia assumtionis, et juxta eam erat quondam monasterium monachorum, Ordinis sancti Benedicti, et Abbas infulatus, cujus tamen monasterii nec vestigia cernuntur jam, sed horti olivarum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et ficorum sunt per gyrum. Ipsa vero ecclesia, ut dixi, est subterranea nunc, quamvis olim non fuerit, ut patet intuenti parietes, (**144 A**) in quibus adhuc fenestrae sunt, sed sine lumine, quia pluviarum inundatio secum terram de monte trahens eam operuit, nec habet lumen, nisi in ejus orientali parte est apertura facta versus coelum, et per hoc foramen parum de lumine intrat, et solum unum ecclessiae angulum illustrat. Hoc foramen est superius muro et margine circumdatum, ac si esset cisterna. Haec ecclesia, secundum Hieronymum in sermone de assumtione, est fabricata miro lapide tabulata, sed a parte aquilonari sepulchri non est marmore vestita, sed nuda ibi patet petra, de qua fuit monumentum excisum, et est alta testudinata, plura habens altaria. Sepulchrum vero Virginis stat in medio, et est domuncula, sicut monumentum Domini, et est magnifice decoratum, et lampadibus illustratum, plus quam dominicum sepulchrum. Habet autem duo ostiola: unum venit ab occidente e regione tumbae sacrae, quae in orientali parte stat, caput habens ad meridiem, et pedes ad aquilonem. Aliud ostiolum est ab aquilone, et per unum est ingressus, per aliud egressus, quod non est in sepulchro Domini. In ipso sepulchro leguntur etiam Missae, sicut in Domini monumento, et ego ipse plures in eo celebravi, et est locus celebrandi omnium Christianorum, cujuscumque ritus sint, nec est alicui appropriatus locus ille. Caetera vero altaria illius ecclesiae sunt ritibus aptata. Nam altare sepulchro proximum est Armenorum. Secundum sub umbrosa testudine est Georgicorum. Tertium sub fenestra in choro contra orientem est Graecorum. Quartum ad aquilonem in angulo est Latinorum. Quintum juxta primum gradum ascensionis est Indianorum. Et ibi est pretiosum sepulchrum de candido et polito marmore, in quo est sepulta venerabilis Begina Milecendis, quae hanc ecclesiam aedificavit. Ab utroque autem latere graduum sunt sepulchra ornata, et nonnulli dicunt, quod in uno sancta Anna, mater beatae Virginis, sit sepulta; in altero vero Joachim, pater ejus. In ipsa ecclesia est una profunda cisterna, habens frigidas et claras aquas, et illi, qui dicunt, quod torrens Cedron sub terra decursum suum habeat, dicunt, aquas illas esse de torrente de subtus fluente; et in hujus signum, quando quis

solus est in ecclesia illa, et aurem super os cisternae tenet, audit, ut sibi videtur, sonitum decurrentium aquarum sub terra. Alii dicunt, quod fons ille aquas habeat de Paradiso fluentes in honorem beatae Virginis et nostram consolationem. Non possunt utique esse aquae pluviales, cum nimis profunda in terrae visceribus sit cisterna illa. Et tantum de illo. Vide, si placet, plura de hoc sub die assumtionis.

Sanctus Thomas apostolus ibi recepit cingulum a beata Virgine.

Laudibus finitis in illa sancta ecclesia reascendimus, et sponte Sarraceno, aedituo ecclesiae, aliquos denarios dedimus, ut eo libentius (B) Christianos catholicos peregrinos intromitteret, et egressi coemeterium convertimus nos ad montem Oliveti, clivum ejus ascendentes. Et cum parum ascendissemus, ad locum venimus, ubi dicitur stetisse sanctus Thomas apostolus, in hora assumtionis beatae Virginis, et audiens concentum coelestium turmarum suspexit, et vidit matrem Domini cum corpore et anima coelestia regna petere, quae eidem projecit cingulum suum, in fidei suae soliditatem, quod cum ineffabili gaudio recepit, idque coapostolis demonstravit, certificans eos de assumtione in corpore et anima. Sicut enim hic apostolus meruit Christi vulnera tangere, ut cognosceret, Christum vere resurrexisse, sic meruit cingulum Virginis gloriosae accipere, ut eam cognosceret corpore et anima assumtam fuisse. Et sicut tactu vulnerum gloriosi Christi solidavit in nobis resurrectionis fidem, sic in hoc facto solidavit in nobis devotionem assumtionis Mariae. In hoc ergo loco orationes signatas legimus, et terram deosculantes indulgentias recepimus (†).

De loco orationis Christi in monte Oliveti, et agoniae, et peregrinorum devotio in illo loco.

Consequenter progressi paululum in clivo montis sancti inter macerias hortorum venimus ad os cujusdam speluncae et cavernae petrarum patens, et ingressi spatiosum et pulchrum

specum invenimus, non quidem arte et manu factum per rupis incisionem, sed a creatione ab initio formatum et dispositum, ut esset locus orationi, meditationi et contemplationi, aptissimus, et solitudinem desideranti congruus. Hunc specum Dominus Jesus frequenter noctibus intrabat, exiens de civitate, et ibi in oratione vigilias sanctissimas continuabat. Ad hunc specum venit Nicodemus nocte ad Dominum Jesum, et dialogum altissimae theologiae ibi conficiebat, quem S. Johannes Evangelista conscripsit Joh. III. Hic est locus, quem sciebat Iudas, quia frequenter cum discipulis in eum exivit Dominus, ut dicitur Joh. XVIII. In nocte ergo post ultimam coenam egressus Jesus de civitate trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, et in horto specus, in quem introgressus positis in terram genibus oravit procumbens, seque prosternens lacrimabili voce dicens: Abba, pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu. Et trina vice hac oratione dicta factus in agonia prolixius orabat, et prae moerore, tristitia et timore sanguinem sudavit, cui angelus apparens animabat et confortabat. O Domini et fratres mei peregrini, quid faciemus hic? Quomodo exhibebimus nos in hoc sancto et terribili loco Redemtori nostro? Quibus quaeso gestibus, quibus motibus aut moribus orabimus? Certe, non aliis, nisi quibus ipse loci hujus sanctificator patri se coelesti in eo exhibuit. Studiose enim Evangelia legenti patet, quod in hac trina oratione Christus tribus differentiis gestuum usus est. Primo enim procidit in faciem toto (**145A**) corpore se prosternens, secundum Matthaeum. 2) Procidit super terram procumbens super cubitos, secundum Marcum 3): Positis genubus prolixius orabat, secundum Lucam, et 4) stabat, reiterans illam dulcissimam orationem, quando elevatis in coelum oculis dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, Joh. 17., quam quidam dicunt esse factam in horte coram omnibus discipulis in fine. Istis ergo modis peregrini usi in hoc sanctissimo loco diutius orabant, et abundantius flebant; miro enim modo locus ille concitativus est ad devotionis lacrymas, videtur enim de facto ex eo respirare quaedam inusitata dulcedo, quae percepta mox omnia quodammodo liquescit et cor emollescit. Nec mirum. Constat enim

ibi esse effusum odoriferum balsamum suavissimi sanguinei sudoris, quo reviviscent mortui. Dicit enim Albertus fr. n., quod sanguis ille per vestes erumpens in terram cucurrit, ut etiam cineribus mortuorum infundatur ad potentiam resurrectionis. Dictis ergo orationibus praescriptis locum, in quo Dominus Jesus genua flexerat, deosculati sumus, et prominentem rupem de pariete cavernae, in quo angelus consolans Dominum creditur stetisse, etiam osculis venerati sumus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††).

Spelunca illa est circularis ab intra, et satis magna, in qua sunt aliae cavernae a parte sinistra, satis profundae, in quibus aliquando discipuli, Christo orante, quiescebant, non tantum in nocte ultima cum eo intus erant, sed quantus est jactus lapidis, ab eo semoti erant. In capite speluncae exit de pariete petrae rupes durissima, in qua angelus stans Christo apparuit. Sub rupe altare est, in quo interdum Missae celebrantur. Olim erant parietes cavernae depicti, sicut hodie diligenter inspicienti apparet. Pavimentum quondam continebat vestigia genuum Domini Jesu durissimae petrae impressa miraculose, quae tamen amplius non videntur propter peregrinorum abrasionem, qui de locis sanctis abscindunt particulas. A pavimento usque ad superpendentem petram est altitudo cubitus cum dimidio. Lumen habet sufficiens specus ille, quod imittitur per os ejus, per quod est introitus, et per quandam petrae scissuram magnam in parte sinistra per superpendentem petram.

De loco, in quo Dominus incepit tristis et moestis esse, dicens: tristis est anima mea, et in quo discipuli tres dormierunt.

Ordine illo ducuntur peregrini per loca passionis Christi, ut Domino obviam veniant, et e regione contra obviantem procedant. Si enim ductores ducerent nos per vias Christi eo ordine, quo ipse Dominus ductus fuit, facile esset describere, et ad intellectum dare dispositionem sanctorum. Sed quia modo contrario processio fit, difficilis est traditu. Procedamus

ergo obviam Salvatori nostro. Igitur de praefata spelunca ascendimus, et ad latus clivi montis Oliveti ab ea discessimus in spatio, quantus est jactus lapidis; (B) ad tantum videlicet spatium Christus Jesus avulsus fuit a discipulis, dum ad praefatum locum processit, ut habetur Luc. XXII. In hoc loco stetit Dominus Jesus cum tribus discipulis, et coepit tristari, pavere, moestus esse et taedere, dicens: tristis est anima mea usque ad mortem. Vigilate mecum, donec vadam ad orationem. Et progressus pusillum venit in specum. Discipuli autem tres dormire coeperunt. In hoc loco in terram procidimus, et vestigia sanctissima deosculati sumus Domini Jesu. Sedimus etiam ad locum dormitionis discipulorum pro devotione. Est enim in loco rupium elevatio a terra paululum, quibus homo sedens in terra potest et dorso et brachio inniti, et quiescere. In hoc ergo loco diximus signatas orationes, et plenariae remissionis indulgentias accepimus, (††) et salutaribus instructi sumus exemplis. Nec enim orationes multum efficaces sunt, nec indulgentiae multum valent, imo labor totius peregrinationis inanis est, nisi quis in locis istis sanctissimis exempla vitae suae emmendandae contemplatus fuerit et acceperit.

Ingens Christi tristitia mundi docet abdicare laetitiam, cum mundi laetitia, secundum Gregorium, nihil aliud sit, quam impunita nequitia, et omnes cum mundo gaudentes mundi nequitiis impunitis ostendunt, se esse participes. Discipulorum vero dormitio fragilitatis nostrae et misceriae est ostensio. Multa promittimus, sed tempore redditionis tepescimus.

De loco, in quo Dominus obviam venit se capere volentibus, et captus fuit.

Ulterius processimus, et ad locum venimus horti, in quo Dominus Jesus se captivare volentibus obvius venit, trina vice prostravit, et demum se voluntarie in manus eorum tradidit, Judae se osculare indulsit. Hic locus est maceria circumdatus et valde devotus in clivo montis; quamvis locus non sit multum declivis, sed est ibi latitudo cujusdam agri, et dicitur hortus floridus. Hunc locum frequentant cum magna

devotione Christiani orientales et occidentales. Sarraceni autem nobis invidentes communiter locum stercoribus foedant, et lapides, quos peregrini solent deosculari, immunditis perfundunt. Et in illo die, quando ad locum venimus, reperimus ipsum recenter turpiter foedatum. In quo facto non tantum Sarracenis facientibus indignati sumus, quantum in nos ipsos frenduimus, scientes per retro, quod exigentibus peccatis nostris hoc Dominus permittit, et ad hoc Sarracenis instigat forti spiritu, ut loca sanctissima dehonestentur in oculis peregrinorum nobilium et militum, ut et sic moveantur ad succurrendum terrae sanctae, et ad vindicandum malitiam tantae injuriae, et ad zelandum loca redemtionis (**146 A**) nostrae. Quod autem Deus Sarracenos ad hoc instiget instinctu forti, patet ex eo, quod locus ille est satis longe ab hominibus, et oportet stercora collecta de civitate portari in urceo, vel de supino montis Oliveti, ubi etiam sunt habitationes, et industriose loca nobis venerabiliora liniri immunditiis, quam immundam actionem nullus faceret, nisi fortiter instigatus alio spiritu, quam humano. Sed et hoc bonum in illo facto turpi apparet, quod judicant, nos illis locis multum affectos et per consequens fortes Christianos, et dum vident, nos non obstantibus stercorationibus honorare et deosculari loca sancta, etsi non aedificantur, tamen confunduntur. Ad locum ergo illum accessimus, et vestibus tersis immunditiis locum devotius deosculati sumus, et quadam compassione ad majorem pietatem et reverentiam moti sumus, prosternentes nos ad immunditias propter locorum sanctorum dignitatem, et indulgentiarum (†) participationem. Sicut quis videret eucharistiam in luto jacere, mox in lutum caderet, nec se deturpari curaret, dummodo irreverentiae sacramenti obvenire posset.

Locus, ubi Petrus abscidit auriculam Malcho nequam.

Inde consequenter processimus parum infra ad latus maceriae horti illius. Lapide signatus est ibi locus, ubi S. Petrus stetit, et videns Malchum quendam ministrum durissima alapa faciem Domini caedentem exarsit zelo, et occurrentem Malchum petiit gladio, volens sibi dividere caput. Quo ictum

ferientis declinante auriculam ejus abscidit. Moxque eum Dominus reprehendit, gladio pugnare prohibuit, et laesum sibi adductum coram omnibus sanavit. Hunc locum deosculati sumus, et indulgentias accepimus (†).

De praedio Gethsamini, in quod venit Jesus.

Deinde magis contra torrentem descendimus, et in locum Gethsamini venimus, in quo manserunt octo discipuli dormientes, procedente Domino cum tribus ad locum orationis. In hoc loco orationes praescriptas diximus, et terram deosculantes indulgentias recepimus (†). In hoc loco tempore Christi erat praedium quoddam et villula Levitarum, in quo pecora immolanda in templo servabantur. Post Christi triumphum superaedificaverunt Christiani ecclesiam magnam, et monasterium monachorum multorum. Quae omnia jam sunt ad solum deducta; videntur tamen adhuc ibi murorum exilia vestigia.

De petra vestigia Domini Jesu paventis habente.

Haec quatuor loca jam praescripta sunt in una brevi circumferentia posita, sibi propinqua, in eodem districto. In quo districto ducti fuimus ad rupem quandam latam, consurgentem de terra, et facit quasi parietem latum, (B) et non multum altum, nec omnino erectum sed declinatum. Sub ipso autem rupis pariete est quaedam planities, in hac planitie Dominus Jesus stabat, quando Judaei eum apprehendere et capere accurrebant, nec poterat undique turbis circumdari, quia a parte orientali stabat paries rupis. Cumque iam impetum in eum facerent et irruere conarentur, expavit, et contra petrae parietem se vertens impetuositati cedere volens extensis brachiis in ipsum saxeum parietem incidit, non quidem ut fugae praesidium quaereret, sed ut importunati et violentiae locum daret. Eo autem sic parieti illidenti cessit sacerrimo corpori ipsa petra, mollem se praebens, ac si paries de flexibili cera fuisset, et in se recepit incidentis figuram secundum lineamenta corporis, eo modo, quo petrae illisus fuit. Et illa lineamenta

sunt illi petrae impressa, ita, ut manuum et brachiorum, capitis et pilorum, pectoris et vestimentorum figuram perfecit. Nec potest suspicari, quod aliqua arte vel instrumentis sint illa lineamenta facta, sed pro illo momento, quo Dominus anxiatus parietem incurrit, figuram recepit supra artem et industriam formatam, ac si natura ab initio formam illam lapidi praestitisset. Est autem petra illa adeo dura, quod incisioni videtur inepta, et nullis ferramentis quidquid deponi potest. Circa hunc igitur parietem prostravimus nos, et orationibus dictis surreximus, et singuli unus post alium accessimus, et sacrae impressioni corpora nostra, prout potuimus, induximus, brachia, manus, vultum, et pectus concavitati imponentes, nos ipsos ipsi figurae commensurantes. Haec ut scripsi, Deum testor, sic in veritate vidi in mea prima peregrinatione, et me ipsum in vestigia illa applicavi, quae tamen virum multo longiorem ostendebant, quam ego sum. Et de hoc facit mentionem Frater Burcardus, Ordinis praedicatorii, qui ante CC. annos multis temporibus in terra sancta deguit, et ipsam terram sanctam per totum lucide et clare descripsit, et hanc, de qua loquor, figuram petrae vidit, et eam describit. Sed quid nunc dicam, prorsus ignoro, et erubesco, miror cum stupore, quid acciderit do illa petra, nec suspicari possum. Nam in hac mea secunda peregrinatione ad omnia loca praefata ducti fuimus, petram autem illam nec vidimus, nec mentionem de ea audivimus, et ita Domini mei milites cum aliis peregrinis recesserunt, quod nihil de illa petra audierunt. Post eorum recessum, cum iam quietior fieri posset locorum visitatio, ego solus aliquoties ad montem Oliveti transivi, petram illam diligentissime in loco Gethsamini quaesivi, supra et infra, juxta et circa, sed minime inveni. Quodam die assumsi mecum dominum Hainricum de Schomberg, militem, virum strenuum, et ad experiendum diversa paratissimum, quia libentissime figuram illam vidissem. Et ambo supra et infra quaesivimus, sed nihil de hoc invenire potuimus. Alii etiam milites per me instigati vagabantur per clivum (**147 A**) montem ad quaerendum, sed in vanum laborabant. Duxi etiam mecum frates juvenes montis Syon, qui cum desiderio mecum discurrebant, sed nihil perfecimus. Imo dicebant, se numquam aliquid de hoc audivisse. Adii etiam

Patrem Gardianum, et Patrem Paulum Gringlinger, et patrem Peregrinum Polanum, et fratrem Johannem de Brussia, experientiores et seniores, et fratres antiquos et devotos clericos et conversos, sed nullus eorum poterat mihi quicquam dicere, et videbar eis, quod delirarem, quousque ostendi eis descriptionem fratris Burcardi, quam mecum habui, et meum primum evagatorium, in quibus manifeste habebatur. Multos labores habui per montem discurrendo et quaerendo pro eo, quod certus sum, quod impossibile sit, petram illam a loco moveri, nisi miraculose. Nec sunt nova aedificia ibi erecta, et a tempore, quo prius vidi, non fluxerunt nisi duo anni, et inquietus hodie sum pro perditione illius loci. Et si scirem, fratrem Antonium de Flandria, Ordinis Minorum, qui tunc locorum ostensor fuerat, ubi degat, eum adire vellem, si licentiam habere possem, etiamsi in Anglia esset. Quamvis enim Evangelistae de hac petra nihil dicant, nec Scriptura canonica mentionem faciat, libenter tamen vidissem, sicut et plura alia loca, de quibus Evangelistae non determinant, vidimus et venerati sumus. Negligentia, mater oblivionis, hunc locum nobis abstulit. Veruntamen mihi auferre non potuit, quin locum ipsum viderim, et ejus speciem recentem apud me habeam. Simile prodigium recitat venerabilis Beda contigisse in Nazareth, circa locum praecipitationis Christi, de quo habetur Lucae 4. Unde dicit, quod cum Dominus de manibus Judaeorum elapsus de vertice montis descenderet et sub rupe latere vellet, subito ad tactum dominicae vestis saxum illud subterfugit, et instar cerae solutae quendam sinum effecit, i. e. concavitatem, in qua dominicum corpus reciperetur, in quo loco omnia lineamenta et rugae vel plicae vestis et vestigia pedum in rupe apparent adhuc, sicut testantur hi, qui viderunt. Haec Lyra fr. id. Jesus autem transcens per medium illorum ibat, Joh. IV. Leguntur etiam simila de multis Sanctis, quibus divina virtute cesserunt petrae, vel liquescerunt, sicut de S. Barbara.

Locus, ubi videns Jesus civitatem flevit super eam.

A loco captivationis Domini nos removimus, et alta montis petivimus, et per viam quandam praecipitem et lapidosam,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quae ducit Bethaniam, ascendimus. Per hanc enim viam ascendunt Bethaniam, qui per portam S. Stephani de Jerusalem illac pergere volunt. Alia est autem via, quae a monte Syon ducit Bethaniam, et eadem dividitur in superiorem et inferiorem, ut suo loco patebit. Per illam autem viam ascendimus, per quam Dominus in die palmarum descendit in asino. In ipso autem ascensu venimus ad locum in strata, ubi petra in latum extensa perviam ipsam semitam reddit bestiis transeuntibus formidulosam, quia petra plana est, ac si esset polita, super quam cum formidine incedunt bestiae, timentes casum, praecipue cum descendunt. In illo loco substitit Dominus cum asino, et conjectis oculis videns civitatem flevit super eam, et multo singultu ejus praesentem pacem deflevit, et futuras calamitates praenuntiavit. Ut habetur Lucae XIX. In illo ergo loco nos prostravimus, et orantes indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Stabamus autem diutius in hoc loco lacrymarum Christi, et civitatem sanctam contemplabamur, siquidem ex hoc loco valde clare videtur Jerusalem cum templo et cum monte Syon, cujus aspectus mentes pias efficax est ad movendum in fletum, et signatur, ubi Dominus legitur flevisse. Habet enim Jerasalem ex hoc loco dulcem et delectabilem speciem, etiam hodie sub hac miseria.

Locus, in quo pronuntiatus fuit beatae Virgini obitus suus per angelum.

Consequenter per clivum ascendimus sursum montemque Oliveti, et cum jam altius venissemus a via communi declinavimus contra sinistram, et per quandam crepidinem plenam arboribus olivarum subivimus usque in jugum montis, quod in longum extendit se ab aquilone in austrum. In ipso autem jugo convertimus nos ad aquilonem, et progressi in cacumine ad quandam petram venimus, ibique locum arcus devotionis esse deprehendimus. Siquidem omnia loca sancta propter frequentes Christianorum accessus habent semitas siugulares tritas, et sunt signeta aliquibus lapidibus, qui lapides sunt propter deosculationem quodammodo sordidi, propter applicationem

oris peregrinorum, de quorum labiis quaedam pinguedo remanet in lapidibus deosculatis. In hoc ergo loco, dum beata Virgo Maria visitatis quodam die locis sanctis consisteret, advenit Gabriel angelus, eamque officiosissime iterum per Ave salutavit, praenuntians ei instantem obitum et transitum ex hoc mundo ad patrem. Veni, inquit, gloriosa Domina, ad eum, qui ex te natus est, receptura materni uteri pignora, educationis mercedem, lactis et escae vicissitudinem, laborum retributionem, passionum remunerationem; erisque gloria beatorum, arca salvandorum, fons fluctuantium, bacillus imbecillium, scala ad coelos ascendentium, propitiatrix peccantium, et auxiliatrix omnium te invocantium. His dictis tradidit angelus Virgini ramum palmae speciosissimae missum de paradiso, in signum perfectae victoriae supra humani generis inimicum, et supra dolores et terrores mortis, jubens ramum hujus palmae ante feretrum deferri. Tradidit insuper ei vestimenta funebria supra humanam aestimationem candentia, in quibus mori, sepeliri, et in coelum ascensura esset. Et his peractis in coelum ascendit. In hoc ergo loco dictis orationibus praescriptis terram deosculati sumus et indulgentias accepimus (†).

De monte Galilaeae, qui est pars montis Oliveti, in quo Dominus post resurrectionem discipulis apparuit.

Deinde relicto loco praesentationis palmae per jugum montis contra aquilonem processimus et usque ad cornu montis Oliveti, ubi contra aquilonem finem facit, venimus ad supercilium montis; ibi multos cumulos lapidum invenimus, et locum orationis. Dicitur enim, quod tempore Christi ibi fuerit villula, dicta Galilaea, in qua promisit Dominus tempore suae passionis, se appariturum discipulis in die resurrectionis. Quando dixit Matthaei 26: Postquam surrexero, praecedam vos in Galilaeam. Dicunt enim quidam, quod Dominus promittens se post resurrectionem discipulis apparere in Galilaea, aliquando loquebatur de illa villa Galilaea, aliquando vero loquebatur de provincia, Galilaea dicta, quia utrobique apparuit. De villa Galilaea loquebatur Matth. 26. et angelus (148 A) ibidem 28. dicens mulieribus, ut dicerent discipulis, ut eant in Galilaeam, ibi eum essent visuri. Et ecclesia

canit ex ore Christi: In die resurrectionis meae, praecedam vos in Galilaeam etc. Notum est autem, quod post resurrectionem Domini evolutis multis diebus descenderunt in Galilaeam provinciam, et non in die resurrectionis. De Galilaea vero provincia loquitur Evangelista Matth. 28. ubi dicit: undecim discipuli abierunt in Galilaeam (provinciam), ubi et in monte et ad mare Tiberiadis eis apparuit. Si quis ergo Scripturam intelligit de utraque Galilaea, nulla difficultas est. Si autem solum de provincia Galilaeae, magnam difficultatem habet. Item glossatores et postillatores, et Augustinus de concordantia Evangelistarum multum laboraverunt in expositione textuum, loquentium de apparitionibus in Galilaea promissis fieri, quia solum intelligunt dictum de provincia, et non de villa. Nec aliquem inveni doctorem antiquum, qui textus illos aliter intelligeret, quam de Galilaea provincia, quia apparitio ibi facta fuit generalis, et erant ibi in monte, Thabor scilicet, plus quam quingenti fratres, ut dicitur 1. Cor. XV. Ideo prae ceteris apparitionibus factis singulariter mentio fit de ibi facta, in Galilaea provincia. Dicitur tamen, quod Eusebius dicit in Historia Ecclesiastica, loquitur de villa Galilaea. Quod tamen me non memini legisse. Ludolphus etiam de vita Christi intelligit, aliquas apparitiones factas in Galilaea villa, quae est in Judaea, aliquas vero in Galilaea provincia. In loco ergo illo, ubi dicunt XI apparuisse, adoravimus, et indulgentias recepimus (††). Sunt enim ad locum hunc indulgentiae maximae positae. Omnes enim indulgentiae, quae in his sanctis locis sunt, ad quae Sarraceni peregrinos accedere non sinunt, sunt huc ad locum illum positae. Plura sunt enim loca valde sancta in Jerusalem, ubi est indulgentia plenaria, ad quae non admittuntur, ut est: templum Domini, porticus Salomonis, aurea porta, praetorium Pilati, domus Herodis, domus S. Annae, quae est nativitatis beatae Virginis. Horum locorum indulgentias hic accepimus. Acceptis igitur indulgentiis ascendimus super acervos lapidum, et longe lateque per terram aspeximus. Contra orientem vidimus ultra Jordanem et mare mortuum montes Arabiae, terras Moab et Ammon, montes Galaath, et caetera. Contra aquilonem vidimus montes provinciae Galilaeae, montes Gilboae, et Libanon.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Contra occidentem habuimus ex opposito civitatem sanctam, et ultra eam vidimus montem Sylo, et montem Ephraim, et terram Philistaeorum, quasi usque ad mare magnum. Contra meridiem vero vidimus montem Bethuliae prope Bethlehem, et montana Hebron, et Judaeam, et Idumaeam. Deinde ad considerationem loci ipsius nos convertimus. Est enim, ut praemisi, finis montis Oliveti, et est locus aptus pro castro, et videntur ibi fuisse structurae. Est etiam ibi supra cacumen una cisterna, et locus totus est delectabilis. Dicunt historiae orientalium regum, quod dum tres reges juxta Hierosolymam venissent, quod tenebrae operuerunt terram, et caligo populos eorum regum. Ideo civitatem ingredi non valebant. Rex autem Balthasar cum suo exercitu in hoc monte pernoctavit, sicut rex Melchior (B) in monte Calvariae, ut dictum est fol. 117, A. Et rex Caspar in monte Gyon, et abscedentibus tenebris simul et simul in Jerusalem introierunt.

De loco ascensionis Domini et de ecclesia in eo constructa et de vestigiis Salvatoris nostri Jesu.

Recreati in monte Galilaeae reversi sumus per viam super jugum montis Oliveti, et contra austrum ambulavimus in alto contra quandam magnam semiruptam ecclesiam, ad quam dum venissemus, ascendimus per lapideos gradus in atrium, quod est ante fores ecclesiae, testudinatum. Porro ante fores ecclesiae locaverat se quidam Sarracenus cum fuste, nec alicui indulsit introitum, nisi daret sibi madinum unum, quorum XXV faciunt ducatum. Soluto autem madino intromisit nos. Porro, in medio ecclesiae stat una magna capella, pulchra, rotunda, testudinata, in qua est locus sanctissimus vestigiorum Domini Jesu Christi, quae dereliquit saxo impressa, dum de eo loco in coelos ascendit. Stetimus autem ante capellam, et hymnos et orationes signatas in processionali de ascensione Domini altis et jocundis vocibus cantavimus, et introgressi quotquot poterant simul intrare, in facias nostras nos prostravimus, et sanctissima salvatoris nostri vestigia deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus. (††)

His peractis ad loci considerationem nos convertimus. Est enim locus ille in altiori culmine montis Oliveti, in fine ejus australi, sicut Galilaea praedicta est in fine septemtrionali montis, et locus praenuntiationis obitus Mariae Virginis in medio est inter Galilaeam et locum ascensionis sub jugum. In hoc sancto loco stat grandis ecclesia rotunda, ornate constructa, ita tamen, quod in supremo non est testudine operta. Sed ipsa testudo cum industria habet magnam aperturam rotundam, sub qua apertura stat dominicae ascensionis capella sub dio, sicut capella dominici sepulchri. Dicunt autem historiae, quod dum fideles primo in loco ascensionis Domini ecclesiam fabricarent, eamque opere arcuato tegere vellent, lapides arcuum nulla arte potuerunt coaptari, et illos [i] lapides, quos ponebant, mox positi decidebant. Quod ut fideles viderunt, intellexerunt Dei voluntatem esse, quod locus dominicae ascensionis a terra usque ad coelum muris et testudine non esset occupandus, sed patens, liber et apertus maneret. Et ita aedificantes deduxerunt quidem testudinem per circuitum a rotunditate muri, sed non consummaverunt, quia aperturam ut dixi, magnam dereliquerunt, cujus oram sectis et politis lapidibus per gyrum clauserunt. Dum autem aedificantes ad pavimentandam ipsam ecclesiam marmoreis tabulis procederent, et locum, ubi steterunt pedes Christi ascendentis, cooperire vellent, mox ipsi lapides loco applicati resiliebant in ora aedificantium, et hoc totiens, quotiens locum illum (**149 A**) conabantur operire. Hinc ecclesiae erat quondam annexum grande monachorum monasterium, Ordinis nigri, habentes Abbatem infulatum, et ante multa tempora habitaverunt in loco illo sancti et devoti viri, ad quorum instigationem et petitionem sanctus Jeronymus conscripsit vitas patrum; ut habetur in prologo ejusdem libri. In illis aureis temporibus tot lampades in illa ecclesia ardebant, quae per fideles ibi nutriebantur, quod totum clivum montis Oliveti illustrabant, et anteriorem portem civitatis Jerusalem fulgores eorum illuminabant ultra vallem Josaphat radiantes. E regione vero erat et est hodie templum Salomonis, in quo etiam tot lumina ardebant et lampades, quod partem anteriorem montis Oliveti illuminabant. Ex illis autem

duabus ecclesiis luminibus refulgentibus illustrabatur vallis Josaphat tota, et mons templi ab ecclesia montis Oliveti, et mons Oliveti ab ecclesia montis templi. Insuper haec ecclesia quondam tali decorabatur prodigio, sicut didici ex peregrinali antiquissimo cujusdam sancti, qui interfuit et vidit. Mos erat antiquorum Christianorum, quod in die ascensionis Domini, post Missarum solemnia omnis populus de Jerusalem exibat, in montem Oliveti, et ibi orationibus insistebat, exspectantes horam meridiei, qua Dominus Jesus in coelum assumtus fuit. Qua adveniente validissima procella flaminis repente de coelo irruit, et per aperturam tecti ecclesiae se toto impetu infudit, adeo, ut mons totus concuteretur, et omnes, qui aderant, in terram corruerent, quousque illa delectabilis et terribilis procella evanesceret. Hoc singulis annis contigit in die ascensionis Domini.

Porro capta terra sancta per Sarracenos profanaverunt ecclesiam illam sanctam, et ex ea fecerunt muscheam. Sed quia Christiani peregrini illam ecclesiam non obstantibus prohibitionibus adibant et furtive noctibus intrabant ad deosculandum salvatoris vestigia, ideo nec sibi nec nobis eam dimiserunt et eam a parte orientali dissipaverunt, tollentes a parietibus omnem tabulaturam marmoream, et a pavimento, et columnas pretiosas deportaverunt. Capellam tamen loci vestigiorum Christi, et saxum vestigia sacra continens dereliquerunt intacta, quia et ipsi sacra vestigia venerantur. In ipso enim saxo vestigia amborum pedum Domini Jesu apparent, clarius tamen vestigium pedis dextri. Et haec vestigia tam Christiani quam Sarraceni deosculantur. Tamen quidam peregrinus jucunda pietate motus habens secum flasconem cum vino dulcissimo effudit illud in vestigiorum concavitatem, et deosculantes elambebant, et quotieus evacuatum fuit, totiens reimplebat. In parte aquilonari ecclesiae est supra in pariete foramen, quod homo longus vix potest contingere erecto brachio; ad hoc foramen levant se peregrini, et imponunt manum, dicentes, ibi in muro esse de vero lapide, super quem Christus stetit, quando in coelum ascendit. Unde autem habeant hanc opinionem nescio. In orientali parte fuit lapis magnus, super quem Dominus sedit, quando (**B**) incredulitatem

eorum exprobravit et duritiem cordis, ut habetur Matthaei ult. Nunc vero eadem pars orientalis est paene destructa, et intra eam sunt domicilia rusticorum, et stabula hircorum, quia villula ab oriente adhaeret ecclesiae, quae dicitur in eorum lingua . . . . . Est tamen murus per medium ecclesiae deductus, qui dividit orientalem partem a rusticis occupatam ab occidentali, in qua est capella ascensionis Domini. Haec ecclesia e regione stat, ut dixi, templi Domini multo altior templo, quamvis et ipsum in monte stet, et a longe videtur; ut supra fol. 90 B. Et est ad orientem directe templi Domini, quod nominant Salomonis, ita, quod aequinoctiali tempore videtur sol oriens quasi de ecclesia prodire et ascendere, sicut ego saepe consideravi, nec amplius mirabar, quod ecclesia cantat de ascensione Domini: Psallite Domino, qui ascendit super coelos coelorum ad orientem. De his venit plus dicendum fol. 171. B. De civitate Jerusalem usque ad locum ascensionis per viam, qua nos ascendimus, sunt tria bona milliaria italica.

Commendatio loci ascensionis Domini, in quo et ejus patebit descriptio, et etiam vallis Josaphat, torrentis Cedron, et vallis Toph, et Hinnon, quae omnia ad montem Oliveti radicantur.

Ascensionis Domini locus inter caetera loca terrae sanctae est valde devotus, ad quem peregrini miro affectu sunt inclinati, quia est septem privilegiis nobilitatus. Est enim

I. Venerabilis multum. Ab antiquo enim fuit ibi excelsum celebre, in quod David adoraturus ascendit, ut dicitur 2. Reg. 16. et infra fol. 171., et quia ibi constituti sunt discipuli principes super omnem terram, cum dictum est eis: Euntes in mundum praedicate evangelium omni creaturae, Marci XVI.

II. Est locus amabilis, quia hic in coelum ascendit, et iter ad regnum coeleste nobis ostendit.

III. Est mirabilis locus, propter Antichristi saevissimam dissipationem. Tradunt enim doctores, ut Richardus in IV. circa finem, quod Antichristus in hoc loco interficeretur a

Domino Jesu. Nam juxta visionem Danielis II. veniet Antichristus usque ad verticem montis Oliveti, quem propheta nominat montem inclitum et sanctum. Et solium suum ponet in loco, de quo Christus ascendit, et finget, se etiam ascensurum in coelum. Et hunc Dominus Jesus interficiet cum spiritu oris sui dans horribilem vocem, ad quem clamorem Michael consurget contra Antichristum, et ab eo fulminabitur et in profundum abyssi magnae demergetur.

IV. Est locus iste terrribilis, propter tribunal et sedem extremi judicii. Ponet enim Dominus Jesus sedem judicii (**150 A**) sui in eo loco, unde angeli Actor. I. dixerunt: quemadmodum vidistis ascendentem in coelum, ita veniet cum potestate magna, judicaturus vivos et mortuos.

V. Locus ille est horribilis propter peccatorum in infernum demersionem. Stabunt enim damnandi peccatores in valle Josaphat, qui vallis, ut supra fol. 142 A. dixi, cohaeret valli maledictae Ennon vel Gehennon, quae se consequenter per horribilia deserta loca extendit usque in mare diabolicum, quod alias dicitur mare mortuum. Quam statim autem ut judicis haec horribilis vox insonuerit: discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, Matth. XXV., erumpet a parte aquilonari vallis igneus torrens, rapidissimus, involvens omnes impios, et vehementer deducet eos de valle Josaphat in horribilem vallem Toph, Tophet et Hennon. Et de hoc vide notabilem textum Esaiae 30. Et consequenter per torrentem illius vastae vallis deducentur usque ad mare mortuum, quod etiam dicitur mare diabolicum; cujus faucibus igneus fluvius ille excipitur, et mox, ut ei inciderit, totum mare ab eo incendetur, et sub mari aperiet infernus os suum, sine termino, et omnia deglutiet. Est enim de facto et realiter loci dispositio talis: mons Oliveti est ad orientem longus, extendens se ab aquilone in austrum, cui in eodem latere adhaeret mons offensionis per longum spatium se extendens. Ad occidentem vero est mons civitatis sanctae, et mons Syon ei adhaeret, post quem est mons Gyon ex opposito montis Oliveti et offensionis, et intermedium spatium dicitur vallis Josaphat, cujus fundus est torrens Cedron. Vallis autem Josaphat et torris Cedron incipiunt in loco lapidationis S. Stephani, et finiuntur ad radices

montis Syon, in loco, ubi aquae Siloae torrenti junguntur, et tunc dicitur vallis Siloe; quae durat usque ad fontem Rogel; a quo incipit vallis, quae nominatur umbrosa; post hanc dicitur vallis Hennon et Toph, et Tophet, unde et Gehenna nomen sumtum est; et hoc nomen retinet per totum descensum, inter horribilis montes, et per abruptissimas petras, usque in maledictum et foetidissimum et falsissimum mare mortuum, sub quo abyssus infernalis creditur os suum patens habere. Ita ergo, cum impii judicati fuerint, torrens Cedron igneo fluvio redundabit de parte aquilonari, ubi incipit erumpere, quia ab aquilone pandetur omne malum, Jer. 1. Et involvet deducetque per valles jam dictas, quae condependent sine interstitio montium, usque in mare mortuum. (B) Erit ergo vallis Josaphat locus damnandorum, qui stabunt in torrente Cedron tamquam immundi. Nam hic locus semper fuit quasi sentina immunditiarum, vel potius canale per quod decurrunt immunditiae in sentinam, hoc est, in mare mortuum. Legimus enim 2 Regum 15., quod rex Asa confregit simulacrum turpissimum matris suae, Priapum, et combussit in torrente Cedron, et universas sordes idolorum. Et 2. Paralip. 29. Sacerdotes ingressi templum, ut sanctificarent illud, et extulerunt omnem immunditiam in templo repertam, et asportaverunt in torrentem Cedron foras. Et Paralip. 30. dicitur, quod filii Jsrael congregati in Jerusalem confregerunt altaria, et universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subverterunt projicientes in torrentem Cedron. Pulverem etiam idolorum et altarium comminutorum effuderunt in torrentem Cedron. Omnes etiam aliae immunditiae civitatis sanctae defluebant in torrentem Cedron, et in torrente inundante deducebantur omnia cum impetu in mare mortuum.

Ex alio etiam reddebatur vallis immunda et abominabilis, quia in ea cultus daemoniorum erat, et in ea divinabatur, sicut legitur de rege Achas 2. Paral. 28. Qui adolevit incensum in valle Hennon, et ibi lustravit filios suos per ignem juxta ritum gentium. Vallis Hennon idem est cum valle Josaphat et Cela etiam dicitur eadem vallis, et torrens Cedron Chrinarus nominatur. In hoc ergo valle congregabuntur omnes cognationes terrae, ut communiter tenetur et praedicatur. Ideo solent

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

homines quaerere ab his, qui in terra sancta fuerunt, de magnitudine vallis, an sit ita lata, quod ibi possent stare omnes homines in judicio? Praetermissis enim omnibus aliis de vallis Josaphat magnitudine sunt simplices solliciti, et nonnumquam factum est, et fit, quod aliqui peregrini ponunt sibi lapides in valle, praeoccupare volentes locum ante judicium, ut in judicio sedendi ibi habeant oportunitatem. Et aliquande simplices quidam dant pretium peregrinis in Jerusalem peregrinare volentibus, ut lapidem pro eis signent locum in valle Josaphat, quo se credunt venturos ad judicium. Quaerentibus ergo de vallis illius magnitudine, in veritate respondendum est, quod vallis illa non est magna, et sub ista dispositione, ut nunc est, non esset capax unius gentis, vix enim possent in ea stare Suevi illi, qui actu in humanis sunt, taceo de illis, qui fuerunt, aut erunt. Tempore autem judicii erit alia vallis illius, sicut et totius terrae dispositio, quia ante judicium conflagrabitur mundus et purgabitur non solum foeditatibus, sed etiam ab angustate, ita, quod loca angusta erunt spatiosa, sicut prava, indirecta et aspera in vias planas. Quod autem vallis illa amplianda erit, patet Zachar. 14., ubi habetur, quod mons Oliveti scindetur ab oriente in occidentem, et una pars montis erit ad austrum, alia ad aquilonem, (**151A**) et erit illa scissura montis profunda, sicut vallis Celacin continuabitur ab occidente.

Aliam scissuram habebit mons Oliveti ab aquilone in austrum; ita, quod illae duae scissurae se intersecabunt ad modum crucis, et mons Oliveti in crucem divisus erit, ei in vallibus crucis stabunt judicandi. Hac autem divisione facta nemo sit sollicitus de loco, etiam si haec mundi species maneret, qui satis spatiosus erit, cum scissura montis Oliveti contra orientem habeat in fine suo campestria latissima Jericho, et solitudines ingentes Jordanis, in quibus mundi homines capi possent.

Dicendum est etiam illis, et melius, quod illi, qui bene, sancte et virtuose hic vitam finierunt, habebunt quietissima loca standi sibi parata per suos angelos. Vitiosi vero et mali habebunt loca nimis arcta et poenosa, et valde male stabunt, ita, quod totus mundus videbitur eis nimis arctus, et montibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicent: cadite super nos, et collibus, operite nos. Ideo non opertet praeoccupare locum, quia, si bonus homo es, angelus tibi pulcherrimum locum praeparabit, nec sinet te esse, nisi in loco honorabili. Si malus es, et lapidem posuisti, lapis clamabit contra te, nec quiescendi locus erit iniquo. Stabunt enim justi in aere miraculose et gloriose; injusti stabunt super terram in igne, ignominiose et damnose, clamantes et ululantes. De hac valle et ejus nominibus vide fol. 233. A.

Ecce, ex his patet, quam horribilis est locus ille peccatoribus.

V. Est locus desiderabilis, propter electorum consolationem. Nam de monte hoc praecipitabit Dominus mortem in sempiternum, ut dicitur Esai. 25. Et praecipitabit de eo omnes populos a facie vinculi, et faciet suis electis in eo convivium pinguium et medullatorum etc., repulsis improbis. Ea enim, quae in praedicto capite dicuntur, proprie monti Oliveti conveniunt, quamvis quidam de monte Syon exponant. Cui placet, legat idem caput et sequens, et multa videbit, quae sunt ad propositum praedictorum. Desiderabilis est locus iste, quia ex eo ascendet Dominus finito judicio cum omnibus electis, qui fuerunt ab origine mundi, in coelum.

VI. Est locus imitabilis, propter exempla eximiae devotionis. Stabat enim hic beatissima Virgo Maria in ascensione filii sui tota gaudio ineffabili perfusa. Stabant et ibi apostoli plus quam cum quingentis fratribus, suspensis vultibus intendentes nubibus, et devotissima contemplatione Dominum sequi optabant. Assistebant etiam ibi angeli, dicentes: Viri Galilaeae, quid statis etc. Ideo dicitur Lucae ultimo, quod a monte cum gaudio magno reversi sunt in Jerusalem. Dicitur etiam, et pie creditur, quod beatissima Maria Virgo post ascensionem filii singulis diebus locum hunc sanctum adibat, et singulari hic contemplationi vacabat, seque tota mente ad coelestia erigebat, ut fol. 174. B. Recitatur etiam de quodam milite (**B**) peregrino, qui cum omnia loca sancta, in quibus Christus nostram salutem est operatus, visitasset, ultimo ascendit ad hunc locum, et procidens super terram in orationem, dicens: Ecce, Domine Jesu, ubique quaesive te in terra diligentius et devotius quo valui; nescio, ubi te post hunc locum quaeram

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hic enim mundum reliquisti, et ad patrem rediisti: quaeso Domine, jube me venire ad te, ut in dextra patris quaeram et inveniam te. Hac oratione finita in conspectu omnium peregrinorum jocunda facie exspiravit, et eum, quem peregrinando per loca sancta quaesivit, moriendo in coelo invenit.

De monte Oliveti et ejus nominibus et ejus sanctitate.

Ex praedictis patet aliquantulum montis Oliveti dispositio, Pre majori tamen ejus notitia volui sequentia annectere. Danielis XI. nominatur hic mons sanctus et inclitus, et communiter etiam mons Oliveti dicitur. Proprium tamen nomen ejus est mons luminum. Illuminatur enim mons ille primo a sole. Nam statim, ut sol oritur, radiis ejus illustratur ante alios montes, et ab eo radii contracivitatem sanctam transmittuntur et contra templum; templum enim Salomonis ita erat constructum, quod ostium ejus respiciebat ad orientem, et altare cum arca testamenti stabat in occidentali parte templi contra ostium. Et quando sol oriebatur, et cacumen montis Oliveti transcendit, primos radios de supercilio montis mittens contra civitatem ante ostium tabernaculi exterioris intrabant, et per ostium tabernaculi exterioris intrabant, et per ostium tabernaculi interioris penetrabat usque ad arcam testamenti, quae primis ictibus radiorum illuminabatur. Ecclesia tamen ascensionis Domini semper primos radios suscipit, ut supra patuit, fol. 149 B., et a se templo Domini transmittit, et si haberet duo ostia, contra se posita, in pariete orientali unum, et alterum in occidentali pariete, tunc in aequinoctiali tempore sol oriens per ostia illa traasmitteret radios ad ostia templi Domini, ad arcam testamenti, et ad propitiatorium, et ad Cherubim. Et ideo dicebatur mons luminum.

Secundo sic nominabatur, quia noctibus illuminabatur a parte occidentali a luminibus templi Domini. Nam tot lampades in templo Salomonis ardebant, quod montem oppositum illustrabant, ut supra dictum est fol 149. Et hodie lumen templi usque ad montem spargitur. Dicitur enim, quod Sarraceni septingintas lampades in eo semper habeant ardentes, et in ecclesia ad latus templi octingintas. Fui aliquando

noctibus in monte Oliveti, et tantum ignem notavi per fenestras templi esse in eo, quasi esset lucerna claro lumine repleta.

Tertio dicitur mons luminum ex eo, quia in ejus vertice, ubi Dominus ascendit, faciebant sacerdotes veteris legis singulis annis magnum ignem, et vaccam rufam educentes, cuncto subsequente populo Jsrael, eam ibi comburebant in holocaustum Domino, et cinerem vaccae colligentes aquam expiationis commixtione cineris conficiebant, cujus aspersio multas inquinationes legales remundabant, et hoc fiebat cum magna solennitate, ut habetur Numer. 19. cap., et in hoc monte, ut dicit Jeronymus de vita et obitu S. Paulae. Numquam autem per annum convenit populus Jsrael ad ignem extra castra, nisi in ritu holocausti vaccae rufae. Ideo montem ab eo igne et lumine nominabant, vel propter cineres et aquas lustrales, quae ibi reponebantur. Sunt autem praeter Christi et ejus passionis mysterium duae caussae, quare vacca rufa immolabatur. Prima pro expiatione peccati commissi in adoratione vituli in deserto, qui fuit vitulus rufus, quia de optimo auro noviter conflatus erat, quod rufum est, antequam limetur aut poliatur. Secunda caussa est, quia filii Jsrael ritum hunc in Aegypto didicerant ab idololatris; ideo Dominus condescendens fragilitatem eorum ritum non mutavit, sed intentionem et propositum. Aegyptii enim antiquissimi regem Osiridem ut Deum habebant, imo Deum aestimabant; hunc frater suus, Typhon, vir rufus, impius et nefarius occidit, et in 26 partes dissectum sociis suis eas transmisit in diversa loca Aegypti. Isis autem, occisi uxor, gigas foemina potentissima, arrepto regno viri collegit membra et aureo scrinio reservans templum fecit, sacerdotes instituit, ritum sacrificiorum Osiridis ordinavit, mandans, ut in execrationem sceleris rufi Typhonis tam homines rufi, quam animalia rufa ad sepulchrum Osiridis in holocaustum cremarentur. Unde cum cultus Osiridis per mundi regiones fuisset praedicatus, similiter ei sacrificare volentes aut hominem rufum, aut bovem rufum, aut vaccam rufam mactandos inferebant. Unde accidit, ut nullus homo rufus in tota terra Aegypti maneret, et in aliis regionibus a cultoribus tam Osiridis quam Isidis odio haberentur propter Typhonem fratricidam, propter ejus malitiam omnes rufi suspecti de malo fuerunt

habiti. Unde etiam Christiani execrabilem Judam proditorem sub Typhonis forma depingunt, et rufos homines etiam piissimos subsannant et derident. Sicque culpam, quam non fecerunt, rufi innocentes luunt. Fabula Osiridis, Isidis et Typhonis habetur lib. I. cap. 4. et lib. II. cap. 4. Antiquarum historiarum Diodori Siculi.

(**152A**) Quarto dicitur mons luminum, quia illustrabatur a lampadibus et luminibus ecclesiarum, quae in eo erant. Ibi enim erat ecclesia ascensionis Domini, plena lampadibus, ut patet fol. 149 A; ecclesia in Galilaea; ecclesia S. Marci; capella Pelagiae; ecclesia agonizantis Christi; ecclesia sepulchri beatae Virginis; ecclesia fletus Christi; ecclesia in Gethsemane; ecclesia in Bethphage; ecclesia S. Jacobi; et caeterae multae, in quibus omnibus ardebant lampades, quibus non solum mons Oliveti illustrabatur, sed etiam mons templi et civitas sancta ex opposito.

Quinto dicitur mons luminum pro eo, quod oleum, nutrimentum luminum, copiose ibi crescit. Ideo dicitur mons Oliveti vel olivarum, quae in magno numero ibi crescunt, sine plantatione, et sponte. Et oleum ibi crescens hodie cedit in nutrimentum lampadum templi dominici. Et sunt ibi olivae adeo magnae et vetustae, quod credo aliquas adhuc a tempore Christi ibi durare. Beatus Augustinus super Johannem dicit, quod mons Oliveti est mons chrismatis et unctionis, mons pinguedinis et refectionis, mons medicaminis et evacuationis. Et hoc dicit propter olivarum ibi crescentium abundantiam, quarum fructus est unctuosus, humosus, et deliciosus, quia, ut dicit Isidorus, oleum olivae ex radicis amaritudine surgit in pabulum luminis, in medicamentum vulneris, et in reflectionem esurientis.

Sexto dicitur mons luminum pro eo, quia, cum sit altior omnibus montibus, et per circuitum potest homo longe lateqae luminibus oculorum suorum prospicere. Ut patet fol. 148 A.

Septimo dicitur mons luminum, quia delectabilis est ad videndum, et visum recreat e regione videntis. Sunt enim in eo horti olivarum et ficorum, malogranatorum, et caeterarum. Olim ad radices ejus crescebant cedri et cypressi et vites et omnia, quae desiderantur. Et tantum de illo. De hoc

monte Oliveti et valle Josaphat loquitur beatus Bernhardus in sermone ad milites templi, orat. VIII.

De specu sanctae Pelagiae peccatricis et poenitentis.

Cum expedivissemus in ecclesia ascensionis Domini ea, propter quae in eam ascendimus, egressi sumus, et per gradus descendimus in viam, quae ducit per praeceps in vallem. Sub gradibus autem cum paululum descendissemus, venimus ad unam capellam tenebrosam sanctae Pelagiae, in qua egit poenitentiam, et vitam finivit in ea. Porro ante ostiolum speluncae semper stabat unus Sarracenus, qui introitum nobis prohibuit, quousque sibi aliquas pecunias exhibuimus, quibus acceptis nos intromisit. Ingressi autem orationes praescriptas legimus, et indulgentias accepimus (†). Et in poenitentia Pelagiae sanctae plurimum aedificati sumus. Fuerat enim, ut habetur in vitis patrum, de primis Antiochenis foeminis ambitiosa, vana, animo et corpore lasciva et impudica. Haec post multa crimina et homicidia propter eam commissa, conversa, dicebat: ego Pelagia, pelagus iniquitatis, exundans fluctibus iniquitatum, ego sum perditionis abyssus, ego vorago et laqueus animarum, multos decepta decepi, quad omnia nunc horreo. Vide, si placet, hanc historiam valde pulchram in Chron. Antonini part. I. tit. 7. cap. 9. §. 6. (B) In hac ergo confessione contulit se ad ecclesiam, et instructa ab episcopo Antiocheno omnia sua vendidit, et pauperibus erogavit, non voluit pretia sua dari ecclesiis et sacerdetibus, sed tantum egenis, indignam reputans suam substantiam in diviuos usus converti. His factis habitu mutato exivit occulte Antiochiam, et in montem sancti Oliveti transmigrans in hanc specum set recepit, et vitam religiosissimam duxit in totius patriae stuporem, quam nemo novit esse foeminam, quousque mortua lavari debere astantibus sanctis episcopis et sacerdotibus, et rem mirantibus, eamque in sua cellula sepulturae tradiderunt, cujus sepulchrum usque hodie cernitur. Est autem transitus artus inter sepulchrum ejus et parietem proximum, ita, quod transire volens cum difficultate [transeat] et oportet se per structuram trahere. Et vulgi fabula est, quod nullus existens in mortali peccato

pertransire possit. Quod ego fabulosum reputavi, omnes enim pertransivimus; an autem omnes in gratia fuerimus, Deus scit.

De loco, in quo XII articuli fidei sunt per Apostolos compositi.

Egressi de specu sanctae Pelagiae consequenter descendimus montem et viam, quae ducit Bethphage et Bethaniam, praetergressi per maceriam in quendam hortum scandimus, et ad ruinas cujusdam ecclesiae magnae venimus, quae dicitur ecclesia S. Marci Evangelistae. In hac ecclesia fuerunt olim indulgentiae, et hodie sunt, quas dictis orationibus recepimus. (†) Haec ecclesia dicitur stare in eo loco, ubi sancti Apostoli confecerunt symbolum fidei nostrae. Ibi enim XII singulariter convenerunt, ut extra tumultum hominum essent, et Deo inspirante articulos composuerunt, quibus compositis in montem Syon transierunt, et congregato sacro et universali et primo concilio articulos editos et symbolum concilio obtulerunt, examinaverunt, et ecclesiae tradiderunt per mundum divulgandos. Ut patet supra fol. 106 A. In illo ergo loco eandem fidem de novo professi symbolum diximus.

De loco, ubi Dominus orationem dominicam docuit discipulos orare.

Hortum praefatae ecclesiae egressi ad viam, quae per praeceps ducit, in vallem venimus, et paululum descendimus in locum, ubi etiam deprehendimus, stetisse oratorium sive ecclesiam, et dicebatur illa ecclesia domus panis. Ibi ergo dictis orationibus signatis indulgentias recepimus (†). Haec ecclesia dicitur esse aedificata in eo loco, de quo habetur Lucae XI. Dum esset Jesus in quodam loco orans, et finita oratione dixit unus ex discipulis ad eum: Domine, doce nos orare. Et ibi docuit eos orationem dominicam, Deo acceptissimam, brevem et utilissimam. Hanc orationem prius in monte alio, in Galilaeae provincia, praedicaverat in prolixo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sermone, (153 A) ut habetur Matthaei V. Hic autem cum Dominus diutius orasset, mirabantur discipuli, quomodo oraret, et doceri se orare postulabant. Quibus eandem formam tradidit, sicut prius in publico sermone praedicaverat. Haec oratio omnes orationes antecellit, quia ipsius Salvatoris ore prolata fuit, qui in ea omnem precem nostram salutari sermone breviavit. In illo ergo loco orationem dominicam devotius diximus, et locum crebrius deosculati sumus. Credo autem hanc ecclesiam dominici panis dictam pro eo, quod in ea et panem supersubstantialem et corporalem jussi sumus petere. In loco illo stat modo cisterna profunda, sed sicca.

De loco, in quo Christus sermonem fecit de VIII beatitudinibus.

Domum panis reliquimus, et progressi in descensu ad locum venimus, in quo erat via, lata petra et plana obducta, quasi esset marmore pavimentata. In hoc loco Christum sedisse dicunt, et sermonem de octo beatitudinibus prius factum in Galilaea in monte et in loco campestri, hic discipulis repetiisse, et resumsisse, sicut de oratione dominica manifestum est eum fecisse, quamvis hoc ex Evangelistis non habeatur. Nam Matthaei V. habetur, quod octo beatitudines praedicavit in monte, et easdem repetiit postea in campestri loco sub monte in provincia Galilaeae, Lucae 6. Et postea, quando venit in Judaeam, easdem in hoc loco creditur iterum praedicasse, quod tamen non habetur, sed antiqua sanctorum traditio habet, etiam in hoc loco sermonem illum pretiosum factum fuisse; sicut praedicator bonam et utilem materiam habens eam quandoque aliquoties praedicat, et in eodem loco, et in diversis. In hoc loco prostravimus nos in oratione, et indulgentias accepimus ibi positas. (†)

De loco, in quo Dominus praedixit discipulis judicium extremum.

Sub praefato loco venimus in eum locum, de quo habetur Marci 13. In quo sedit Jesus cum dicipulis suis, et interrogatus

ab eis de destructione civitatis et templi, quod prae oculis habebant, dixit eis multa de persecutionibus eorum, et de Antichristo, et de extremo judicio, et de signis in sole, et luna, et stellis, quae habentur Lucae 21. In hoc loco sacra vestigia deosculati sumus, et indulgentias recepimus (†).

De loco respirationis et pausationis beatae Virginis in tali peregrinatione existentis.

Deinde cum paululum descendissemus, a loco sessionis Christi venimus ad locum, in quo solebat Virgo beata Maria quiescere et pausare in actu suae cottidianae (B) peregrinationis. Ex dictis enim Sanctorum, Hieronymi in epistola cogit., Augustini, Anshelmi, Bernhardi, et beati Vincentii in sermone assumtionis, Damasceni, habetur, quod beatissima Virgo Maria post filii sui ascensionem singulis diebus visitavit omnia loca sancta redemtionis nostrae, cum eximia devotione. Quamvis enim in spiritu esset, tamen dum in carne vixit, carneis movebatur sensibus, et ideo locorum illorum recreabatur visitationibus et novis cottidie inflammabatur desideriorum affectibus, et tanto valentius, quanto divinis illustrabatur intus visitationibus. Ponamus ergo ad practicam gloriosae Virginis Mariae devotissimam peregrinationem. Supervixit Virgo gloriosa annis XIV post Domini ascensionem secundum communem sententiam, et tamquam peregrina annos illos transegit etiam corporaliter transeundo de loco ad locum. Assumsit autem tres peregrinationes facere quam diu viveret in hoc mundo: primam annualem, secundam mensualem, et tertiam cottidianam. Primo creditur, quod singulis annis descendit a Jerusalem in Nazareth, et devotissime ibi locum angelicae salutationis visitavit, rememorans ibi gaudia omnia, quae in conceptu filii Dei habuit, gratias Deo referens, pro immenso beneficio per eam ab ipso in loco hoc sacro toti mundo collato. Quo expleto per viam rediit, per quam filio Dei concepto in montana Judaeae festinavit, et Elisabeth salutavit, eique humiliter servivit in puerperio Johannis, Lucae I. Per hanc autem viam revertens innovabatur in ea jubilus dulcissimus mentis, et praecipue quando ad locum venit, in quo spiritus

ejus exultavit, dum: Magnificat, hymnum jucundissimum, decantavit, ex quo puer clausus in utero excitatus in jubilum assurrexit, et exsultavit, et hoc loco visitato rediit in Jerusalem.

Secundo creditur singulis mensibus transiisse de Jerusalem in Bethlehem, et ibi intravit speluncam, in qua huic mundo lumen aeternum effudit, Jesum Christum Dominum nostrum. Quantum autem gaudium in hoc loco habuerit, quis enarrare valebit? Loco enim indulgentiarum plenariae remissionis, quas alii peccatores ab hoc loco deportant, ipsa reportavit cum augmentatione meritorum plenariam animi illustrationem et consolationem. O, quam suavis et utilis commutatio!

Tertio singulis diebus loca sanctissima in Jerusalem et per circuitum visitare studuit. Mane enim, appropinquante aurora, communicata a Johanne in monte Syon Domini, cum suis virginibus exivit, et coenaculum illud grande stratum ultimae coenae ingressa contemplabatur immensa dona ibi humano generi collata, et mysteria profundissima intuebatur, sessionis filii sui deosculabatur locum etc. Et inde progressa domum Annae intravit pontificis, et ibi fusis precibus Caiphae curiam ingressa non absque moerore considerabat filii sui in eadem domo molestias perpessas. Deinde de monte Syon civitatem egressa montem Calvariae ascendit, et accedens rupem crucis ipsamque complexa dulcius deosculabatur, compassa dulcissimo ibi Crucifixo, et congratulabatur non minus dulcissimam devotionem redemtis. Ex inde hortum monumenti Domini ingressa ad (**154 A**) locum venit, ubi corpus Domini sui et filii inunctum fuit et aromatibus conditum, et ibi prostrata lapidem osculo deosculabat, et citius inde surgens ad monumentum Domini venit, et specum ingressa tumulumque complexa ineffabili gaudio ibi replebatur. Ab his vero locis semota de monte Calvariae descendit contra civitatis portam, et in via non immemor filii sui, quando per eam gravi cruce oneratus fuit eductus, et in locis, ubi viderat filium vel sub crucis onere cadere, vel aliqua singulari injuria vexari, prostrata orabat. Et ita urbem per portam judiciariam ingressa, in praetorium Pilati ascendit, et loca flagellationis et coronationis deosculata gratias egit. Et egressa in domum Herodis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ivit, deosculata ibi sui filii vestigia. Ab hac in templum Domini ascendit, et orationibus ibi fusis ab alia parte templi reexivit et ad portam auream venit, ibique ingressum filii sui in die palmarum contemplata fuit, per quam ut exiit, in vallem Josaphat descendit, et in ea preces pro toto genere humano fudit, quatenus securi astare tremendo judicio mereantur. Sciebat enim, quod in illo judicio nullae preces, nec suae, admitterentur. Ideo praeoccupabat ibi judicem precibus; quo facto transivit torrentem, et locum suae propriae sepulturae secum euntibus ostendit, et specum ingressa ineffabili gaudio replebatur, pro eo, quia sciebat, quod in hoc loco primo perfectae fruitionis gaudium esset habitura, et stolam gloriae animae et corporis ibi induenda, et de hoc saeculo nequam eripienda, et super choros angelorum exallanda etc. Deinde sepulchrum relinquens, et parum sursum tendens, specum intravit, in qua Dominus Jesus trina vice in maxima anxietate existens oravit; ibi et ipsa agoniae suae memor genua flexit ad vestigia genuum filii sui, diutius et devotius in oratione perstitit. Demum hortum et praedium Gethsemane ingressa loca captivationis filii sui deosculabatur. Ab hoc loco a valle se avertit et ecclesiam montis Oliveti petit. In loco autem, ubi Dominus Jesus flevit videns civitatem, et ipsa se contra civitatem vertit, ejusque calamitates miserabili gemitu et compassione deflevit. Et inde ascendens in Galilaeam montem et villulam venit, ibique gloriam resurrectionis filii sui contemplabatur, et gaudium discipulorum. Finita ibi oratione venit ambulans in jugo montis ad locum, ubi, quando ultima die peregrinabatur, angelus ei apparuit praenuntians ei instare emigrationis tempus. Ab hoc loco progressa venit ad locum ascensionis filii sui, et ibi impressa saxo manifesta (B) vestigia sacra devotissime deosculabatur. Et quia locus ille erat suae actuali devotioni singulariter proportionatus, aliquando citius eum reliquit, ut post diutius immorari posset, et festiva ab alia parte montis Oliveti descendit, et per Bethphage in Bethaniam venit, visitans ibi notos, et loca, in quibus filius suus commoratus fuerat, domum Marthae, et sepulchrum Lazari, et habitaculum Mariae Magdalenae, et domum Simonis leprosi. Quibus visitatis rursum alta repetiit,

sicut virgula fumi ascendens gracilis et delicata, diversis iam extenuata disciplinis, et concremata intus incendio pii amoris, et cum ineffabili desiderio tendit festiva ad montis sancti Oliveti cacumen, unde descenderat regrediens ad locum ascensionis Domini, ad quem tamquam iam ad illium ascensura migrabat. Ubi dum esset, vestigia praedicta crebris demulcebat osculis, et nunc oculos nunc manus in coelum levabat, et multis gaudiis ibi afficiebatur ex eo, quod ibi filio suo et sibi maximus honor fuit exhibitus, quando caro illa, quam ipsa genuerat, super omnes coelos abhinc fuit exaltata. Hoc loco derelicto domum redire satagebat, et montem descendit in loco, in quo apostoli symbolum, quod ipsa eos docuerat condiderunt, ibique paululum stabat pro fidei cultoribus orans. Inde progrediens ad locum, ubi Dominus docuerat Pater noster, stetit, et dicta oratione eadem progressa, in loco, ubi octo beatitudines fuerunt praedicatae, gratias egit. Et inde in locum descendit, in quo Christus cum discipulis sedens terribilia extremi judicii eis praedixit, et ibi oratione pro clementi adventu fufa, progressa ad illud domicilium venit, in quo superius in exordio peregrinationis beatissimae Virginis Mariae dixi fuisse locum suae pausationis et respirationis. Tempore enim vitae beatissimae Virginis Mariae stabat ibi domicilium, in quo habitabant boni pauperes homines, qui videntes sedulum virginis transitum ipsam invitaverunt, ut in umbra sedens refrigerium acciperet, quae frequenter egressa resedit, pausavit et virgineis ac delicatis membris quietem tribuit. Et quamvis ex labore fessa et lassa non fuerit, ex privilegio, hoc tamen privilegium ex humilitate celavit, sicut privilegium virginitatis in purificatione, et privilegium immunitatis a dolore in suis extremis quod etiam celavit decumbens lectulo ut infirma, ut patet fol. 105. A. Resumtis ergo viribus, non deperditis, sed suspensis in loco praedicto, descendit ad montis radices in vallem, et ibi visitatis sepulchris quorundam prophetarum ad sepulchrum sui castissimi sponsi et (155 A) mariti, sancti Joseph, pervenit, qui ibi in foramine petrae erat sepultus, ante quod sepulchrum stans dulciter afficiebatur. Inde autem transito ponte torrentis reascendit in montem Syon, ubi dum esset, ascendit in locum,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubi discipuli et ipsa in die pentecostes Spiritum sanctum acceperant, et ibi novo gaudio replebatur. Indeque descendit, et sepulchrum prophetae David, patris sui, quaesivit, et hoc facto venit in suum oratorium, quod prope erat, in quo habuit pro reliquiis, ut pie creditur, duos magnos lapides sibi per angelos allatos a monte Synai, unum de loco, ubi Moyses rubum ardere vidit sine consumtione: et juxta lapidem gratias condignas egit de suae virginitatis gloriosa conservatione; alium vero de summitate montis Synai, in quo decalogi praecepta fuerunt Moysi tradita: et juxta hunc lapidem contemplabatur praeceptorum eminentiam, et Deo reconciliabatur, quod per eam mundo datus est ille, qui legem ad jota et apicem adimplevit, ut habetur Matth. V. Hos duos lapides habuit, in quibus loca deserti Synai visitavit, quia vere peregrina fuit. De his lapidibus vide fol. 103. B. Ab hoc loco post orationem surrexit, et in domum rediens finem peregrinationis suae illo die imposuit.

De domo mansionis beatissimae Mariae Virginis vide fol. 205 A. De illa peregrinatione beatissimae Mariae Virginis dicit Odilio, antiquus ecclesiae doctor: si scire volumus, quid beata Virgo post ascensionem Domini egerit? Sine dubio loca nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, frequenter visitabat, et in eis lacrymas fundebat, et oris sui sanctissimi oscula imprimebat. Et beatus Hieronymus in sermone de assumtione sic dicit de eadem peregrinatione: fortasse prae nimio amore in loco, in quo filius ejus natus, mortuus et sepultus, credimus interdum habitasse, per quae loca piis pasceretur interius amor obtutibus, quia hoc habet impatiens amor, ut, quod desiderat, semper invenire se credat. De hac etiam peregrinatione loquitur Antonius, in Summa 4. Parte Tit. XV. Cap. 43. §. 2. Ambo tamen credunt, quod peregrinatio illa beatae Mariae Virginis magis intelligenda sit secundum spiritum, quam secundum locum. Sed per hoc non negat, eam etiam secundum locum peregrinatam fuisse, in qua peregrinatione multum meritum acquisivit. Quolibet enim motu liberi arbitrii merebatur, ideo in omni actione merebatur. Cujus prima ratio est: intellectus semper rectus est, nisi quando se immiscet phantasticis, et deducitur ab eis. Sed

intellectus beatae Virginis fuit mundissimus a phantasiis inutilibus; ideo peregrinando merebatur. Secunda ratio: ubicumque ratio non potest in discernendo errare, et voluntas non potest eligere multa, sed eligit ultimum et optimum; utrumque horum fuit in beata Virgine; ideo dicitur Lucae X.: optimam partem elegit sibi Maria etc. Tertio: Apostolus 1. Cor. X. dicit: sive (B) manducatis sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Hoc absolute nullus Sanctus servare potuit, nisi beatissima Virgo Maria, quae omnibus liberi arbitrii motibus virtuose semper imperavit et meruit. Unde Odilio dicit: Unum pro certo scimus, quod omnis Mariae actio semper fuit intenta in Domino. Unde Jeronymus in sermone de assumtione dicit: puto quidquid cordis est, quidquid virtutis humanae, si totum adhibeas, non sufficiat, ut cogitatio valeat, quanto indesinenter cremabatur ardore pii amoris, quantum movebatur replere Spiritu sancto coelestium secretorum incitamentis, dum revolverat animo cuncta, quae audierat, quae viderat, quae cognoverat. Ex quibus patet, quod meritum beatissimae Virginis Mariae est inexplicabile, quod in peregrinatione sua conquisivit. Sed videtur, quod beatissima Virgo Maria peregrinando de loco ad locum, quamvis opus virtute exegerit, melioribus tamen exercitiis occupari potuerit, imo debuerit. Cum Apostolus dicat 1. Cor. 12.: animarum charismata meliora. Et 1. Tim. IV.: corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet. Potuit ergo illam corporalem exercitationem dimittere, et se in pietate purae contemplationis et quietis occupare. Notum enim est, quod evagantes corporaliter distrahuntur mentaliter. Ad hoc dicendum, quod beatissima Virgo Maria hoc singulare privilegium habuit, quod simul et simul activam et contemplativam vitam exercebat, quod nulli umquam concessum est. Aliis enim vita activa, aliis contemplativa datur; aliis utrumque, sed alternis vicibus, ut Apostolis. Sed beatissimae Mariae Virgini utraque est data pro eodem momento, ut videlicet infans foris ab ea aleretur, et divinitas intus contemplaretur; et ut de loco ad locum migraret, et tamen in fine intento immobilis persisteret. Dicunt enim praecones devoti beatae Virginis, quod ipsa in illo

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

devotionis affectu fuerit continue, ad quem aliqui maximi Sancti raptim et ad momentum temporis rarissime admittuntur. Insuper, ut dicit Albertus, cottidie communicavit sacramento eucharistiae, sicut patet fol. 107. A. In quo tantam mentis soliditatem accepit, ut visa vel audita eam nequaquam distrahere possent. Singulis enim diebus, antequam peregrinationem aggrederetur, Missam audivit, et communicata fuit cum ferventissima devotione, et in hoc fervore spiritu agebatur, Dei magis, quam proprio.

Ex alio videtur quod beatissima Virgo Maria non debuit cottidie in publicum procedere, ne cui esset vel fieri posset caussa ruinae. Credendum enim est, ipsam fuisse pulcherrimam etiam corporaliter, cum de ea Spiritus sanctus dicat: tota pulchra es, et macula in te non est, nec annositas ipsam deformabat, aut labor vitae regularis. Ad hoc dicendum est, quod aspectus Virginis neminem scandalizare potuerat. Tradit enim sanctus Bonaventura, hoc se habuisse a Judaeorum fideli narratione, quod nullus ex aspectu gloriosae Virginis Mariae, quamvis esset **(156 A)** pulcherrima, nimis urebat aut inflammabatur ad foedam carnis concupiscentiam, sed eam in aspiciente potius exstinguebat ille divinus aspectus, quasi frigidus quidam ex oculis ros virgineus aspiraret vel efflueret a mente sua castissima, sicut enim ex adverso de peccatrice ac petulanti muliere accenditur. Adhuc videtur, quod processus cottidianus beatissimae Virginis Mariae in publicum fomitem majoris invidiae ipsis invidis Judaeis monstrare potuerit. Erant enim propter filium inimici matris saevissimi, et dum eam viderent per civitatem transire, concitabantur forte indignatione et ira. Ad hoc respondeo ex praecedenti. Sicut enim aspectus ejus ignem concupiscentiae exstinguebat, sic ignem et flammas invidiae, irae, rancoris mitigabat, et omnis eam aspiciens furorem crudelitatis et indignationem perdidit, et pietate et reverentia movebatur in eam. Unde tamquam potens, virtuosa, honorabilis et amabilis domina ab omnibus venerabatur. Ideo dicitur Sapientiae 24.: sic in Syon firmata sum, et in civitate sanctificata, similiter requievi et in Jerusalem potestas mea et radicavi in populo, alios scilicet affectus, pias intentiones etc. Unde cum etiam in filium suum dulcissimum saevirent Judaei,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nemo Virgini molestus fuit. Nec credendum est pictoribus, qui deductionem Domini Jesu depingunt cum cruce, et quosdam percutientes caput Virginis et cum pedibus eam trudentes. Ideo attendendum est illud Horatii: pictoribus atque poetis quodlibet audendi semper fuit aequa potestas. Et tantum de peregrinatione beatissimae Virginis, quae volui nostro evagatorio inserere, ut evagatio mea videretur majorem excusationem habere. Igitur in loco pausationis beatissimae Virginis Mariae consedimus et nos ad respirandum et pausandum post orationem ibi factam, et indulgentias accepimus. (†)

De pyramide Josaphat, a qua tota vallis denominatur vallis Josaphat.

A loco pausationis beatissimae Virginis Mariae consequenter descendimus usque ad montis radices, et ad montis radices descendimus contra austrum, habentes ad sinistram olivarum montem, ad dextram vero torrentem Cedron, et supra in alia parte torrentis in monte civitatem sanctam. In descensu autem venimus ad pontem torrentis, quem tamen praeterivimus, derelinquentes eum. Interea ad titulum cujusdam pretiosi sepulchri venimus in modum turris excisum ex integra petra montis. Inciderunt enim ipsius montis promontorium, tantum stare sinentes quantum ad pyramidem pertinebat, per circuitum rupem excidentes ita, quod pyramis derelicta sola stat, ac si esset a fundamentis ibi aedificata arte caementariorum, cum tamen de rupe montis sit, et ab initio mundi ibi steterit. Et habet per gyrum pyramis haec XVI cubitos magnos, et in (B) altum habet forte tres, et habet capitellum acutum sursum, cum culmine sicut turres, et sub culmine est cavata, et fenestrae sunt incisae, ita quod in parte posteriori potest aliquis sursum se trahens per fenestram in ipsam pyramidem intrare, sicut et quodam die solus existens feci, volens videre, quid esset intus. Haec pyramis est facta pro sepulchro alicujus magni regis et hominis potentis, sed pro quo sit facta, variae de hoc sunt recitationes. Quidam dicunt, quod Salomon rex sponsae suae aethiopissae, filiae Pharaonis, eam pro sepultura ei excidi fecerit, et quod ipsa in ea sepulta fuerit. Huic etiam

Canticum Canticorum depromsit, et templa idolis ejus Moloch et Chamos aedificavit, et multa etiam usque ad contemtum Dei propter eam fecit, et in fine hoc gloriosum sepulchrum ei excidit. Alii dicunt, et est iam vulgata opinio Sarracenorum et Christianorum orientalium, quod Absolon, filius David, pro sui sepultura sibi petram hanc incidi fecerit. Hoc fundatur 2 Reg. 18. Sed quia parentem suum persecutus fuit, et miserrime interiit, trans Jordanem alibi sepultus fuit. Propter hoc consuetudo est, quod omnes pueri, qui juxta hanc pyramidem pertranseunt, sive sint pueri Judaeorum, Sarracenorum, aut Christianorum, lapides de terra tollunt, et contra pyramidem projiciunt in ipsum, jactantes et lapides mittentes Absaloni maledicunt, eique de mala morte insultant, signum detestationis paternae inobedientiae. Et si qui habent in Jerusalem puerum rebellem, ducunt ipsum in vallem Josaphat huc ad pyramidem, et cogunt eum verbis et verberibus projicere lapides contra eam, et Absaloni maledicere, recitantes ei excessum et mortem Absalonis. Et illa est puerorum efficacissima correctio in Jerusalem. Unde propter frequentes puerorum lapidum projectiones jacent juxta pyramidem magni acervi lapillorum, et nisi lapilli interdum removerentur, dudum fuisset obtecta lapidibus. Alii dicunt, quod Josaphat, rex Jerusalem, hanc pyramidem fecerit fieri pro sui sepultura. Quod ego non credo, quia fuit vir sanctus, imitator virtutum patris sui David, a quo sicut in vita non discrepavit, nec in sepultura ab eo separari quaesivit. Unde tertio et ultimo dicitur, quod mortuus Josaphat sepultus est in sepulchro patris sui, in civitate David. Et ideo aliter dicendum videtur, quod Josaphat fuit vir magnificus, et multa mirifica opera fecit, inter quae et hanc pyramidem pro magnificentia et pro miraculo excidi fecit, et tantum nomen ex hoc acquisivit, quod ipsa vallis tota, quae prius dicebatur vallis Cela, postea ab omnibus nominaretur vallis Josaphat usque in hodiernum diem propter hanc pyramidem. Circa hanc pyramidem nullae sunt indulgentiae; ideo ea visa ad alia nos convertimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sepulchrum Joseph sponsi Mariae Virginis, et Sancti Simeonis senis.

Porro ad dextram pyramidis sunt duo foramina in pariete rupis, et dicunt esse duo sepulchra. In uno sepultus fuit Joseph, sponsus beatissimae (**157 A**) Virginis Mariae, et nutritius Jesu Christi. In altero Simeon senex ille, qui Dominum in ulnas accepit, et: nunc dimittis, hymnum cantavit, ut dicitur Luc. **2**. Ante illa sanctorum monumenta nos prostravimus, et orationibus dictis indulgentias accepimus (†). Quantae autem sanctatis et eminentiae hi duo viri fuerint, evangelica tradit veritas, praecipue tamen de sanctissimo Joseph nulli dubium, quin sirgularissimis gratiis privilegiatus fuerit et meriti singularis apud Deum exstiterit, ut tantum thesaurum in commissis acceperit. De cujus laude vide in Alberto: supermissus est, in eo loco, ubi dicitur: desponsata viro, cui etc. Et in Gersone, in sermone de nativitate, de beata Maria Virgine et incarnatione Josephina. Nec credendum est in hoc pictoribus, qui Joseph ipsum depingunt parvum hommuncionem decrepitum, incurvatum, baculo sustentum, canum et prorsus inutilem pro nutricatione tam Virginis quam filii. Fuit autem vir potens viribus, fortis laborator, maturus, aetate mediocris, et ante desponsationem Virginis fuit virgo, et post ita incorruptus permansit. De his vide Gersonem in sermone praefato.

De sepulchro Zachariae prophetae, et de aliis sepulchris et Sanctorum habitaculis.

De his sepulchris abscedentes ad aliud monumentum venimus petrae incisum. Et hoc dicunt esse sepulchrum sancti Zachariae, prophetae, filii Barachiae, quem Judaei occiderunt inter templum et altare, sicut Christus eis objicit, Matth. **23**. Ibi ergo flexis genibus prophetae patrocinia imploravimus, et indulgentias recepimus (†). Et surgentes consequenter super torrentem descendimus, et in latere montis Oliveti parietibus petrarum multa habitacula et cellulas incisas pertransivimus, in quibus olim devoti et religiosi Christiani habitaverunt. Est enim mons Oliveti in sua radice petrosus, et concavitatibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rupium repletus; quae concavitates fuerunt veterum sepulchra. Postea vero fuerunt monachorum et Sanctorum habitacula, nunc vero sunt tam a mortuis quam a vivis desolata, nisi quod in aliquibus habitant quidam infelicissimi homines infideles, qui propter eorum infidelitatem nullibi alias possunt vivere inter homines. Has cellulas intuebamur cum admiratione de Sanctorum praeteritorum sobrietate, qui amore Dei et terrae sanctae affectione inter mortuorum monumenta se concluserunt et in parvis cavernis se continuerunt. Indignabamur autem nobis ipsis, quod in magnis palatiis et spatiosis et ornatis monasteriis taedet nos stare, quia et Dei amore tepescimus et in coenobitica vita deficimus.

De specu S. Jacobi Apostoli, in quo latitavit in captione Domini.

Interea dum ulterius descendissemus, in unam grandem speluncam venimus, multis laboribus rupibus incisam, multa habens penetralia tenebrosa, et cavernas supra et infra, et foramina tamquam fenestrae sunt in superioribus habitaculis incisa. Dum (B) autem in hoc specu deambularemus, venit mihi in memoriam, similem vidisse per omnia in Suevia prope Gamundiam, quem nominant Eberstein. Si quis eandem videt, vidit et illam, nisi quod illa est major et profundiorem habet cavernam. In hunc specum capto Domino confugit S. Jacobus minor, et in eo latuit, vovitque, mortuo in cruce Domino, ut dicit Josephus et Hieronymus de viris illustribus, se non comesturum, donec videret Dominum a mortuis surrexisse. In die ergo resurrectionis Dominus ad eum in hunc specum venit et cibum eimet ministravit. De hoc Apostolo vide supra fol. 106. A. Post necem vero Apostoli corpus ejus in hunc specum fuit deportatum, et ibi sepulturae traditum. Unde ex tunc locus coepit a Christi fidelibus venerari et visitari usque in hodiernum diem. Qua propter Dominus Sixtus IV. indulgentias plenariae remissionis ad locum illum posuit, quae fuerunt in mea prima peregrinatione primo promulgatae, et bulla plumbea in loco poenitentibus omnibus peregrinis lectae. In illo ergo loco procidimus, et dictis orationibus in processionali

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

terrae sanctae signatis indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus cum devotione. In quodam peregrinali libello legi, quod hic locus quondam fuit datus fratribus Ordinis Praedicatorum, qui ibi ecclesiam et claustrum fecerunt, et petram cavantes antra profundiora fecerunt, et ad tempus ibi habitaverunt. Tandem propter infidelium insultus et frequentes depraedationes et invasiones inde emigrare et locum deserere compulsi sunt, et ita ecclesia et officinae et omnia fuerunt in nihilum redacta. Hunc locum post peregrinorum recessum crebrius adii, et horas meas in eo legi, antra eius diligentius lustravi, et nonnumquam videbatur mihi, quod interessem conventui fratrum, et ex corde laetabar. Sed dum me converti ad miserabilem loci desolationem, moestus sedebam. Congruus autem valde erat hic locus pro fratribus Praedicatoribus, et hodie locus aptissimus esset, si caetera essent paria, ut in eo habitarent fratres, propter plures caussas. I. Propter illum eximium praedicatorem, cui ille specus confectus est, h. e. propter sanctum Jacobum Apostolum, qui in actu praedicationis existens et veritatem praedicans de cancellis fuit praecipitatus, et claudus factus. Sed nec sic a praedicatione cessavit, donec de templi pinnaculo projectus obiit, et de Jerusalem huc portatus et sepultus fuit. Quis autem sepulchrum tam constantis praedicatoris Dei possideret, nisi fratres, quorum initium, medium, et finis et nomen est praedicare? Ob hoc in nostri Ordinis initio tradita fuit ecclesia S. Jacobi Parisinis, ubi usque hodie insigniorem conventum habemus trecentorum fratrum et studium magnum, unde in illis locis nominantur fratres praedicatores, fratres S. Jacobi.

II. Quare hic locus fratribus praedicatoribus congruit, est ratione virtutum et constantiae illius Apostoli. Fuit enim virgo perpetuus, et vita totus (**158 A**) apostolicus, et devotissimus, ut patet fol. 106. A., quae omnia congruunt praedicatoribus.

III. Ratio montis Oliveti, qui mons, ut dictum est fol. 151., illustratur luminibus templi Domini et solis et olei et ecclesiarum lampadibus. Sic Ordo Praedicatorum dicitur mons luminum, quia illustratur scientia theologicali, quae a templo Dei procedit, et scientia morali, quae de sole splendet, et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

naturali, ex propria industria veniens, quam designat oleum in ea crescens, quod est nutrimentum luminum, et scientia experimentali, quae in lampadibus ecclesiarum designatur.

IV. Ratione torrentis, in quem immunditiae omnes de civitate eductae projiciuntur, et in eo consumuntur et deducuntur: ut patet fol. 150. Sic omnis mundi immunditia sapientia praedicatorum tollitur, Prov. 18: aliqua profunda verba ex ore viri, et torrens redundans fons sapientiae. Sacra etiam Scriptura torrens redundans, de quo debet praedicator bibere, juxta illud Psalmi: de torrente in via bibet etc. et illud: torrente voluptatis potabis eos etc.

V. Ratione cedrorum, qui juxta torrentem crescebant. Cedri enim semper virent, celsae sunt et habent lignum imputribile. Sic praedicator habet virorem castitatis, altitudinem paupertatis, et imputribilitatem obedientiae in tribus votis.

VI. Ratione situs loci congruit praedicatoribus. Est enim locus in valle, et extra civitatem, et prope urbem. Sic praedicatores semper debent manere in valle humilitatis, extra mundi tumultum, prope homines, quos verbis et exemplis aedificent.

VII. Ratione asperitatis. Est enim locus ille in petris, durus et asper. Sic vita praedicatoris debet esse in asperitate et corporis castigatione, ut in servitutem redigatur, ne forte, cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi habeantur; ut fecit Apostolus 1. Cor. 9.

VIII. Locus est solitarius, studio et contemplationi aptus, quae conveniunt praedicatori bono et utili, et non bene in tumultu aguntur.

IX. Locus est satis arctus et strictus, designans mentem, recollectionem, et recessum ab evagationibus variis.

X. Locus est proximus monti cliveti, monti offensionis, et monti Syon, et valli Hennon, et agro Akeldamah. In quibus notatur materia praedicanda, ut praedicet vel de monte oliveti, de virtutibus; de monte offensionis, de vitiis; de Akeldamah, de morte; vel de valle Hennon, de Gehenna aeternae damnationis. Vel debet praedicare montibus et vallibus, hoc est, sapientibus et insipientibus debitor esse debet,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut Apostolus Rom. 1., vel contemplativis et activis; vel religiosis et saecularibus; justis et peccatoribus; bonis et malis. Et tantum de hoc.

De ponte torrentis Cedron, et de transitu pontis sursum.

Specum illum, eo perspecto, exeuntes non amplius descendimus, et via, qua veneramus, reversi sumus usque ad pyramidem (B) Josaphat, juxta quem pons lapideus, arcuato opere factus, torrentem transmittit. Ad pontem ergo illum accessimus, et ante eum in oratione positi indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus. Tradunt enim historiae Graecorum, et Magister in Spec. Hist. hujus facti meminit, quod dum Salomon domum saltus Libani aedificaret, venit artificibus ad manum quoddam lignum, truncus, quem ad nullum locum poterant aptare, et eo abjecto quidam trabem ipsam traxit deorsum in torrentem, et peditarium pontem super torrentem ex eo fecit in hoc loco. Dum ergo regina Saba, quae et Sibyllarum una fuisse dicitur, ibi cum rege pertransire vellet, videns lignum obstupuit, et cadens in torrentem adoravit, et crucis mysteria regi reseravit, dicens: hoc lignum Salvatoris crucem futurum. Propter quod Salomon trabem inde tulit, eumque prope templum visceribus terrae immersit, ut patet fol. 140. B. Et loco trabis ablati fecit fieri pontem lapideum, et per hunc pontem saepe Dominus transibat cum suis discipulis, quando vel voluit ire in montem Oliveti, vel in Bethaniam, et per eum fuit ductus in domum Hannae. Per hunc locum etiam torrentem Cedron transivit nudis pedibus cum universo populo rex David, quando fugit de Jerusalem a facie Absalonis, filii sui. Et ibi etiam steterunt sacerdotes cum arca Domini, donec universus populus pertransiret, ut habetur 2 Reg. 15. In hoc ergo loco cum gravitate pontem sanctum transivimus, et per clivum praecipitem sancti montis Syon ascendimus, per quem est Dominus Jesus ligatus ductus de horto in domum Hannae pontificis. Cum autem ad montis sancti cacumen venissemus, condiximus nobis, quod non obstante calidissimo die, facto prandio, vellemus caetera nondum a nobis visitata in circuitu montis Syon loca visitare et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

videre. Et ita milites festinabant ad hospitale S. Johannis ad capiendum cibum, nos vero religiosi intravimus Conventum fratrum et cum eis refecti sumus.

De visitatione locorum sub monte Syon, et primo de fonte Mariae Virginis beatae.

Finito prandio convenerunt peregrini, qui robusti erant, ad ulterius peregrinandum et ad laborandum. Est enim non parvus labor, sic de loca ad locum peregrinari, ut patet fol. 96. B. Congregatis ergo nobis descendimus de monte Syon in aquilonari parte montis per viam longam, et viam, per quam prius ascenderamus, ad dextram reliquimus. Porro in ipso montis Syon clivo venimus ad specum quandam, ad unam terrae voraginem patentem, per cujus os ingressi in viscera terrae descendimus sine gradibus in arena, et quia de lumine solis umbrosum locum intravimus, nihil vel parum videre poteramus, nam oculorum istiusmodi natura est, ut post solem umbras intrantibus coeca omnia videantur. Porro nobis descendentibus (**159 A**) in specum, ascendit contra nos de profundo rapido cursu quidam Sarracenus saevus, cum magnis clamoribus stomachando mirabiliter, iram animi sui voce, vultu, et brachiis ostentans, et repellere nos de specu nitebatur, ne ad aquas descenderemus. Sed quia ipse solus fuit, et nos multi, non eum curavimus, sed continue descendimus, ipse vero ingeminavit clamores, et acuit suae iracundiae mores, et si habuisset saltim baculum, nos omnes efugasset. Videns autem Sarracenus ille, quod eum non curavimus, vertit se ocius, et omnes descendentes praecurrit, et prior ad aquas venit, et posuit se super marginem fontis, et modis omnibus aquam haurire volentibus resistebat, et accedere volentes retrudebat, repercutiebat, et retrahebat. Quidam autem miles Lombardus de Mediolano peregrinus accessit audacter ad Sarracenum, per brachium arripuit, et a fonte avulsit violenter. Sarracenus autem ex hoc in ira accensus contra militem illum insurrexit, eumque pugnis percutere coepit, et miles e contrario pugnis se defendit, repercutiens eum, quia neuter habebat arma, et tanta iracundia in se exarserunt, quod nisi peregrini

eos separassent, unus alterum discerpsisset. Videns autem Sarracenus, quod vindictam intentam in militem facere non posset, festinate coepit sursum currere, volens adjutores super nos inducere, nos autem eum tenuimus, licet plurimum clamantem et renitentem. Eramus enim in magno periculo, si de manibus nostris evasisset, et male contenti fuimus de milite. Post multa autem certamina verborum aliqui milites enodantes bursas Sarraceno illi denarios aliquos ostenderunt, ut maneret et a clamoribus cessaret; et peregrino, qui eum percusserat, pacem promitteret. Quid plura? mox ut vidit denarios, mutatus est in virum alterum, nam vultus ejus serenatus fuit, et vox blandior effecta, et mores mitigati, totumque se obtulit cum hilaritate ad nostra obsequia, et qui prius mitigari nec verbis nec verberibus nec multitudine peregrinorum poterat, visis denariis ad obsequendum se parat, quia inquit Salomon Eccles. X.: pecuniae obediunt omnia. Accepta ergo pecunia descendit in hiatum, et omnibus aquam hausit et liberaliter tribuit. Cumque omnes de aqua illa clara bibissemus, ascendimus sursum, et dictis ante os speluncae orationibus indulgentias accepimus (†). Est enim fons ille fons Virginis gloriosae: dicitur enim, quod die XL., quando cum puero Jesu de Bethlehem venit cum Joseph, ut puerum Jesum praesentaret in templo, in hiatum hunc descendit, et ibi hospitata fuit, quia in civitate hospitium non habuit, sicut nec in Bethlehem nec juxta templi atrium manifeste manere cum aliis pauperibus voluit, quia Herodem timuit. Percrebuerat enim fama de nato rege, propter quem Herodes turbatus fuit et omnis Hierosolyma cum ipso. De ponte autem illo poterat secrete ad portam auream ascendere, et sine nota puerum Jesum inducere (B) in templum, et perficere ea, quae spectabant ad legem purificationis; sicut et factum fuit: nemo enim affuit, nisi qui Spiritu sancto instigati fuerant, ut illa hora adessent. Insuper quando singulis annis in Pascha in Jerusalem venit, in isto hiatu mansit, et dum peregrinaret, hic transibat, et circa fontem refocillabatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De petra mirabili scissura rupta in passione Domini.

Expletis peregrinalibus officiis juxta fontem gloriosae Mariae Virginis ulterius processimus et montem Sion gyravimus contra australem ejus plagam euntes, et ibi vallem Siloe ingressi contra occidentem venimus ad rivulum aquarum, quae contra vallem Josaphat cum silentio transeunt; ut dicitur Jesaiae VIII., de aquis fontis Siloe sine strepitu et sonitu. Per illum ergo rivulum ascendimus, qui decurrit ad latus montis Syon, et ad locum venimus, ubi de rivulo consurgit petra alta, quasi pes montis Syon, et illa petra habet a summo usque deorsum magnam scissuram, ita, quod homo potest sine pressura intrare rupturam rupis. Dicunt autem, hanc scissuram in passione Domini factam, sicut dicitur Matth. 26.: et petrae scissae sunt. Transilivimus ergo rivulum, et per rupturam ingressi sumus, usque quo propter umbras ulterius procedere amplius ausi non fuimus.

De natatoria Siloe, in qua se lavit coecus et visum recepit.

De ruptura petrae exeuntes, et fluviolum Siloe transilientes ulterius contra rivum ascendimus usque ad natatoria Siloe, ad quam natatoriam misit Jesus Celidonium, coecum a nativitate, ut lavaretur. Et lavit, et visum recepit, ut dicitur Joh. IX. Haec natatoria nihil aliud fuit, nisi quoddam stagnum, factum sub fonte Siloe, in quod colligebantur aquae fluentes de fonte, circumseptum lapidibus et terra, sicut apud nos faciunt piscinas. In illa natatoria nunc nulla est aqua, quia rivus in eam non fluit, sed ad latus ejus pertransit descendens. Quidam Sarracenus nunc plantatum habet hortum olerum inter muros natatoriae, et quaedam arbores in ea creverunt. His tamen non obstantibus locum ingressi sumus, propter Christi antiquum miraculum ibi factum, et oratione dicta indulgentias recepimus (†). In quodam peregrinatorio legi, quod in illa natatoria se lavit Bethsabea, uxor Uriae, quando eam vidit David ex adverso domus suae, et concupivit, ac tulit. Sed hoc ego intelligere non possum, cum non possit esse prospectus

de monte Syon ad fontem Siloe, et cum in textu 2 Reg. XI. dicatur, quod mulier lavit se ex opposito domus regis in suo solario.

De origine, ex qua emanat fons Siloe sub monte Syon.

(160 A) A natatoria illa egressi aquaeductum rivi secuti sumus, et ad fontem Siloe, ubi de monte Syon manat, venimus. Porro per illam viam ascendendo sursum super rivum aquarum Siloe mirabamur de colore turpi et abominabili ipsius aquae. Sed postquam ad originem venimus, quae caussa turpis coloris fuerit, experti sumus. Nam quidam Sarracenus, cerdo, in ore voraginis, ex qua aqua effluit, stabat et pelles sive cutes recenter de animalibus distractas intingebat et pedibus comprimebat, ex quo aquae reddebantur sordidae et cruorosae, et ideo sub cerdone nullus bibere poterat, nec faciem lavare. Cumque ad cerdonem venissemus, voraginem ingressi sumus in montem, quia altum et profundum hiatum habet, sed non latum, ex quo effluit de terrae penetralibus aqua, et ibi super cerdonem bibimus et oculos lavimus in memoriam miraculi in hac aqua facti in coeco nato, ut Joh. 9. Dicunt vulgares, quod quicunque oculos laverit ex fonte isto, quod dolorem oculorum non patietur amplius. Tantam autem fidem adhibeo huic dicto, sicut cum dicitur, quicumque balneatus in Jordane fuerit, post lotionem non senescit. Cum magna ergo compressione stetimus in terrae hiatu, in scissura montis, et erat clamor magnus peregrinorum; primi clamabant propter sequentium importunitatem, et ultimi propter praecedentium tarditatem, medii vero propter pressuram utrorumque clamabant, et fuit multa impatientia ibi, non enim poteramus in hiatum aliter intrare, nisi distentis cruribus, et pede uno in una parte rivuli, et alio in altera locato transire poteramus [et] in aqua ascendere, quia omnes pretiosis calceamentis fuimus calceati, quae ad aquae tactum corrumpuntur; multi tamen in ipsum rivulum totaliter detrusi fuerunt. Expediti ergo de hiatu exivimus de ore speluncae, et exportavimus in scutellis et flasconibus nostris aquam sacram pro his, qui in hiatum ingredi non poterant; propter praedictas enim pressuras

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mulieres peregrinae, sociae nostrae, non introiverunt, sed cum quiete et pace foris sedentes manserunt in sua devotione, quibus aquam ministravimus (††). Et cum omnes simul extra essemus, orationes praescriptas legimus, et indulgentias plenariae remissionis habuimus (††).

Descriptio fontis et aquarum Siloe.

Ex praedictis patet etiam loci illius aliqualis descriptio; tamen illud notandum est, quod fluxus illius aquae perficit insigne perpetui miraculi, ex eo, quod non jugiter fluit, sed interpolatis diebus in hebdomade tribus (B) aut quatuor diebus, aliquando pauciores emittit aquas, aliquando nullas penitus, aliquando copiose ebulliunt aquae. Ego quandoque vidi voraginem siccam, quandoque paucis aquis fluentem, et nonnumquam adeo repletam aquis, quod nemo poterat hiatum intrare. Singularem enim oculum ad hoc habui, et saepe solus mane ante solis ortum descendi ad videndum rem. Nam fluxus ille inaequalis non ex natura, sed ex miraculo contigit tempore Esaiae prophetae. Ezechias enim rex Jerusalem cum audiret, quod exercitus Assyriorum veniret ad obsidionem civitatis sanctae, obstruxit fontes et obturavit cisternas terra et lapidibus per circuitum Jerusalem, ut inimici venientes aquam nullam invenirent, et ita recedere cogerentur a siti, ut habetur 2. Paralipom. 32. Ante fontem autem Siloe fecit quasi stagnum, in quo colligerentur aquae, et civibus deservirent, qui de civitate poterant ascendere, et aquas sursum portare poterant, et hostes ad locum venire et aquam tollere [poterant]. Quapropter S. Esaias propheta oravit, et a Domino impetravit, quod, quando populus de civitate descendit, sufficientes aquas invenit. Quando autem inimici venerunt, siccabatur fons, et nullas invenire poterant aquas. Et ideo in tanti miraculi memoriam non semper, sed certis horis fluit. De hoc miraculo loquitur Josephus, et Magister in Spec. Histor.

Juxta hunc fontem sepultus fuit Jesaias propheta a populo, dum eum Manasses rex occidit. Porro destructa civitate Jerusalem per Nabuchodum regem et dum sub Nehemia reaedificaretur, princeps pagi Maspha aedificavit portam fontis

superius in civitate, per quem populus exiret et descenderet ad tollendam aquam, et aedificavit murum piscinae Siloe, qui ceciderat, ut dicitur Nehemiae 2. Hos muros dejecerunt Romani in obsidione Jerusalem, sicut et alia demoliti sunt, quas Christiani succedentes reerexerunt, et devoti homines habitacula per circuitum aedificaverunt, et quasi monasterium super fontem aedificaverunt, sicut hodie patet. Nam ante fontem est stagnum, quasi balneum, et est muris et testudinibus circumdatum, sicut claustri ambitus, et fulciuntur arcus testudinum marmoreis columnis. Haec tamen pro parte ruerunt, pro parte ruinam minantur. Facile esset, ruinas relevare sacri fontis, sed nemo tangit, nec manum apponit, et ita locus de die in diem ruit, sicut aedificia aliorum locorum sanctorum. Olim erat locus honorabilis, quia in horto regis conclusus erat, et erat gradus de fonte usque sursum, usque in civitatem David montis Syon, ut habetur Nehem. 3. Nec suspicare possum, quomodo sit factum, vel qua orte inventum sit, quod Ezechias, rex Jerusalem, aquas fontis Siloe induxit in civitatem sursum, sive per tam altum spatium, secundum quod dicit Nicol. de Lyra, super Ecclesiast. Cap. 48, cum tamen (**161 A.**) sint a fonte Siloe usque sursum in civitatem ultra quadringinta passuum per praeceps, et non sit magna aquarum copia in fonte, nec decursus ejus est vehemens, adeo quod rotas possit volvere, quibus forte possibile esset aquas sursum duci.

De loco, in quo Esaias propheta fuit per medium sectus, et de causa mortis ejus.

Fontem sanctum deinde dimisimus, et ascendimus montem Syon, et in ipso clivo in quandam planitiem venimus, in qua una arbor densa ramis et foliis stat, nescio cujus speciei, est utique sicut tilia. Ibi est locus, ubi impius Manasse rex, qui Jerusalem idolis replevit et multum innocentem sanguinem fudit, occidi fecit Esaiam prophetam pro eo, quod eum pro sceleratis actibus correxit. Stabat autem tunc temporis in loco praefatae arboris magna et alta cedrus, ad quam cum carnifices prophetam duxissent, ut eum ibi occiderent, aperuit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

se truncus cedri, et Esaias rupturam arboris intravit, et reclusa apertione prophetam abscondit. Rex autem nec hoc miraculo conversus arborem incidi fecit, et prophetam extractum necavit, jubens eum lignea serra per medium scindi. In hoc loco diximus orationes signatas, et indulgentias recepimus (†). Quo facto sub umbra arboris consedimus et pausavimus, conferentes de sanctitate prophetae illius ibi occisi, de quo Jeronymus dicit, quod in sua prophetia videatur magis evangelium texere, quam prophetiam conscribere, ideo non tam propheta, quam evangelista est dicendus. Idcirco ejus prophetiae per adventum Domini et in nocte nativitatis Christi tam in matutinis quam in Missis leguntur tamquam dicta evangelica. Propter eminentiam suarum scripturarum jussit S. Ambrosius Augustinum, noviter conversum, legere prophetam Esaiam.

De loco, in quo ad arborem Iudas se suspendit.

Quiete finita sub praefata arbore processimus consequenter, et in processu ostendit nobis quidam locum, ubi steterat arbor, ad quam Iudas proditor se suspendit, et volebat nos ducere ad locum. Sed dedignabamur eum visitare, nec pedem propter eum volebamus movere, imo et oculos taeduit nos ad eum respiciendum levare, cum nulla sit ibi gratia nec indulgentia, sed poena, horror et ignominia. Verum contra locum paulutum stetimus, et responsorium opprobriosum contra eum legimus: Revelabunt coeli iniquitatem Iudae, et terra adversus eum corsurget.

De cavernis, in quas confugerunt Apostoli capto Domino, et ibi latuerunt.

Cantu maledictionis Iudae finito per clivum montis Syon descendimus in vallem, quae dividit ipsum montem Syon a monte Gyon, et vallis illa arcta est, et jungitur valli Siloe (B) mediante ea; vallem ergo illam arctam transivimus, et ad radices montis Acheldamah venimus ex opposito, qui mons est in accubitu montis Gyon ad aquilonem, sicut mons Calvariae est in accubitu montis Syon ad aquilonem. Credo tamen,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod illa pars, quae iam mons dicitur Acheldamah, propter agrum totum olim mons Gyon sit appellata, mons scilicet et accubitus montis, sicut contigit cum monte Syon, et cum monte Calvariae, ut dixi, et cum monte Synai, et cum monte Oreb; nam pars inferior dicitur mons Synai, superior vero mons Oreb; et cum monte Oliveti, in quo pars inferior ad austrum dicitur mons offensionis, et pars superior mons Oliveti. Sic mons ille a valle usque ad agrum dicitur mons Acheldamah, ab agro sursum dicitur mons Gyon. Ascendimus ergo montem Acheldamah per clivum praecipitem, et per scopulos et rupes nos sursum traximus, et in hortos ficorum, malogranatorum, et aliorum pomorum venimus. In his hortis erant multae rupes, elevati in altum, et parietes petrarum, in quibus erant incisae speluncae, simplices, duplices, triplices, et quadruplices; de quibus dixi. fol. 124. B. Has rupes et petras antiqui pro suis sepulturis exciderunt, sicut dixi fol. 157. A. Et postea tempore Christianorum homines terrae sanctae affecti sibi cavernas illas pro habitaculis elegerunt, nolentes nisi in sepulchris habitare, ut ibi cum gaudio mortem exspectarent. Et quando aliquis de antiquis sanctis potuit sibi acquirere habitaculum tale in terra sancta, putabat se thesaurum invenisse. Unde de illis Job. 3. dicitur: quasi qui effoderunt thesaurum, sic gaudent vehementer, cum invenerint sepulchrum. Ad has cavernas confugerunt Apostoli, dum a Domino de horto recesserunt, quando ligatus trahebatur ad episcopos. Magistrum enim tam dulcem deserere erat eis intolerabile, sequi vero impossibile, nec erat aptior manendi locus, nisi sub terra, caverna obscura; quaerebant enim in ipsis speluncis penetrare profundius usque ad interna, si possibile esset, terrae viscera, ut saltim ibi invenire possent altius gemendi, flendi, clamandi et ululandi locum. In orificiis siquidem cavernarum consistentes non audebant altos ejulatus et clamores emittere, ne audirentur, sed in pectore quantum valebant, retinebant clamorem cum dolore. Et adeo ipsa pectora repleta erant moerore, et guttura, facies, capita oris intumescebant, ora sua vestimentis obstruebant, ne gemitus erumpentes eminus audirentur. In hoc ergo sacro loco cum compassione processimus de caverna in cavernam, dispersique sumus per antra, et loca

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tristitiae Apostolorum venerati sumus. In ipsis autem cavernis consistentes sic peregrinus ad peregrinum colloquebatur: ecce, frater, in hac caverna forte resedit dilectus (**162 A**) Apostolus Andreas, plorans magistri sui calamitatem. Alius ex opposito sedens dixit: et hic sedit apostolus Bartholomaeus, lamentans, se deseruisse dulcissimum magistrum. E contra alter in alia spelunca dixit: et hic sessionis locus est, in quo forte Thomas dubius cum tristitia sedit. Ex alio vero caverna alius peregrinos advocans, dicens: ecce, hic duo loca simul in hoc tenebroso specu, ubi, ut opinor, sederunt duo Apostoli simul, Simon et Iudas. Et ita jocando devoto certamine quilibet locum attribuit apostolo illi, quem magis dilexit. In eodem horto ingressi sumus quandam singularem speluncam, dominico sepulchro simillimam, prout erat in suo primo statu. Circa haec loca dictis orationibus indulgentias recepimus (†).

De sancto agro Acheldama emto pretio sanguinis Domini Jesu Christi.

Latebris discipulorum perspectis ulterius montem Acheldama ascendimus per clivum rupium et petrarum, duram et saxosam viam, in quo ascensu quidam milites teneri et delicati facti fuerunt impatientes, et murmurabant pro labore itineris. Eramus enim incensi calore vehementissimo solis; processimus tamen sursum, et super aprum sanctum Acheldama venimus. De hoc agro habemus Matth. XXVI.: qui ante passionem Christi dicebatur ager figuli, quia forte erat possessio cujusdam figuli. Hunc agrum emerunt Judaei pro illis XXX. quos dederunt Judae pro Domino Jesu, in sepulturam peregrinorum, quorum corpora ante hoc tempus insepulta projiciebantur. In hoc ergo sacro agro in facies nostras procidimus et orationes praescriptas legimus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Et his peractis resedimus ad pausandum et ad loci considerationem. Nobis sic sedentibus adscendit ad nos quidam juvenis Sarracenus portans sportam plenam botris, de quibus emimus, et ita super agrum manducavimus, et bene recreati fuimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Agri Acheldamah dispositio.

Ager iste Acheldamah jacet in clivo montis Gyon, ex opposito montis Syon in parte australi. Super ipsum autem agrum est aedificium quatuor murorum, sicut bassa turris quadrangularis, et testudo ducta per latera operit aedificium. Habet autem illa testudo novem rotunda foramina superius, per quae mortuorum corpora injiciuntur. Et quia in montis declivo jacet, ideo a parte superiori, qua de (B) monte descenditur contra ipsum aedificium, sine ascensu super ipsam testudinem venitur. Testudo aedificii habet L pedes in latum, et LXXII in longum, et a foraminibus usque ad terram in profundum sunt XXVI pedes. Nec est aliquis alius introitus in cameram illam, nisi per illa foramina, per quae tamen nullus ingreditur, nisi funibus submittatur. Est enim ibi habitatio pro solis mortuis, et credo, quod ab ea hora, qua aedificium perfectum fuit, nullus vivus hanc cameram ingressus est, sed qui semel ingreditur, numquam egredietur, usque ad diem judicii. Ego posui me super ventrem, et caput intromisi, et inter ossa orida quinque recentia humana corpora ibi vidi. Super ipsam testudinem nullum est nunc aedificium, sed gramina superius crescunt, quae interdum foramina cooperiunt, et improvise ibi deambulantes in ea una pede incidunt. Sancta foemina Helena superaedificaverat loco ecclesiam, quam in honorem omnium Sanctorum consecrari fecerat, in quam monachi habitantes in latibulis Apostolorum ascenderunt, et ibi divina celebrabant. Postea, monachis illis deficientibus, fratres Praedicatores locum inhabitabant, et ibi Conventum habebant. Nam dum rex Rubertus Siciliae fratribus Minoribus mortem Sion, et alia loco, ut superius dixi, a Soldano multo auro comparasset, invocaverunt fratres Praedicatores pios homines, et congregata pecunia a Soldano agrum Acheldama emerunt pro Conventu in eo construendo anno Domini 1350, quo tempore in terra sancta fuit dominus Ludolphus, plebanus in Suchem, qui hoc in suo peregrinali scripsit. Accipientes autem locum ad tempus possederunt, sed propter invasiones Maurorum et infidelium invastationes locum deserere fuerunt coacti. Fratres enim Minores, quantum ad hoc, sunt bene

provisi in monte Syon, habentes quietum [locum] in civitate, et bene munitum altis muris et ferreis ostiis, ut patet fol. 97. A. His tamen non obstantibus persaepe sunt in magnis periculis propter importunas infidelium invasiones, etiam nocturno tempore. Et nisi essent viri fortes, dudum montem Syon dereliquissent propter periculosas invasiones illorum canum. Ideo non erat possibile, fratres Praedicatores in loco extra urbem et non munitum permanere, non obstante emtione et admissione Soldani, de quo non curant infideles etc. Repulsis ergo fratribus a loco Sarraceni ecclesiam et alia aedificia a fundamentis eruentes dejecerunt, demto aedificio sepulturae, quod hodie stat.

Post Praedicatores quidam graeci monachi, Calogeri, ibi habitaverunt, sed eadem necessitate compulsi locum dereliquerunt, et sunt pauci anni elapsi; reperi enim in antris et latibulis signa, per quae notare potui, ibi brevi tempore habitasse homines. Ad hunc locum multotiens descendi a monte Syon, et supra agrum sanctum horas meas legi, et optavi omnibus votis, si possibile foret (**163 A**) ibi inter fratres vitam finire, et ibi sepeliri. Unde in hoc loco sepulturam elegi, et petivi fratres montis Syon, si contingeret me mori in Jerusalem, quod me non in alio loco sepelirent, nisi in agro illo sancto, et corpus meum per foramina injicerent. Dico pro certo, quod caeteris paribus potius vellem ibi Conventum habere, quam in monte Syon; quia fratres possent ibi hortos plantare, vineta et ficeta, et est locus amoenus, habens respectum ad montem Syon, et ad vallem Siloe, et de fonte Siloe haberent aquas, quae prope est, et respicit etiam vallem Josaphat, et montem Oliveti etc.

De hoc agro dicunt pro certo, quod corpora defunctorum immissa statim in triduo incinerantur, et nil nisi ossa arida manent. Sic etiam dicunt de agro sancto, qui est Romae ad S. Petrum, ad quem terra deducta est hinc per mare, et agro illo superfusa. Sed et Pisani, dum dominarentur in Syria, de hoc agro terram sumserunt, et implentes naves, Pisamque ducentes sepulturam pretiosissimam fecerunt pro magnatibus terrae. In his ergo tribus coemeteriis corpora in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tribus diebus resolvuntur, quae in aliis coometeriis vix in XVIII. annis ad plenum consumuntur.

Porro de triginta denariis legi quandam longam et verbosam historiam, quae dicit, quod Thare, pater Abrahae, eos ad imperium Nini regis cuderit, cum aliis ejusdem percussurae, et Abraham eos accipiens in terram hanc detulit, a quo per successum Ismaeli sunt traditi, numquam ab invicem divisi. Hos Ismaelitae dederunt filiis Jacob pro Joseph fratre suo, quem vendiderant eis, fratres autem eos in Aegyptum portaverunt, pro frumento exponentes eos. Et de Aegypto transmissi sunt in Saba regionem pro mercimoniis. Hos regina Saba obtulit Salomoni inter alia munera, qui eos in gazophylacium templi Domini injecit; hos Nabuchodonosor cum aliis templi thesauris tulit, et Godoliae eos pro munere tradidit, a quo in regnum Nubiae sunt transmissi. Nato autem Domino in Bethlehem Melchior rex Nubiae obtulit eos Domino, quos beata Virgo et Joseph cum puero fugientes in deserto perdiderunt, et quidam pastor eos reperiens 30 annis servavit. Hic pastor audiens famam miraculorum Domini Jesu venit infirmus in Jerusalem, et sanitate ab eo recepta obtulit XXX Domino Jesu. Qui dum eos accipere nollet, dedit eos templi sacerdotibus, qui eos in corbanam miserunt. Vendito autem Domino Judae eos tradiderunt, qui poenitentia ductus projecit eos in templum, quos accipientes sacerdotes hunc agrum pro eis emerunt, et hoc pacto dispersi sunt ab invicem per mundum; de quibus in Rhodo unum vidi, cujus figuram Johannes Tucher de Nüremberga accepit, (B) et modulo facto plumbo fudit aequales argenteo, et suis amicit tradidit. Nam dum anno 1485 essemus congregati in Nüremberga ad capitulum provinciale celebrandum, dedit praedictus vir cuilibet fratri unum de suis denariis. Quantitas est sicut blaphordorum crucis, in una parte est facies humana, in alia est lilium. Superscriptio vero fuit quidem, sed videri non potest. Et tantum de monte Acheldama.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Descriptio montis Gyon, et de domo mali consilii.

Consequenter de agro Acheldama ascendimus montem Gyon cum magno labore. In ejus vertice ruinae magnorum murorum sunt, in quibus ruinis quaedam domicilia Sarracenorum sunt. Tempore David regis erat in illo monte castrum forte, ad regiam pertinens possessionem, et fuit directe ex opposito domus David, quae erat in acie montis Syon, ubi hodie est Conventus fratrum, et tam ibi quam alibi curias habuit se ipsas e regione respicientes, et familiam in utraque. David ergo, ut habetur 3. Reg. 1., jussit Salomonem in mulo regis duci in Gyon, et ibi omne robur exercitus eum sequebatur, et inunxerunt eum in regem super Israel, et clangebant tubis, et clamabant vocibus: vivat Rex. Hoc David audiens in Syon lectulo decumbens resedit, dicit Josephus, et Dominum adoravit; potest enim vox clangentis aut clamantis in Gyon audiri in Syon. Sed et Adonias, Joab, et reliqui in convivio sedentes juxta fontem Rogel, et juxta lapidem Soheleth, volentes Adoniam esse regem, voces tubarum in Gyon audiverunt, et perterriti intellecta veritate dispersi sunt ab invicem. Erant enim in pede montis Gyon, in valle umbrosa, sub valle Josaphat et Siloe, et ibi erant horti, sicut hodie sunt, et aqua, sicut adhuc fons est ibi, et lapis quidam magnus, quem juvenes levabant tentantes fortitudinem suam, quae dicebatur Sohelet, et erat locus amoenus, in quo praeparaverat Adonias convivium. Sed auditis vocibus supernis in monte: vivat rex, destructum fuit suum consilium, ut habetur ibi supra.

Domus Gyon tempore Christi erat pontificis et sacerdotum, et quando volebant aliqua secretissima tractare, transibant in eam, et fuit domus secretorum consiliorum. In hanc collegerunt pontifices et Pharisaei consilium, dicentes: quid facimus? quia hic homo etc., ut habetur Joh. II. Conclusa ergo fuit in hoc loco mors Christi. In hac domo creditur, quod Judaei deliberaverunt se opponere Romanis Tito et Vespasiano; unde et Hierosolyma fuit destructa. Et forte in illa domo fuerunt Apostoli flagellati, ut habetur Actor. V., quia eadem flagellatio erat tantum coram consulibus, quia

timebant plebem; ut dicitur ibidem. Et quando aliqua caussa tractanda venit, in qua plebem timebant, in hanc domum transibant, (**164 A**) ut essent ab hominibus sequestrati, et essent etiam in munitione. Accepit ergo domus illa nomen domus mali consilii, et hoc nomen retinet usque hodie. Visa hac domo non descendimus in vallem, sed per jugum montis Gyon in viam venimus, quae ducit Bethlehem, transeuntes contra orientalem plagam, et vallem inter montem Syon et Gihon gyravimus, et usque in agrum fullonis venimus, ubi stetit Rabsaces, et blasphemavit Dominum Deum Israel, ut habetur Esaiae 36. Dicebatur autem ager fullonis eo, quod fullones in illo agro pannos exsiccare solebant. Per viam ergo agri fullonis reversi sumus in Jerusalem, et peregrini, qui in hospitali manebant, transibant per portam piscium in civitatem; nos vero per jugum montis Syon ingressi juxta arcem David ad locum nostrum venimus. Et hic finitur peregrinatio civitatis Jerusalem.

De profectione peregrinorum in Bethlehem, civitatem David.

Sexta decima die Julii sero praecedenti venerunt ductores nostri in equis in montem Syon, et asinarii cum bestiis, ut ducerent nos in Bethlehem. Et cum omnes provisi essemus cum asinis descendimus de monte Syon a parte australi, et inter piscinas vallem transivimus, et montem Gyon ascendimus regia via, per quam tres reges missi ab Herode quaerere puerum natum in Bethlehem. Est enim valde sancta via a Jerusalem in Bethlehem et laeta, per quam legimus sanctos patriarchas, patres et prophetas ambulasse: Abraham scilicet, quando venit a Chaldaea cum uxore Sara; Loth cum uxore, veniens de transmontanis; Jacob et omnes sancti, David, Elias, Esaias, qui leguntur hic ambulasse. Insuper beatissima Virgo Maria cum Joseph sponso suo, dum esset gravida, veniens de Nazareth hic transivit, et saepe peregrinando hic ivit. Cum laetitia ergo montem Gyon ascendimus, et superius inter macerias delectabilium hortorum venimus, in quibus arbores diversi generis pretiosorum fructuum crescunt, et

vineae, et fici, habent enim illi de Jerusalem hortos suos ibi. Cumque extra hortos venissemus, ad locum ruinarum murorum veterum venimus, et ibi dicunt fuisse hospitium, in quo tres reges diverterunt, quando cum suis muneribus Bethlehem proficiscebantur. Inde consequenter profecti sumus, et ad locum petrosum venimus, in quo dicunt, quod beata Virgo Maria gravida residens pausaverit ad respirandum, et ostensus nobis fuit locus sessionis suae. In hoc ergo loco (B) de asinis resilivimus, et locum venerati sumus et mirati pariter et delectati in hoc loco, sicut et in tota via, compassi etiam tenerrimae et gravidae virgini pro tam longo itinere a Nazareth usque Bethlehem, plus quam X teutonicorum milliarium. Unde quidam devotus peregrinus in hoc loco mente se junxit venerabili Joseph, ac si cum gravida juvene etiam ibi residens quiesceret in praesenti, et his verbis aggressus est eum: compatior virgini tenerae et gravidae, cur eam, o bone Joseph, ad hos altos et asperos montes ducere tecum voluisti? Quare eam non in Nazareth in quiete dimisisti, et nisi fide illuminatus essem, procul dubio te zelotypum judicarem; nescis quaeso, quam praegnantibus et praesertim partui propinquis motus est nocivus, etiam molestus. Quid ad eam Caesaris descriptio? Numquid nescis, quod mulieres non urget Augusti edictum? Putasne describantur nati, antequam nati? etc. Ad haec Joseph jocunde intuitus peregrinum istum, respondit: quia ut fidelis et fide illuminatus loqueris mihi, fideles tibi, o peregrine, rationes facti assignabo. Audi. Cogitaveram quidem, audito Caesaris edicto, virginem in Nazareth dimittere. Sed grave mihi erat, tantum thesaurum mihi singulariter commissum adeo post me relinquere, nec inveni, cui possem depositum hoc immensum committere. Grave insuper mihi erat, abesse tam splendidissimae nativitati, ad quam ministrare totis praecordiis gaudebam. Super hoc Scripturae non ignarus scio, ducem, quem virgo haec paritura est, in Bethleheu nascendum ad regendum populum Israel. Sed et ipsa virgo, me dispositum ad iter cernens, nullatenus manere voluit, sed tamquam ad nuptias vocata mecum ire celerrime se disposuit, in somnis etiam angelus mihi adstitit, et virginem gravidam mecum ire praecepit, ut puerum natum mox

inscribi facerem Augusti libris, et civem romanum eum esse recognoscerem, quia non solum incarnari, sed et censui Caesaris adscribi et civis romanus inscribi voluit, ut nos cives coelestes constitueret, et potestatem romanae ecclesiae futurae roboraret. Et sicut ipse saeculari potestati subdi voluit, sic nos spirituali romanae auctoritati subjecit, nec te, o peregrine, perturbet alvus tumens virginis, et enim virgo haec sine gravedine gravida, sine depressione ponderosa, sicut est sine virili semine impraegnata. Quod autem hic pausamus, non est ex hoc, quod ipsa sit fessa, lassa, vel defectuosa, sed ego humanis defectibus pressus respirandi locum, tempus, prout necesse est, assumo.

De loco, in quo Magi viderunt stellam, quam viderant in oriente.

Locutione illa finita ascendimus asinos, et progressi in media via ad tres cisternas venimus, et ibi est locus, in quo Magis iterum apparuit stella, quam viderunt in oriente, ex quo gavisi sunt gaudio magno valde; ut habetur Matth. 2. Illae tres cisternae dicuntur (**165 A**) esse effossae in locis, ubi tres reges steterunt, intuentes stellam, quae disparuerat, quando ingressi fuerunt in Jerusalem. Circa hunc locum congavisi sumus tribus Magis, legentes et cantantes ea, quae in libellis processionum signata erant.

De loco, in quo natus fuit S. Helias propheta.

Dimisso loco illo venimus ad quandam ecclesiam Georgitarum, quae in eo loco stare asseritur, in quo Elias propheta natus esse dicitur. In hanc ingressi Deum adoravimus, et septennes indulgentias accepimus (†), et S. prophetam Eliam honoravimus. Sed incidit hic dubium, quomodo Elias hic sit natus, cum cognomen ejus monstret, eum esse de Theba, quia dicitur Elias Thesbites 3. Reg. XVIII. Sunt enim tres Thebae, una in Syria, in regione Galiditidis, in qua erat turris excelsa, de qua mulier cum fragmento molae jaciens illisit capiti Abimelech, qui turrem succindere conabatur, et dum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sentiret se moriturum, jussit se gladio feriri, ne diceretur a foemina percussus, Judic. IX. Secunda Theba est in Egypto, a qua tota regio dicitur Thebaida, quae olim fuit magna et opulenta civitas, ut habetur in legenda S. Mauritii de legione Thebaea. Hanc nonnulli dicunt esse Chayrum vel Babyloniam novam, ut dicetur suo loco. Tertia est in Graecia. De prima fuit Elias propheta, a qua et nomen est sortitus. Ad salvandam tamen veritatem nostri evagatorii possumus dicere, quod forte contigit Eliae, sicut Christo Domino nostro, qui conceptus est in Nazareth, et natus in Bethlehem, nominatur Jesus Nazarenus, et non Bethlehemitanus. Sic conceptus Elias in Thebis et natus in hyppodramo dicitur Elias Thesbites, et non Hyppodrontes. Legi tamen in quodam loco, quod hic quondam villa stetit, quae etiam Thebes dicebatur. Merito ergo inter loca sancta locus nativitatis tanti prophetae computatur, qui ante tria milla annorum natus est, et nondum mortuus, qui ante judicem venturus omnia restituet, ut habetur Malach. IV. et Matthaei 17.

De agro Abacuch prophetae.

Ab illo loco progressi juxta agrum Abacuch venimus. De hoc propheta dicitur Daniel XIV., quod coxit pulmentum, et coctum portavit messoribus in agrum hunc, quem angelus Domini hic apprehendit in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylonem super locum leonum in impetu spiritus sui, et prandium dedit Danieli. In hoc ergo agro paululum substitimus, et providentiam divinae bonitatis ammirati sumus, qua servis suis mirabiliter subvenire consuevit. Unde Gregorius de hoc dixit: Daniel sine sollicitudine cibi et potus veritate ejus angelica fide vivens in locum leonum inter rabida ora immanium bestiarum non fuit a Domino desertus, sed de Judaea in Babylonem sub (B) puncto temporis prandium a Domino per prophetam est allatum. Quo exemplo manifestissime cognoscimus, servos Dei secundum evangelica praecepta viventes hic egere non posse, dicente propheta: junior fui et consenui, et non vidi justum derelictum. Et iterum: non occidet Deus fame animam

justi. Et illud: escam dedit timentibus se. Unde numquam legimus, quod Deus suos electos fame mori permiserit. Martyribus enim ad hoc inclusis, ut fame necarentur, angelos misit, qui eis cibum de coelo attulerunt, (ut) frequentissime legimus. Et prophetas corvorum ministerio pavit, et sanctos patres, anachoretas, mirabiliter sustentavit. Et de dulcissimo patre nostro Dominico legimus, quod bina vice fratribus defectum panis patientibus transmissus fuit panis a Deo per angelos. Et si non mittit panem corporalem et visibilem, sustentat tamen mirabiliter suos electos virtute invisibili, sicut legimus de S. Catharina de Senis. Et idem datum est nobis nostra tempestate videre nostris oculis. Novimus enim eremitam Nicolaum, commorantem in solitudine montuosa super Luceriae lacum, jam ad XX annos vixisse sine omni cibo et potu. Quod tamen auditu est mirabile. Hunc virum ego vidi anno 1475.

In agro praedicto Abacuch reperiuntur lapilli rotundi et albi, ac si essent pisa alba. De hoc ostensores locorum dicebant quoddam puerile, quod tamen, sicut et alia puerilia, volo recitare. Dicebant enim, quod Dominus Jesus, dum quadam vice hic transiret, et quidam agricola hic pisa seminaret, et interrogavit eum Dominus, quid seminaret? respondit agricola irrisive: semino, inquit, lapides. Ad hoc Dominus: fiat ergo, ut dicis. Et statim omnia pisa facta fuerunt lapilli, retinentes colorem et formam pristinam. De his lapillis collegimus pro nostro solatio. Venit mihi in memoriam ibi ager quidam prope Gislingen in quo infiniti lapilli illius formae inveniuntur, et eadem fabula ibidem pueris recitatur. Prope hunc agrum est cisterna quaedam, de qua quidam peregrinus opinatus est, quod sit cisterna Joseph, in quam missus fuit a fratribus, Genes. 37. Sed hoc non bene consonat cum Scriptura, quae dicit: cisternam fuisse in solitudine, nec ibi est locus Sichem, nec Dothaim. Ideo transivimus citius, nihilominus tamen sancto Joseph compassi, quantum malum invidia sit, contulimus, quae nullum prosperatum diligere potest, etiam si sit frater. Unde bene dicit Socrates: felicitas semper est subjecta invidiae; sola miseria caret invidia. In progressu ultra agrum et cisternam, est murus antiquus, altus, in via,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ubi dicunt fuisse domum patriarchae Jacob, in qua per aliquod tempus habitavit, et murum dicunt esse de reliquiis patriarchalis domus. Ego vero quadam vice hic transiens murum ascendi, et pro certo comperi, quod fuit fulcimentum canalis, per quem olim aquae Jerusalem decurrebant. Et si fuisset haec domus Jacob, quid necesse fuisset, Rachelem uxorem ejus in via hac parere prope domum?

De sepulchro Rachelis, quod fecit ei Jacob patriarcha.

(166 A) Ulterius procedentes venimus in locum, quem Hieronymus de distantiis locorum nominat Chabrata, ubi est sepulchrum Rachelis, uxoris Jacob, quae hic in publica via existens, volens cum Jacob ire in Bethlehem, venit in horam partus, et ibi peperit Benjamin, et ob difficultatem partus obiit, quam Jacob hic sepelivit, et titulum super sepulchrum ejus erexit, et hic est titulus monumenti Rachelis usque in praesentem diem, ut dicitur Genes. 37. Quare autem Jacob Rachelem dilectissimam sibi uxorem non duxit in Ebron, in sepulchrum majorum, sed eam in publica sepelivit via, dicunt Hebraei, quod Jacob conscius prophetico spiritu futurorum hoc fecit ideo: nam dum Nabuchodonosor urbem destruxisset, et templum combussisset, et hac strata populum Dei captivum duxit in Persidem, cum sepulchrum illud transivit, extulit Rachel divino miraculo vocem magnis fletibus de sepulchro proclamans hostes et misericordiam divinam implorans; de hoc Jeremiae 31.: vox in Rama audita est etc. Verum catholici doctores ploratum Rachel de interfectione innocentium exponunt, Matthaei 1. Rachel autem secundum Jeronymum dicitur mater puerorum Bethlehem et illius regionis, quamvis essent de Lea, quia Rachel ibi suum mausoleum habuit, intitulatum solenniter. Hic autem titulus est pyramis alta, de lapidibus albis quadratis et politis fabricata, et est hodie pulchra capella, formam habens sicut capella nova, quae stat in medio coemeterii ad omnes Sanctos in Ulma, nisi quod sepulchrum Rachel est totum lapideum non festucam habens de ligno. Et juxta sepulchrum posuit Jacob XII lapides juxta numerum duodecim filiorum suorum. Ad latus capellae

fecerunt Sarraceni concham, ad imponendam aquam pro potu. De hoc sepulchro habetur 1. Reg. X., quod Samuel Saulem regem certificavit per signum, quod juxta sepulchrum invenerat, duos viros salientes magnas foveas. Hunc locum veneranturSarraceni, Judaei et Christiani. Orationibus ergo dictis indulgentias recepimus (†), et progressi inde ad locum nunc quidem aridum venimus, olim tamen deliciosum, quia ibi Salomon unum de suis hortis conseverat, de quibus hortis dicetur fol. 249. A. B. Ibi vidimus Bethlehem eamque salutavimus.

In loco praefati horti stetimus et ibi primo Bethlehem civitatem David et Christi vidimus e longe, quasi per medium milliare teutonicum; ecclesia tamen beatae Mariae Virginis, in qua locus est nativitatis, prae omnibus, quae videre poteramus, eminebat. Visa ergo civitate illa gratiosa statim cecidimus de asinis et jocundissime civitatem salutavimus his vel similibus affectuosis orationibus: salve Ephrata regio uberrima, cujus fertilitas est Deus. Salve Bethlehem, domus panis, in qua reconditur panis ille, qui de coelo descendit. De te quondam Micheas vaticinatus, te non esse minimam inter principes, imo maximam, ex qua dux exivit, qui mundum regit. In te natus est princeps ex virgine matre, qui ante Luciferum genitus est ex Deo patre; in te tam diu davidica stirps permansit, donec virgo peperit. O Bethlehem, quibus te laudibus efferam, nescio! quia quem coeli capere non poterant, in parvo tugurio conclusisti. Gaude Bethlehem, spectabilis facta in oriente et occidente. Nam sicut olim Magorum sapientia confluxit ad te de oriente, sic nunc peregrinorum devotio te videre desiderans venit ab occidente.

Salutatione peracta asinos ascendimus et cum ingenti gaudio et festinantia contra Bethlehem properavimus. Quidam prae gaudio et devotione flebant, alii ex jubilo cantabant carmina (B) illa natalia: Puer natus in Bethlehem, unde gaudet Jerusalem. Et illud: Resonet in laudibus, cum jucundis plausibus etc. Et illud: In dulci Jubilo nu ſingent und ſind fro ꝛc. Hymnum autem angelicum: Gloria in excelsis Deo, omnes simul cantavimus. Ad nostrum autem jubilum non movissent se domini Mauri Sarraceni, ductores nostri, sed cum silentio auscultabant, et videbantur mihi magis jocundi

esse solito. Numquam vidi peregrinos ita jocundos, sicut in illa via. Ego sex vicibus viam illam transivi, semper cum singulari gaudio quodam. Porro inter nos et Bethlehem erat grande intervallum magnae et profundae vallis, non tamen ita, quod necesse esset nos in vallem descendere, sed oportebat vallem gyrare, et super marginem vallis incedere usque Bethlehem per jugum altitudinis, in cujus cornu in alto benedicta civitas sita est. In ipso vero vallis medio vidimus locum, ubi pastoribus nuntiata fuerat nativitas Salvatoris. Dicunt autem historiae trium regum, quod, quando tres Magi cum suis exercitibus hic transibant super vallem, ut intrarent Bethlehem, tunc pastores in valle existentes, videntes insolitam stellam et exercitum illorum sequentes, cum festinatione ascenderunt sursum, ut viderent, qui essent, vel quo tenderent. Et cum intellexissent, quod puerum recenter natum quaererent, inceperunt eis recitare omnia, quae eis acciderant in nocte nativitatis pueri, et quo modo coelesti nuntio instructi didicerant, puerum illum esse Redemtorem mundi. Hoc audientes Magi amplius sunt gavisi pro eo, quod alios testes quam stellam reperissent, et aperientes bursas pretiosa munera propinaverunt illis pauperibus pastoribus pro bono nuntio. In hoc ergo consistentes loco mirabilia Dei laudavimus et congratulabamur regibus istis devotis. Et ita cum laetitia magna processimus.

De peregrinorum vexationibus, quas passi sunt, antequam ingrederentur in Bethlehem, ab Arabibus vel Midianitis.

Gaudium nullum in hoc mundo potest esse purum, etiam spirituale, et si videatur esse purum et inpermixtum ad horam, statim tamen redditur aliqua contrarietate obnubilatum. Et hoc in isto itinere experti sumus. De Jerusalem enim cum laetitia exivimus, et quanto Bethlehem propinquiores facti, tanto majori gaudio fuimus affecti, ut patuit per praefata. Deo autem disponente gaudium nostrum fuit satis terribiliter interruptum. Ut enim civitati benedictae appropinquavimus, ecce, exercitus Arabum contra nos venit, egrediens de Bethlehem, ex quorum aspectu consternati et perterriti fuerunt

nostri ductores et nos conturbati; conglobavimus vero nos peregrini in unum, et Sarracenos ductores nostros cum patronis galearum nos praecedere permisimus, (**167 A**) et formidulosi nostro sic agmine ordinato contra raptores e diverso venientes processimus; non erat enim locus nec tempus fugae aptum, sed si fuisset, terga praebuissemus istis spoliatoribus. Cumque ad eos venissemus, et anteriores procedere vellent, obstiterunt illi, et viam praeoccupaverunt, ne quis transire posset, et amplius quam per horam ibi stetimus; ductores enim nostri et patroni cum eis de conventione tractabant, et multa clamosa litigia simul habebant, nemo tamen alium laesit quovis modo, quia orientales non procedunt statim ad laesionem personae, nisi vim vi repellere cogantur, nec erant nobis inimici Arabes illi, sed solum pecuniam a nobis exigebant, quam dicunt de jure sibi competere, ut saepe in sequentibus habebimus. Si enim vi et contra voluntatem eorum processissemus, dimisissent quidem, quia eramus plures quam ipsi, sed interim advocassent suos complices, et obsedissent nos in Bethlehem, et usque ad extremum nos coarctassent, et forte gavisi fuissent, si cum violentia eos pertransivissemus, propter majores accusationes, nec tamen aliquid potuissemus contra eos agere, quamvis nos plures essemus, quia ipsi armati erant hastis, gladiis et arcubus, nos vero inermes, demtis ductoribus nostris, qui etiam ferebant arma. Post multa parlamenta fuit conclusum, si vellemus intrare Bethlehem, quod solveremus XXIV ducatos, si non, redire nobis liceret in Jerusalem. Aperuimus ergo bursas [et] omnes solvimus pecuniam, quilibet taxam suam, et progressi sumus. Ipsi autem exactores in loco manserunt, dividentes spolia. Porro cum per bonum spatium ab eis essemus divisi, erupit de civitate alius exercitus Arabum, qui erant complices eorum, et ingesserunt se in peregrinorum cuneum, et cum magna irrisione et clamore penetraverunt per medium nostrum, trahentes nos, trudentes, pileos de capitibus peregrinorum projicientes, et suis jocis incompositis plures turbaverunt. In illo tumultu hoc mihi accidit: me enim in asino inter alios eunte venit unus Arabs a contra in equo, volens cuneum nostrum penetrare, sicut fecerant alii sui socii, et ut sibi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

locum transeundi darent, et viam liberam sibi facerent, hastam vibravit, et directe contra faciem meam eam direxit, cui propter multitudinem locum dare non potui, nec de asino cadere, sicut libenter fecissem. Et ita ictum venientis contra me coactus fui exspectare cum magno terrore et timore. Veniens autem forti ictu pileum de capite meo cum ferro acuto avulsit, et deridens praeteriit. Fui autem laetus, quia mansi illaesus, et tristis de asino descendi in tumultu ad quaerendum pileum, quem quidam peregrinus levaverat, et mihi eum reddidit. Fui bene contentus, quod ille artem tangendi cuspide rem, prout voluit, bene scivit, quia, si pro uno tansverso digito (B) magis basse vibratam tenuisset, testam cerebri mihi perforasset. Erant autem illi nequam servi illorum, qui nos pecunia mulctaverant, et cum laetitia ad dominos suos exibant congaudentes eis de pecunia accepta et nobis insultantes.

De ingressu peregrinorum in Bethlehem in ecclesiam nativitatis Christi.

Cum prope essemus civitatem Bethlehem per jactum arcus ab ejus introitu, venimus ad locum, in quo erat cisterna David, quae ideo dicitur cisterna David, quia, ut habetur 2. Reg. 23. David de ea desiderabat bibere, cum esset in praesidio, et ipsa cisterna esset circumsepta inimicis, quo tamen non obstante tres fortes de exercitu David irruperunt castra Philistinorum et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quae erat juxta portam, et attulerunt ad David, qui eam bibere noluit, sed Domino eam libavit. Est enim cisterna grandis, profunda et lata caverna, habens superius tria ora, sive tria foramina ab invicem distantia, per quae aqua de eodem lacu hauritur, et continet aquas copiosas, claras, sanas et frigidas, de quibus hausimus et bibimus. Vulgus tamen et incolae Bethlehem nunc abominantur et horrent aquas illas, quia quaedam mulier sarracenica aquam haurire volens ante paucos dies et incaute agens per os cisternae illapsa in aquam cecidit et mortua extracta fuit. Ab illa cisterna venimus ad latus civitatis benedictae Bethlehem, sed non sumus eam ingressi, et ad latus ejus transivimus contra orientem, et per

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

multas murorum ruinas atrium ecclesiae beatae Virginis ingressi sumus, et ibi resignatis asinis suis custodibus ecclesiam sanctam ingressi sumus, et procidentes in facies nostras indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Et surgentes ab oratione de magnitudine et pulchritudine illius ecclesiae vehementer stupefacti sumus et admiratione suspensi. Et invenimus in ecclesia mercatores illos, qui in ecclesia sancti sepulchri etiam fuerant nobiscum, qui vendebant candelas; de quibus emimus, quia jam nox erat in foribus, et sol in occasu erat.

De visitatione sanctorum locorum, et primo de studorio St. Ieronymi, et de ejus sepulchro.

Ordinaverunt autem fratres processionem eo, quo dictum est fol. 94 A. et 110 B. Eduximus enim in asino nobiscum ornamenta et paramentaria de monte Syon in Bethlehem, et dum quilibet staret in ordine suo, habentes similiter accensas candelas in manibus, incepit cantor hymnum de confessore uno: Iste confessor Domini etc. Et cum illo hymno de ecclesia exivimus in ambitu ad latus sinistrum, et in ambitu per quoddam ostium ingressi (**168 A**) per XIX gradus descendimus in unam pulchram testudinatam capellam. In hoc habitaculo erat studorium divi Hieronymi, in quo multos et duros labores habuit. Ibi totam Bibliam de Hebraico et Chaldaico in Latinum transtulit, et in linguam propriam et vernaculam, sicut ipse testatur in epistola ad Sophronium de nova editione, et in epistola de hebraicis quaestionibus; et prologos, epistolas, glossas et commentaria confecit. Ibi psalterium, sicut hodie illum habet ecclesia Romana, correxit, distinxit et ordinavit, et versum: gloria Patri, et filio, etc. ibi dictavit, multos ibi discipulos sibi adunavit, eos docens; virgo semper permansit; leonem ferocem domesticum et mitem fecit; jugem pugnam cum haereticis et vitiosis clericis et malis monachis habuit. Semper in labore fuit, et se in cella hac ita fatigavit, ut in strato suo jacens, funiculo ad trabem suspenso, supinus manibus se sursum traheret, et officium monasterii, prout poterat, exhiberet. Et his laboribus

quinquaginta quinque annis et sex mensibus desudavit. In hoc loco adoravimus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus cum gratiarum actione (††).

Sepulchrum S. Jeronymi jam vacuum.

Huic capellae adhaeret alia capella haud longe a praesepio Domini, ubi sibi elegerat sepulturam, ut dicitur in epistola Eusebii, in qua S. Jeronymus jussit sibi fieri sepulchrum, ad huc vivens, in quo post obitum gloriosi patris fuit locatum corpusculum maximis miraculis coruscum, ut dicit Eusebius. Hoc sepulchrum est adhuc hodie integrum, sed vacuum, marmoreeis tabulis ornatum. Corpus enim ejus fuit de Bethlehem Constantinopolin translatum, et inde Romam, ubi hodie ad S. Mariam majorem in pretiosa reconditum habetur tumba. In hoc ergo loco dictis orationibus indulgentias accepimus (†). Pro devotione ad S. Jeronymum legitur, S. Augustinum mare transisse ad visendum hunc locum, in epistola ad Cyrillum episcopum Hierosolimitanum. Nec potuit de fovea corpus transferri, eo enim translato in crastinum fuit iterum in fovea repertum, donec Jerusalem possessa fuit a gentilibus; tunc permisit se transferri Romam, ut habetur in ultima epistola Cyrilli.

Sepulchrum S. Eusebii, discipuli S. Jeronymi.

Alia crypta huic est annexa, in qua S. Eusebius, discipulus divi Jeronymi, est sepultus. Hic Eusebius, Cremonensis, Jeronymi discipulus dictus, vir eloquentissimus, inter alia vitam, miracula, obitum, sui praeceptoris luculento sermone conscripsit ad Damasum Portuensem episcopum, et ad Theotonem Romanorum christianissimum senatorem. Et quantae humilitatis fuerit vir ille, notatur in epistola, quam scripsit praefato episcopo. Ante hujus ergo Sancti tumbam procubuimus, patrocinia ejus postulantes, et indulgentias suscepimus (†). Obitum suum revelatione beati Jeronymi praescivit et prope tumbam S. Jeronymi sepeliri constituit, et eadem hora, qua ipse obiit, mortui sunt tres antea per beatum Jeronymum

resuscitati. Inde argumentum destructionis haeresis cujusdam, ut habetur in epistola S. Cyrilli episcopi Jerosolymitani ad beatum Augustinnm, in qua multa ad commendationem S. Eusebii dicuntur.

De loco circumcisionis Domini Jesu, in quo dicitur die octava circumcisus Jesusque vocatus.

Post hoc de crypta reascendimus et regressi in ecclesiam per medium ecclesiae transivimus ex adverso ad dextrum latus, et ascendimus in capellam, quae in eodem latere choro adhaeret, et ibi ante altare hymnos et antiphonas de circumcisione Domini depromsimus, et: Salve Regina, de beata Virgine, et prostrati locum sub altari deosculati sumus, et indulgentias plenariae (✠) remissionis accepimus (††). Siquidem in hoc loco sacro fuit Dominus Jesus circumcisus die octavo, non enim poterat in specu, ubi natus fuerat, et in qua Virgo puerpera residebat, circumcidi propter tenebras, et forte circumcisores abhorrebant stabuli foetores, eportaverunt puerum Jesum, eumque ibidem circumciderunt. Sanctitati hujus loci attestatur odor dulcis refusus ob eo, nam dum quis se ad locum deosculandum incurvat, inusitatus quidam odor exhalat, qui deleclat et ad venerationem loci inclinat. Inaestimabilis est locus ille sanctitatis, in quo primo rupti sunt fortes abyssi magnae, et venit mundatio super universam terram, non aquae submergentis, sed sanguinis vivificantis. Sic enim in diluvio Noae omnes, quos aqua involvit, perierunt, sicut in diluvio sanguinis Christi omnes involuti vitam receperunt. In hoc loco nos peregrini gloriabamur pro eo, quod iam in omnibus locis fuimus, et ea loca deosculati sumus, in quibus Dominum Jesum suum sanguinem pretiosissimum fudisse legimus. Scilicet hic in circumcisione, in quo primo fontes abyssi, i. e. venae Christi, rupti sunt. II. in monte oliveti in loco agoniae Christi, fol. 184 B. III. in flagellatione et coronatione fol. 138. IV. crucis bajulatione, quando cecidit fol. 123. V. in crucifixione fol. 116. VI. in lateris apertione. Insuper ex nomine illo dulcissimo Jesu hic locus venerabilis redditur, quia hic primum mundo factum est salutiferum, cum non sit

aliud nomen super terram, in quo oporteat nos salvos fieri, quam nomen Jesus. Hic enim est hoc unguentum effusum, de quo sponsa dicit Cant. 2: unguentum effusum nomen tuum.

De loco, ubi paraverunt se Magi cum vestibus et muneribus.

Cumque in loco circumcisionis laudes persolvissemus, incepit cantor hymnum: hostis Herodes impie. Et cum illo cantu gyravimus ad sinistram ecclesiae partem, et iterum ad latus chori adscendimus in capellam choro annexam, quae capella in eo loco stat, ubi Magi de dromedariis et camelis descenderunt, ante diversorium, super quod stella stetit, et hic munera offerenda de sacculis producentes aptaverunt, et se vestibus pretiosissimis ornaverunt, ut magnifice et curialiter regi nato apparerent. In hoc ergo loco in oratione genuflexi-mus et indulgentias recepimus (†). Ad latus loci stat una cisterna, de qua servi Magorum hauserunt aquas pro bestiis suis, ad quam etiam accessimus et introspeximus. Cum sanctis ergo regibus disposuimus nos, ut cum laetitia et debita devo-tione in diversorium procederemus.

De specu dulcissimae nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et de introitu peregrinorum in eam et de devotione loci.

Exulta nunc peregrine, et in laetitia esto frater charissime, quia jamjam videbis locum sanctissimum et dulcissimum, fidelibus pariter et infidelibus venerabilem et devotum. Dico enim vobis, quod multi reges et prophetae, immo multi summi pontifices, episcopi et cardinales, imperatores, duces, nobiles, religiosi et saeculares voluerunt et desiderarunt videre, quae vos videtis, et non viderunt. Igitur cum juxta altare et cisternam praedictam staremus, incepit cantare jocundum hymnum de nativitate: Christe, redemtor omnium, ex patre patris unice etc. Et illum hymnum cantavimus sub eadem nota, quae in nostro ordine cantatur, et ubi in eo ponitur dies, nos locus cantavimus. Ubi ibi: hic praesens testatur dies,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nos cantavimus: hic praesens locus testatur. Et ibi: ob diem natalis tui, nos diximus: ob locum natalis tui etc. Cum isto ergo cantu a loco praefato discessimus et ad chori parietem nos convertimus, et per ostium polito et candissimo marmore ornatum intrantes per sedecim gradus subter chorum in cryptam obscuram de se, sed pluribus lampadibus illuminatam descendimus, desuper jacente petra, sub qua natus est Salvator mundi Jesus Christus. Laudibus ergo praescriptis finitis, quae in processionali continentur, accessimus unus post alium ad altare ejus in capite speluncae, et in facies nostras in terram cecidimus, et sub ipso altari locum dulcissimae nativitatis Christi deosculati sumus, in quo loco candidus marmor jacet, artificiose in modum solis formatus, quia hic ortus est sol justitiae, et hic Maria Virgo intemerata lumen aeternum effudit, et hic per incarnati verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux suae claritatis infulsit. Devotissime ergo et cum gaudiosis lacrymis ante lapidem ipsum nos prostravimus et adoravimus, in quo puer ille mirabilis egressus de virginali utero dicitur jacuisse. Immo quodammodo evidenti signo probatur ita esse ex mirifico et delectabili odore, quem ille percipit, qui oscula lapidi imprimit. Divina namque res est quaedam, et quae omnia superet, suavis ad nostros sensus ab illo loco aspirans odor. Redolet enim ex eo loco, qui tamen vacuus cernitur omni materia odorifera, adeo intensus odor, ac si esset apotheca aromatum, superat tamen omnem vim pigmentorum. Nec hoc parabolice dico ad mysticum intellectum, sed in veritate assero, corporali sensu me ita percepisse totiens, quotiens me ad lapidis sacri deosculationem applicavi, nec perceptio illa est alicui singularis, sed omnibus locum deosculantibus datur haec gratia generalis, etiam ipsis infelicibus Sarracenis, ut manifeste cognoscant, mentitum Machometum, qui ipsam sacram nativitatem dicit in quodam loco solitario in horto sub palma, in suo abominabili Alcorano, ut habet Dominus Nic. de Cus. in cribratione Alcorani. L. III. C. 17. Non solum autem haec, sed omnia loca in quibus Dominus Jesus nudo corpore fuisse legitur, hoc privilegio fulgent, quod odor quidam dulcis ex eis spirat. Nec hoc mirum alicui videri debet, cum hoc idem legamus contingere ex Sanctorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tumbis et sepulchris. Illo ergo suavi odore allecti diutius in sancti lapidis deosculatione mansimus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Nec suffecit nobis tempus ad contemplandum aliqualiter ineffabilem nativitatem virginei partus, cui libentissime operam dedissemus. Sed quid dicere possemus de illa ineffabili nativitate peracta in isto loco, etiamsi omne tempus nobis daretur, cum excedat facultatem humani ingenii et eloquii, et intellectus humansus obruatur, et angelicus superetur magnitudine hujus facti? Certe nihil. Quio tamen in hoc sacro loco apparuit Deus homo, verbum caro, immensus parvulus, aeternus puer, creator creatura, invisibilis visibilis, immortalis mortalis, omnia potens infirmus, dives pauper, dominus servus, coelum terra, sol tenebrae, ineffabilis patens; ideo, etsi ex una parte silere nos jubet immersitas, ex alia tamen loqui percepta praecipit bonitas. Non tamen alia loqui de hac nativitate licet, nisi ea, quae locuti sunt devoti et contemplativi et sancti Dei homines. Tradunt enim docti et Sancti, ut S. Vincentius Ordinis Praedicatorum, et Ludolphus Carthusiensis et Jacobus Carthusiensis, cujus sermones per apostolicam sedem approbati sunt, et Simon de Cassia, modum temporalis nativitatis Christi. Adveniente enim hora illius gloriosissimae nativitatis Christi, incepit puer in utero matris Virginis mirabiliter gaudere. Unde Psalmus: exultavit ut gigas ad currendam viam. Ex quo gaudio mater Maria repleta fuit ineffabili jubilo in immensum, plus quam Elisabeth a gaudio Johannis in ejus utero exultantis, et incepit facies Virginis rutilare et incandere, quod Joseph hoc videns obstupuit, et dixit: O domina Maria, quid est hoc insolitum, quod agitur tecum? Respondit Maria, modo, pater mi, venit hora partus mei. Et ubi, inquit, obstetrices? curram, et vocabo aliquas. Virgo hoc prohibuit, dicens: sicut in conceptione pueri illius nullus fuit coadjutor, sic in ejus nativitate nulla erit obstetrix. Et hoc dicto abscessit ad interiora diversorii, ubi erat specus, desuper pendente petra, et ibi in oratione se posuit, in ecstasin venit, et perfusa ardentissimo desiderio rapta in spiritu fuit, ut quasi semetipsam nesciret, an in corpore an extra corpus esset, sicut accidit Apostolo, 2 Cor. 13. Et inter haec corpus incanduit, quasi ferrum ignitum, et in hanc

scilicet orationem prorupit: ecce Domine Deus, pater coelestis, concepi unigenitum filium tuum, et nescio, quomodo in utero meo apparuit; nunquam enim ego spiritum et animam donavi ei, et vitam et membra ejus non ego ipsa compegi, sed tu mundi creator formans hominis nativitatem, et qui omnium invenisti originem, haec sine actione mea operatus es in me. Sed et exitum filii tui de me ignoro. Totum ergo Domine Deus tibi committo, fiat voluntas tua. Et hac dicta oratione ecce nubes lucida obumbravit eam, ita, quod videri non poterat, et (**170 A**) ad sublimissimum gradum divinae contemplationis rapta jocundissime delectabatur. In qua delectatione enixa est filium Dei, non solum sine sensu doloris, sed cum sensu maximae dulcedinis, ut impleretur illud Esaiae ultimo: antequam parturiret, peperit. Et sicut canit ecclesia: Sicut sidus radium perfert Virgo filium, pari forma, numquam sidus radio, neque mater filio fit corrupta. Puer autem ex virginali utero procedens nudus in terram decidit, et communem aerem accepit, et primam vocem emisit, plorans, Sap. 7. Unde Jeronymus ad Eustachium de virginitate suadenda: Christus Jesus novem mensibus in utero ut nascatur exspectat, fastidio sustinet, cruentatus egreditur. Nec verum creditur, quod in Alchorano Mahometi dicitur, quod puer Jesus in puncto nativitatis suae matrem allocutus sit, ut habetur Lib. 2. C. 17. Nic. de Cusa, et quod amici Virginis eam pro stupro correxerint, quam infans mox clarissimis verbis excusavit, ut habet Alcoranus. Quae conficta mendacia Machometi sunt. Ad hanc pueri vocem Virgo ad se rediit, viditque infantem ante se vagientem, et se a gravidatione absolutam intellexit se peperisse, et sine dolore et sine corruptione. Et mox ipsum, quem genuit, devotissime adoravit, dicens: o Domine fili benevenisti de coelo in terram pro salvatione hominum. Tu enim es desideratus omnibus gentibus. Te adoro humiliter, quia creator meus; te deosculor suaviter, quia filius meus; et inclinans se reverentissima humilitate ad puerum deosculabatur pedes ejus, manus, caput et labia, et manibus suis eum levans de terra in sinum posuit, infantilibus membris, prout necesse erat, obsequium maternis officiis exhibuit, et demum pannis eum involvit, et caetera. Lucae 2.

De hoc dicit Ambrosius: sicut, o Maria, quis nobis posset arcana cordis tui reserare, cum hunc adorares natum tuum, ut Deum tuum, et illic osculareris, ut filium? Porro in ipso filio suo statim tria agnovit. I. Felicitatem et beatitudinem animae ejus, et indesinentem divinae essentiae contemplationem; et hoc cognovit ex gaudio, ad quod ipsa rapta fuerat in ejus nativitate. II. Cognovit, ima summis esse conjuncta, et pacem redditam inter Deum et hominem; et hoc percepit ex cantu et laetitia angelorum. III. Intellexit filii sui amarissimam passionem et mortem futuram; et hoc ex fletu pueri. Ex primo ipsa habuit beneficum gaudium, ex secundo laetitiam mirificam, ex tertio vero compassionem et magnam tristitiam. Et credunt Sancti, quod quandocumque puer flevit, et ipsa lacrymas inde fudit. Unde Bernhardus in persona Virginis sic puerum flentem alloquitur: dulcissime fili, noli flere, si exterius frigescit tua infantia corporalis, in charitate tamen calescit sancta mens et omnia. Unde et tu, fili mi, quia angelus Gabriel promisit mihi, te regnaturum in domo Jacob in aeternum, noli ergo flere. An forte ploras miseriam conditionis humanae, vel forte futuram tuam mortem? An forte ploratu tuo annuntias mihi planctum meum in separatione a te? Et tantum de illo. Nimis, fateor, evagatus sum extra propositum, sed da veniam, humane lector, quia hoc te scire volo, quod non est locus in tota terra sancta, cui magis affectus sim, et in quo divina pietas manifestius se peregrino (B) offerat. Nemo enim adeo durus et iners esse potest, qui se in hoc sanctissimo loco valeat a dulcibus continere lacrymis, nam et ipsi perditissimi et blasphemi Sarraceni, dum huc accedunt, abunde lacrymas fundunt, quia circa locum illum quodam singulari modo rapitur advenientium mens in dulcissimam et inusitatam devotionem, et sensibilitatem confert locus ille virtutem quandam devotius se habendi locato etc.

De praesepio Domini, et quale sit, et quale fuerit.

Nativitatis dominicae loco venerato convertimus nos ad dulcissimum Domini praesepe, quod ad VII passus est a loco praedicto. Et cum venissemus ad praesepe illud, devotissime

deosculati sumus inclinantes nos in ipsum, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††), et simili odore, ut dictum est, recreati. Nec mirum, cum flos balsami in hoc praesepe positum sit. Beatissima enim Virgo Maria puerum pannis involvit et in praesepe posuit, quia non erat ei locus in diversorio, in quo pastores angelo docente puerum invenerunt. Hoc praesepe stat sub petra desuper pendente, in quo peregrini priores dicunt se vidisse ferreos circulos et clavos, ad quos ligabantur bestiae, et Christo ibi jacente stabant ibi ligati bos et asinus, cognoscentes et adorantes Dominum suum, ut dicitur Esaia 1. Ostendabatur etiam olim lapis ibi, quem Virgo mater supposuit capiti parvuli, quia pulvinar aut simile non habuit; sed lapidem foeno texit. Unde ecclesia cantat: Foeno jacere pertulit, praesepe non abhorruit etc. Erat autem praesepe Domini saxeum, ex eadem petra excisum, quae superpendebat, sicut hodie sunt praesepia in illis terris. Nec intelligo, quod dicitur communiter, quod S. Helena tulit praesepe ligneum de loco, et posuit marmoreum, et verum praesepe transtulit Constantinopolim, et inde dicitur esse translatum Romam in ecclesiam lateranensem. Nisi vellemus dicere, quod Joseph forte de lignis contexuit praesepe, et posuit super praesepe saxeum. Et tunc oportet dicere, quod Joseph bovem et asinum secum in locum duxit de Nazareth, sicut plures dicunt. Porro praesepe illud, quod hodie est in loco, est marmoreum, tabulis albis expolitissimis factum in loco vero praesepis Domini, et subtili schemate ornatum; quod deplorat Chrysostomus, dicens: O si mihi liceret illud praesepe videre, in quo Dominus jacuit! Nunc nos Christiani quasi pro honore tulimus lutum, et posuimus argentum. Sed mihi pretiosius illud est, quod ablatum est. Nam argentum et aurum miratur gentilitas, christiana fides et devotio miratur luteum illud praesepe, quia qui in illo praesepi natus est, aurum condemnat et argentum. Non condemno eos, qui honoris (171 A) caussa fecerunt, neque etiam illos damno, qui in templo fecerunt vasa aurea, sed admiror Deum creatorem mundi, qui non inter aurum et argentum, sed in luto nascitur. Haec ille. Sunt enim praesepia illius terrae aut saxea aut lutea, et non de asseribus aut truncis facta. Habet autem

praesepe modernum quatuor palmas in longum, et tres in latum, paulo minus. Porro tabula polita marmorea, quae ex opposito stat illi, quae ante praesepe genibus flexis stat, est valde subtiliter polita, sicut speculum, et insigne hoc ex ea resultat: diligenter enim et curiose inspecta resultat imago senis barbati, in dorso jacentis super mattam, in habitu monachi defuncti, et juxta eum leonis effigies. Et haec imago non est facta arte vel industria, sed ex ipsa politione de se, sine intentione polientis est inducta; sicut saepe videmus in mensis ligneis nodosis, laevigatis, contingere, in quibus nonnumquam post laevigationem et politionem apparent diversarum rerum effigies, sine intentione artificis inductae. Sic et ibi contigit. Dicunt tamen, hoc esse factum ex intentione divina ob praecipuam sanctitatem gloriosi Jeronymi. Haec imago non videtur ab omnibus, sed solum ab his, quibus ostenditur, et qui sciunt; qui vero nescit, nunquam poterit eam videre. Unde, dum primo mihi ostendebatur, putabam, quod frater ille, qui mihi ostendebat, joco diceret, se videre in lapide St. Jeronymi imaginem, nec potui per me ipsum videre, donec frater digito ostendit mihi linementa lapidis, et tunc manifeste vidi, ac si fuisset subtiliter depicta. Legitur in epistola Cyrilli ad Augustinum de miraculis beati Jeronymi, quod in ecclesia Syon antiquis temporibus erat quaedam S. Jeronymi sculpta imago, quae maximis claruit miraculis.

De loco, ubi sedit beata Virgo cum puero, quando venerunt tres Magi cum suis muneribus.

Perspecto praesepio sacro convertimus nos a praesepio ad altare, quod ante ipsum stat in distantia duorum vel trium passuum, et ibi est locus, ubi sedit beatissima Virgo Maria, habens puerum Jesum in gremio, quando tres reges ingressi cum suis muneribus ea obtulerunt. In illo loco nos etiam cum tribus regibus in facies nostras procidimus, et nos ipsos obtulimus Christo Domino, et indulgentias accepimus, cantantes hymnum de tribus regibus, et orationes (†). In quanta autem reverentia et devotione hi tres reges sua munera obtulerint, patet Matth. 2. Nec credendum est, quod

illa muuera, etiam praeter mysticam significationem, fuerint exilia. Dicunt enim historiae, quod primus, Melchior, rex Arabum, obtulit aurum in pecunia, et parvum pannum aureum, qui manu concludi poterat. Hunc pannum Alexander Magnus accipiens de omnibus terris sibi subditis aurum confecit de omni auro, concludens eum manu in signum potentiae, et venit in regnum Arabiae. Dum autem Melchior pannum illum puero in manum poneret, statim in (B) cinerem resolutus est, ut ostenderetur, Christi regnum non esse de hoc mundo corruptibili, ut dicitur Joh. XVIII. Dicitur etiam, quod ille rex obtulit Christo XXX argenteos, quibus postea venditus fuit, ut patuit fol. 163. A. Secundus, rex Saba, Balthasar, obtulit thus copiosum. Tertius vero, Caspar, rex Aethiopum, obtulit myrrham pretiosam. Nonnulli tamen dicunt, quod singuli omnia tria obtulerunt.

De cisterna, in quam cecidit Magorum stella ministerio suo expleto.

Oblatione nostra peracta in oblationis loco descendimus in ipsa crypta usque ad finem, et in angulo sinistrae partis cryptae ad unum foramen venimus non magnum, sub quo est cisterna profunda; non tamen potest de ea hauriri aqua, propter aedificia superaedificata. Tempore autem Christi erat cisterna patens. In hanc cisternam dicitur cecidisse stella illa, cujus ministerio ducti fuerant Magi ab oriente, et ibi reducta fuit in praejacentem materiam. Hujus opinionis sunt multi doctores catholici. Et in hujus memoriam derelictum fuit ibi foramen illud. De hoc puteo sic loquitur S. Gregorius, episcopus thorunensis, in libro miraculorum, tempore beati Gregorii papae, dicens: est in Bethlehem puteus magnus, de quo Maria gloriosa fertur aquam hausisse, in quo saepius aspicientibus miraculum illustre monstratur, stella scilicet illa, quae tribus Magis apparuit, venientibus enim devotis ac recumbentibus super os putei, operiunt eorum capita linteo, tunc in cujus meritum obtinuerit, videt stellum ab una parte putei super aquas transmigrare ad aliam, in illo modo, quo solent per coeli circulum stellae transferri. Et dum multi aspiciunt,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illis tantum videtur, quibus est mens sanior. Nam nonnullos audivi, qui eam asserebant se vidisse, nuper autem Dyacimus amm. [?] retulit, quod eam quinque vicibus aspexit, sed duobus tantum apparuit.

De secundo specu beatae Virginis et de ejus lacte apocrypho.

Non longe a foramine cisternae est ostium, per quod ingressi sumus in unum alium specum, qui venerabilis est propter inhabitationem beatae Mariae Virginis. Dicunt enim historiae, quod ad divulgationem pastorum et ad adventum trium regum venerunt multi de Jerusalem, et ad specum ingressi puerum cum Maria matre ejus venerabantur. Quod Maria cernens et Herodem metuens fugit clam de anteriori antro, et interiorem ingressa ibi occulte residebat. Dereliquit autem in anteriori antro ex festinantia jacere in praesepio camisiam longam, in qua genuit juxta morem puerperarum in illis terris. Dereliquit etiam pannos, quibus primo involverat puerum, et lapidem, quem capiti pueri supposuerat, et foenum, in quo jacuit. Illa omnia in praesepio manserunt et conservata fuerunt integra et incorrupta divino nutu ab eo tempore usque ad tempora S. Helenae, quae ea reperit, ut patebit fol. 178. A.

Porro in spelunca secunda, in quum confugerat, erat petra vel rupes, quae prominebat, in qua solebat beatissima Maria sedere ad lactandum puerum. Contigit autem casu die quadam, quod de mamilla Virginis gutta lactis cecidit super petram, et de petra deorsum stillare coepit ex tunc, usque nunc, qui humor est lactei coloris, medica rubedine mixtus, nec potest cohiberi stilla illa. Peregrini autem supponunt vitriola, et guttas decidentes capiunt et ad transmarinas partes deferunt, dicentes, esse lac beatae Virginis. Inde est, quod in multis ecclesiis inter reliquias ostenditur lac beatae Virginis, sicut in Colonia ad altare in Capitolio, et in Kyrchen, monasterio monialium Ordinis (**172 B**) Praedicatorum. Et hinc inde per Italiam, Franciam, et Alemanniam. Et saepe ante experientiam miratus fui, unde lac illud esset, vel a quo collectum et

conservatum fuisset, donec didici experientia, quod nihil aliud est, quam humor de rupe subterranea stillans. In mea prima peregrinatione vidi rupem, sed in secunda fuerunt trabes et trunci in specum inducti et loci alteratio facta.

Absit tamen a me, ut per hoc dictum aliquid demam honoris, laudis et reverentia beatissimae Virgini Mariae. Possibile enim est, aliunde lac conservatum esse, vel miraculose alicui datum, vel quod rupes praedicta, super quam lactis gutta cecidise dicitur, virtutem accepit ab illa coelesti guttula lactis, quod semper lac stillet. Nam si ex tumba marmorea beati Nicolai, et de tumulo St. Waldburgis in Cistania oleum incessenter resudat, ut hoc facto Dominus quandam singularem excellentiam in suis Sanctis ostendat: quid mirum, si petra illa lac stillat, ut in eo matris suae dignitatem et praecellentiam manifestet?

Lac Virginis gloriosissimae virtuosissimum est, utpote de coelo manans. Sie enim canit ecclesia: Sola virgo lactabat ubere de coelo pleno. Et quis dulcedinem illius lactis potest exprimere? Numquam fuit aliqua mater, quae lac tam saporosum ministraret filio suo, sicut mater, Virgo cuius nomen est, quia lac aliarum mulierum multum habet impuritatis, et ita non potest esse ita magni saporis: lac autem Virginis Mariae sic fuit a Spiritu sancto depuratum, et purificatum, quod factum fuit dulcissimum, et nimium saporosum; et quia fuit optimi saporis, fuit ex consequenti optimi nutrimenti. De isto lacte dicit Anselmus: Lacta Maria creatorem tuum, panem coeli, pretium mundi, praebe lambenti mammillam, ut ille pro te percutienti praebeat maxillam. Sic enim lac illud puerum Jesum roboravit et confortavit, ut amarissimae passionis calix sibi dulcis esset, et omnem injuriam a nobis illatam faciliter condonare posset. Ad gustum hujus dulcissimi lactis admissus fuit St. Bernhardus, cujus dulcedine allectus omnia hujus mundi de post sibi amara videbantur. In hac ergo tenebrosa spelunca in oratione procubuimus et pro gustu lucidissimi lactis Virginem rogavimus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De specu, in quo corpora sanctorum innocentium puerorum sunt sepulta.

Juxta praedictum specum est alius specus, in quem non nisi curvato dorso ingredi poteramus, et ab intus est locus in latere speluncae ad latus sinistrum satis profundus. In hanc speluncam fuerunt projecta corpora multa millia sanctorum innocentum, quos Herodes, quaerens in eis Christum, mactavit. Ibi ergo dictis orationibus indulgentias recepimus (†). Quidam autem de peregrinis in ipso specu in terrae pulvere quaerebant cum lumine reliquias de sanctis innocentibus, sed minime inveniebant, (B) dudum enim fideles asportaverunt ea, et dispersae sunt reliquiae innocentum puerorum in ecclesias orbis. Nam Venetiis in Muriano sunt in una tumba circiter centum corpora innocentum. In Nuremberga ad Praedicatores vidi integrum corpusculum de innocentibus. In Argentina ad Praedicatores habent etiam unum integrum corpus de eis. In Basilea ad Praedicatores habent in una pretiosa monstrantia manum unam et aliquot articulos de eis. In Ulma ad Praedicatores habetur una camisia parvula sanguinolenta, et ictibus gladii perforata, quae fuit unius parvuli de innocentibus. Nobiles, qui vadunt in Jerusalem, singularem habent quaestionem de reliquiis sanctorum innocentum, nescio qua ratione. Fuit enim quidam nobilis inter nos praedives, qui per se in specu illo pulveribus eversis et terra quaesivit reliquias, et cum nihil inveniret, transivit ad Sabothytanco, Calinum majorem, Sarracenum, protectorem peregrinorum, et per interpretem promisit ei, centum ducatos se daturum, si unum integrum corpusculum sibi procuraret. Auditum etiam fuerat, quod Sarraceni ea haberent et venderent. Cui respondit Calinus, quod corpora illorum puerorum essent translata ad Chayrum, et dominus Soldanus ea haberet in sua custodia, et cui vellet venderet, et nullus alius esset in toto suo regno, cui liceret vendere corpora infantum, nisi sibi. Hoc ut audivit miles ille, cogitavit ire ad S. Catharinum cum aliis, ut veniens in Chayrum emeret puerum. Porro suspectum fuit mihi hoc forum tamquam ludibriosum, dolosum et injustum, et ideo ad quendam expertum me contuli, et cum eo scrutinium habui

super hac re, quid sentiendum esset de illis corporibus puerorum, quae vendit Soldanus? Dictum autem fuit mihi pro certo, quod Sarraceni et Mamalucci recipiunt corpora abortivorum et puerorum recenter natorum et mortuorum, et ea incidunt cultellis, et vulnerant, et vulneribus impressis balsamo, myrrha et aliis conservativis corpuscula illa conficiunt, et regibus, principibus et divitibus christianis pro corporibus sanctorum innocentum vendunt. Et illi dantes copiosum aurum et argentum putant se recipere corpora puerorum sanctorum et recipiunt corpora parvulorum damnatorum. Et ita Christi fideles deluduntur, et pecuniis spoliantur. Sciunt enim infideles illi ardens desiderium nostrum pro habendis reliquiis, et ideo disponunt ligna, tamquam de sancta cruce et clavos, et spinas, et ossa, et multa talia, ut incautos deludant, et pecuniis spolient. Non multi valoris sunt apud me reliquiae novae de transmarinis partibus asportatae, praecipuae quae sunt emtae a Sarracenis, vel ab orientalibus Christianis falsis. Secus est de lapillis sanctis a locis sanctis etc. Igitur de specu sepulchrorum innocentium egressi sumus, nec ulterius processimus.

Est enim ab isto specu consequenter transitus arctus per petram incisus, quem fratres Minores fecerunt occulte, ut per eum de capella S. Nicolai, in qua horas perficiunt, (**173 A**) possent intrare et exire ad locum nativitatis Christi. Unde omnibus modis occultant transitum illum, etiam peregrinis, ne per eos in notitiam Sarracenorum et orientalium Christianorum perveniat, quia statim transitum obstruerent, et fratres locum amitterent. Ege ex Dei dono et fratrum Minorum caritate ad me, quandoque per integram noctem solus fui, clausis omnibus ostiis ecclesiae et speluncae, in sanctissimo loco nativitatis Christi immissus per occultum istum aditum.

Egressi ergo de specu innocentum per obscurum transitum, per quem veneramus, reversi sumus in specum vel cryptam nativitatis Christi, et ibi iterum prostrati loca sancta nativitatis et praesepis, et locum sessionis beatae Virginis, quando a tribus regibus accepit munera, deosculati sumus. Porro consistentibus nobis inter loca illa sancta, venit mihi in mentem raptus, quem passa fuit beatissima Paula, peregrina, in hoc loco existens, quae, audiente Jeronymo, jurabat, cernere se

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

infantem, pannis involutum, vagientem in praesepio Deum, venientes pastores laudantes, adorantes Magos et stellam fulgentem. Desuper matrem Virginem, nutritium sedulum et caetera illius nativitatis mysteria utrisque oculis intuebatur. Quapropter allecta in loco illo se in perpetuum mancipavit in Dei servitium, ut dicit beatus Jeronymus de peregrinatione S. Paulae.

Finitis itaque orationibus de specu adscendimus et finem processioni fecimus. Ingressi autem ambitum locavimus nos per societates, et ea, quae de Jerusalem in sacculis nostris asportavimus, produximus, et comedimus, et de aqua bibimus. Sunt autem aquae cisternarum Bethlehem frigidores, clariores, saniores et dulciores, quam umquam viderim in aliquo loco transmarino. De his aquis in abundantia habuimus gratis. Videtur enim peregrinis omnibus labor tolerabilis, dum aqua recens habetur; nullam habent quaestionem de cibariis coctis, nec de vino, nec de lectisterniis, nec de aliis est quaestio, nisi de aqua frigida et sana. Sumto ergo cibo et potu quidam in locis, ubi comederant, collectis membris ad dormiendum se locaverunt, major tamen pars spreta quiete reingressi sunt ecclesiam et sanctas vigilias juxta praesepe Domini continuabant orationibus vacantes.

De divino Officio in Bethlehem celebrato, et de Missa summa.

Media nocte sacrista cum tabula cucurrit per ambitum et dormientes ad matutinale Officium excitavit, quod fratres in specu nativitatis legerunt, quo finito incepimus solenne Officium: Dominus dixit ad me etc., quod per mundum cantatur in nocte nativitatis Christi. Et praecessit pater Gardianus cum suis ministris, induti sacris, ad altare super locum nativitatis Christi, et ita in specu officium cantavimus. Sub Officio quidam devoti saeculares communicaverunt. Sacerdotes vero celebraverunt in altari circumcisionis et in (**B**) capella trium regum superius et inferius in altari juxta praesepe Domini, et post Officium in altari nativitatis Domini. Et ita continuavimus divina Officia usque ad claram diem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco, ubi erravit in via Joseph cum Maria et puero.

Finitis Missis statim ascendimus asinos et de monte Bethlehem in vallem descendimus, ut visitaremus ecclesiam Gloria in excelsis, ubi pastores vigilabant in hora nativitatis Domini. In ipso autem descensu venimus ad capellam quandam profanatam et semiruptam, quae in memoriam subjectae rei gestae est in loco illo fundata. Dicunt enim, quod dum Josephus ex angeli jussione admonitus fuit per somnium, ut fugeret cum matre et filio in Egyptum, ut habetur Matth. 2, surrexit, et festinavit fugere de Bethlehem, et hic descendit contra vallem, volens per vallem descendere in Sodomam, et inde ascendere, et trans Jordanem proficisci per viam, per quam filii Israel intraverunt terram, quia ignoravit compendiosiorem viam esse in Egyptum, cum numquam prius Egyptum viderit. Dum autem huc venisset in locum capellae, occurrit ei angelus, et viam ad Hebron ei monstravit, et de Hebron in Gazam, et ita per oram maris magni eum in Egyptum direxit. In illo ergo loco oratione fusa indulgentias recepimus (†). Acceptis autem indulgentiis, cum parum ab hoc loco descendissemus, venimus ad ruinas murorum in clivo, ubi etiam quondam capellam stetisse comprehendimus in hujus rei memoriam. Cum enim angelus a pastoribus recessisset, et illi in via essent, ut ascenderent in Bethlehem ad videndum puerum natum, in ipso ascensu fluctuare coeperunt, gravis enim cordibus eorum se ingerebat angustia, et torquebantur haesitatione mirabili spiritus eorum, ne visio, quam viderant, seductio et illusio essent, et ita aliquod periculum nescientes incurrerent. Cumque super his in hoc loco stantes conferrent, et Dominum deprecarentur, ecce angelus Domini affuit, eosque de rei veritate certificat. Qui procidentes gratias egerunt, et festinantiores ascenderunt. In hoc ergo loco etiam gratias egimus et indulgentias recepimus et progressi sumus (††.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De ecclesia: Gloria in excelsis Deo, ubi pastores erant vigilantes.

Per clivum consequenter descendimus per hortos olivarum, et in vallem venimus latam, arvis et agris consitam. In medio autem vallis vidimus ruinas magnas murorum, et antiquorum aedificiorum reliquias, et ad illas ruinas nos convertimus. Et cum ad locum venissemus, invenimus ecclesiam desolatam et dissipatam, cujus tamen anterior pars remanserat. Cantor autem incepit alta voce angelicum hymnum: Gloria in excelsis Deo; et nos prosecuti sumus: Et in terra pax etc., cum magna solennitate. Cum illo ergo cantu per ruinas intravimus, et in chorum descendimus, in quo adhuc stat altare contaminatum; tamen pergentes. Cum magna ergo alacritate cantavimus Gloria in excelsis Deo et antiphonas (**174 A**): quem vidistis pastores etc., et illam: Angelus ad pastores ait etc. Post cantum oravimus in silentio et indulgentias recepimus (†). Illa ecclesia stat in loco, in quo pastores simul erant in hora nativitatis Domini Jesu, et ibi angelus Dei apparuit et astitit juxta illos, et claritas Domini circumfulsit eos, dicens: Annuntio vobis gaudium etc. Lucae II. In hac etiam ecclesia est locus sepulturae pastorum illorum. Nam dum morerentur, in nullo alio loco sepeliri volebant, nisi in loco gaudiosae apparitionis angelorum, ubi audierant multitudinem coelestis militiae cantare: Gloria in excelsis Deo. Super hunc locum aedificavit S. Helena illam ecclesiam, et monasterium monialium juxta eam, de quo etiam adhuc hodie in ruinis apparent rota et locutoria, sicut moniales solent habere, et dicebatur monasterium ad Gloriam in excelsis. Fuit autem satis magnum in circumferentia, sicut hodie cerni potest, et de lapidibus quadratis et sectis fuerunt muri ejus per circuitum, sicut videtur in cumulis lapidum ibi jacentium, quos Sarraceni nullatenus possunt auferre. Dicitur enim pro certo, quod, quando conantur aliquos lapides asportare, tunc lapides ita gravescunt, quod nullo modo possunt eos abducere, nec bestiis, nec humanis auxiliis. Unde in clivo montis jacent aliqui lapides, quos per aliquod spatium asportaverunt, sed tandem coacti gravitate in via dimiserunt, Unde nulli sit dubium, si

possent asportari, ante centum annos fuissent deportati. Locus ille ab antiquo fuit primus sancta inhabitatione solemnizatus. Nam Jacob patriarcha hic habitavit, quia, ut dicitur Genes. 35., quando sepelivit uxorem suam Rachel in via, ut dictum est fol. 166 A., abiit inde, et fixit tabernaculum trans turrim Ader, i. e. gregis. Ubi Jeronymus dicit, quod locus ille est prope Bethlehem, in loco, in quo grex coelestis Gloria in excelsis cecinit, ut Magister in Spec. histor. juxta hunc locum allegat. In hoc loco Ruben, primogenitus Jacob, cum Bala uxore patris sui dormivit, et stratum ejus maculavit. Et inde maledictionem paternam incurrit.

Campus ille est ager Boas, in quo Ruth, Moabitis, colligens spicas metentium fugientium [fugare ipsam conantium], sua virtute dominum agri ad se inclinavit, eumque in matrimonium suscepit, et in hoc agro meruit effici mater in genealogia Christi, ut patet Ruth per totum, et Matth. 1. In arvis illius campi ponit David oves patris sui, ibique leonem contra se vinientem dirupit, et ursum strangulavit. De hac victoria bestiarum jactavit se David coram rege Saule, et animum accepit etiam aggrediendi gigantem Goliam Philistaeum, ut habetur 1. Reg. 17. Et credibile est, quod plures leones et ursos interfecit in hoc loco, quia dicitur Sirac. 47: David cum leonibus lusit quasi cum agnis, et in ursis similiter fecit sicut agnis ovium.

Extendit enim se vallis illa contra orientem, usque ad Sodomam et mare mortuum, juxta quod propter aquas Jordanis multae ferae diversarum specierum currunt, et noctibus pro praeda per valles ad gregum custodias ascendunt, et animalia domestica rapiunt, si possunt. Ideo David vigil pastor ascendentibus bestiis occurrit et occidit. Sic in (B) hora et nocte nativitatis erant in valle pastores, custodientes vigilias nocte super gregem suam. Porro circa hoc solet fieri quaestio: quomodo pastores potuerunt custodire vigilias noctis, cum esset hiems, et terra gelu constricta, et nivibus cooperta? Ad hoc dicunt orientales, quod pastores bis in anno, scilicet vernali et hiemali tempore vigilias super greges custodiunt. Nam in partibus orientis aestas et hiems non generaliter totam terram immutant, sicut in partibus occidentalibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Inveniuntur enim in aestate valles frigidissimae, adeo, quod in mense Augusti villani glacies et nives in locis umbrosis vallium reperiunt, et ad vasa terrea ponunt, et in civitatibus vendunt divitibus, qui vinum in eis refrigerant. Sunt etiam montes aliqui adeo frigidi, quod semper habent cacumina nivibus operta, sicut mons Libani, de quo dicitur Jerem. 18: Numquam deficiet nix Libani. Candia, insula calidissima, numquam caret nivibus in certis vallibus et cacuminibus, sicut manifeste vident in aestate contra Candiam navigantes. E contrario reperiuntur valles adeo calidae, ut numquam possit ibi nix aut glacies ad horam manere, etiam in medio hieme; similiter montes, prae caumate calvi sunt, omni viriditate carentes. De his autem vallibus calidis est haec Bethlehemitana una, quae nives nescit, glacies ignorat, et in ea circa festum nativitatis Domini hordeum incipit habere spicas, et ideo ex aliis locis mittuntur in eam bestiae, ut hieme ibi pastum habeant et impinguentur, et emunt ibi certas petias terrae ad tempus. Ideo lingua eorum tempus nativitatis Domini dicitur tempus ad herbas. Per aestatem autem fervescente sole est terra arida et adusta, et cum in Septembri solis fervor mitescit, omnia terrae nascentia incipiunt virescere, sicut apud nos in Aprili, nisi quod virgulta non producunt illo tempore flores. Nec tamen est calidum illud tempus, sed recens, quo homines affligi possunt frigore. In Majo vero est plena messis. Ex quibus omnibus patet, quod tempore nativitatis Christi poterant manere pastores cum gregibus in valle, quia erat calida et virens, nec gelu constricta erat terra, sicut forte erat superius, ubi Christus fuit natus, ubi et nives, et glacies et gelu erant. Patet etiam ex dictis, quod non duo vel tres pastores ibi erant, sed multi per totam vallem, forte ultra XL, quia non solum de Bethlehem, sed de regionibus per circuitum erant ibi bestiae cum suis pastoribus, nocte dieque ibi manentes. Et necesse fuit adesse multos, propter leonum, ursorum et aprorum incursum, et propter fures et latrones, qui ab antiquo usque hodie in solitudinibus Jordanis morantur, viventes solum de furtis et rapinis, contra quos necesse erat esse multos pastores, qui non solum vocibus, sed et fustibus arcere possent a gregibus tam nocivas

bestias, quam bestiales homines. Et hi pastores omnes in nocte nativitatis ad angelorum jussum ascenderunt in Bethlehem et invenerunt infantem in pannis involutum et positum in praesepio. Potuit tamen esse, quod tres inter eos, qui erant principaliores, alios regerent, et illorum trium sepulchra sunt in ecclesia praedicta. De hoc loquitur venerabilis Beda in Hom.: Pastores loquebantur etc.: sic dicit: Angeli apparuerunt pastoribus in loco, qui a conventu pecorum antiquitus terra gregis vocabatur, et uno milliario ad orientem Bethlehem, ubi etiam nunc trium pastorum illorum monumenta in ecclesia monstrantur. Haec Beda. Quare etiam Jeronymus in epistola ad fratres de vigiliarum sanctitate nominat pastores illos sanctissimos. In custodiarum eorum valle illa fui aliquoties tempore calidissimo, quo omnia virentia aruerunt, et tamen semper in ea vidi greges ovium et caprarum. In alia parte vallis ex opposito Bethlehem est villa in amoeno loco sita, in qua vidimus grandes murorum ruinas, et dicitur ibidem fuisse monasterium sanctae Paulae et suarum virginum. Visis ergo, quae dicta sunt, rursum asinos ascendimus et contra Bethlehem tendimus, in clivo autem vidimus primaevam dispositionem loci nativitatis Christi melius, quam in ipso loco. Sicut et dispositio sancti sepulchri melius videtur in hortis juxta Acheldama, quam in ipso sepulchro, ut supra patuit. Vidimus enim in clivo Bethlehem petras et rupes latas excrescentes, sub quibus erant cavernae latae, habitacula pauperum, qui propria non habent domicilia. Et talis in principio erat locus nativitatis Christi, ut patebit.

Cumque sursum venissemus ad murum Bethlehem usque, gyravimus murum, et juxta fundamenta et petram, supra quam murus consurgit, quaesivimus cavam petram quandam, quam tamen invenire non patuimus. Legeram enim in quodam vetustissimo peregrinali cujusdam Sancti, quod Domino nato Joseph paravit juxta morem pro parvulo balneolum in urceo, et balneato infantulo accepit Joseph vasculum, et extra diversorium portavit, et sine arbitrio sacrum lavacrum deorsum effudit per murum in ipsas rupes de fundamento prominentes. Consistit enim locus nativitatis in alto, habens clivum praecipitem, et rupes inferius, super quas et ipsum diversorium

stetit, de sublimi autem sacrum lavacrum decidens cecidit in cavam rupem, in qua tota illa sacra undula recepta est et servata, et mansit ibi aqua illa per multos annos sine putrefactione et sine defectione. Ad hanc lacunam ducebantur olim peregrini, et de ea lavabant vultus suos, et ex ea bibebant, et vascula sua implebant, et ad partes transmarinas ducebant pro medicamento corporum, quia multi debiles ex ea gustantes melius habebant, et tamen, quantumcunque de ea portaretur, non fuit imminuta, miraculose, quia caruit refluxu. Hanc ergo cavernam cum lavacro benedicto quaesivimus, sed minime invenimus; nec mirum, quia interim fuit magna loci mutatio propter ingentes structuras ibi erectas. Ultimo enim, quando Christiani terram sanctam possederunt, rex Jerusalem munivit Bethlehem altis muris et turribus per circuitum. Et ideo illa antiqua loci dispositio est ablata. Ingressi autem sumus in Bethlehem, et dominos Mauros ductores nostros paratos ad recessum invenimus; non enim descenderant nobiscum in vallem, sed in ecclesia manserant in quiete et nos exspectabant. Erant autem amari contra nos propter tardationem nostram et festinabant redire in Jerusalem (**B**) ante solis ascensum, ne in fervore affligeremur.

De valefactione et de oblatione peregrinorum ad locum nativitatis Jesu.

Cum hora adesset recedendi de Bethlehem, cucurrimus omnes ad specum dominicae nativitatis, ut valefaceremus puero Jesu, et puerperae Virgini. Est autem consuetudo ex devotione peregrinorum inducta, quod in ultima deosculatione loci sacri nativitatis Christi offerunt singuli peregrini aliquam pecuniam, ponentes eam super sacrum lapidem nativitatis Domini pro amore Dei et Virginis, et ecclesiae reparatione, et fratrum in ibi degentium sustentatione. In illa vero oblatione peregrinorum contigit quoddam detestabile factum, quod pro certo vereor recitare propter peregrinorum reverentiam. Dicam tamen, ut hi, qui non possunt ad illa loca sancta venire, cognoscant, quod locus sanctus nil facit in non bene dispositis, et locus non sanctus non officit in bene volentibus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Credo profecto, quod in his sanctissimis locis inimicus magis tentet et insidietur incautis. Coelum empyreum, locus omnium locorum sublimissimus, non juvit luciferum, paradisus nobilissimus non primos parentes custodivit, coenaculum, locus sanctissimus, Thomam ab infidelitate non servavit. Ideo scribitur in Can. XL.: non loca aut ordines creatori nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona conjungunt, aut mala distinguunt. Cum enim domini peregrini cum tribus regibus munera sua ad locum nativitatis offerrent, aliqui aurum, aliqui argentum, aliqui annulos aureos, aliqui ceram, accessit quidam miles et ducatum supra lapidem projecit, sicut ante eum plures fecerunt. Hunc militem sequebatur quidam peregrinus orientalis, procidens ad loci deosculationem, in ipsa autem deosculatione caute sacrilega manu extensa duos propinquiores sibi ducatos subtraxit, et surgens abiit et se in peregrinorum agmen ingessit. O furem et latronem mille patibulis suspendendum! O raptorem in mille frusta discerpendum et rotis igneis intexendum! O sacrilegum ignibus usque ad cineres concremandum! O spoliatorem capite privandum, et in profundum maris immergendum! Quanta impietas! quanta crudelitas te agitavit! quanta infidelitas te excoecavit! ut in loco tam sanctissimo, ubi Christianus mentalibus oculis videt pauperculam Virginem, egentem infantulum, Joseph sollicitantem, pro utrisque furtum committeres. Porro, si tu haec non credis nec cernis, cur te in loco prosternis? Cur crucis signum geris? Et qua temeritate huc accedere praesumis? Si autem credis, et puerum ob sui assumtam infantiam non timuisti spoliare, quare non dulcissimae matris reveritus es oculos, quae puero assidet, et diligentissime intuetur ea, quae circa infantulum suum aguntur? An ideo putandi sunt non videre, quia vident tanto patientius quanto sapientius? Et si nec puerum nec matrem curasti propter eorum immensam benignitatem, qua non statim procedunt ad peccati punitionem, sed longanimiter exspectant, debueras certe timuisse ipsum maturum et seriosum virum Joseph, (**176 A**) cui amborum cura incumbit, qui utrosque sine oculorum aversione respicit? Porro, si haec tibi videntur vana, et nec puerum, nec matrem, nec Joseph adesse dixeris, cur te non retraxit a sacrilegio dulcissimus odor de loco

spirans de infantilibus membris pueri Jesu, et de castissimae matris ejus corpore derelictus? Forte contigit tibi sicut avarissimo Judae proditori, qui ex suavissimo odore unguenti effusi super caput Jesu, quo tota domus impleta scribitur, magis fuit exasperatus, incensus et commotus usque ad magistri sui venditionem et crudelissimam traditionem. Profecto, suspectum te habeo, quod si tempore trium Magorum affuisses, munera oblata furatus fuisses, et puerum parvulum, matrem tenerrimam, Joseph pauperrimum, sine verecundia et venia spoliasses. Sed quid longius moror, furtum tuum nihil nocet parvulo, quia non tantum jam veniunt ab oriente tres reges semel, sed multi turmatim huc currunt a quatuor mundi plagis, et cottidie offerunt ea, quae a puero accipiuntur. Nec furtum tuum offerentes merito privat, sicut nec illum, cui furatus es minima, et pietate spoliat, quam exhibet sibi offerentibus, et justam vindictam suo tempore tibi cum caeteris malis conservat. Similem exclamationem invehit Jerony-mus contra sacrilegium in eadem ecclesia commissum, in Epistola objurgatoria contra Sabinianum diaconum, seductorem Susannae virginis.

Igitur dum domini milites obtulissent, et donaria numerarent, inventum est adesse furem, et circumspicientes vidimus illum orientalem, et nullo modo dubitavimus, nisi quod ipse nefas commisisset. Comprehendimus autem eum in sacra spelunca, et perscrutantes invenimus aurum, et coegimus eum ad locum reponere, et hoc facto repulimus eum a nobis. Hoc furtum factum est in mea prima peregrinatione, et in secunda simile contigit per unum Sarracenum, qui nobiscum ingressus fuerat, et ad locum inclinatus tamquam oraturus occulte pecuniam surripuit. Quidam autem peregrini astantes et dolum videntes eum insecuti sunt, et comprehensum in specum sacrum retraximus, plurimum reclamantem et reniten-tem. Cum magna ergo violentia sibi manus aperuimus, et pecuniam invenimus, qua accepta cum indignatione furem infidelem extra trusimus. In fine ergo locum deosculati sumus, et licentia accepta a sancta puerpera de lacu [loco] ascendimus, et egressi ecclesiam asinos ascendimus, et per viam, quam venimus, regressi sumus in Jerusalem, et ibi prandium

sumsimus, et post prandium ad quiescendum nos locavimus. Praeterita nocte vigilavimus ad praesepe Domini, et futura nocte iterum vigilaturi eramus ad sanctissimi Domini monumentum. Sequitur

Descriptio Bethlehem.

Bethlehemitana peregrinatione praemissa restat nunc locum ipsum describere: et primo civitatem, secundo locum nativitatis Domini describam.

Bethlehem antiqua civitas olim quoddam nomen habuit, quod Scriptura non (B) expressit, non enim invenio, quo nomine vocaretur, antequam diceretur Ephrata. Dicta autem fuit Ephrata ab uxore Caleb, quae ibi est sepulta, quae hoc nomen habuit, ut dicit Mr. in Spec hist. Hanc autem Ephratam, uxorem Caleb, dicunt fuisse Mariam, sororem Moysis, quae, antequam lepra percuteretur, dicebatur Maria, sed post leprae infectionem et sanationem dicta fuit Ephrata, et mortua est et sepulta in deserto Sin, ut habetur Num. 20., quam postea extumulavit Caleb, eamque in Bethlehem, quae nondum sic dicebatur, sepelivit, et nomen ejus civitati attribuit, Ephrata connuncupans. Quod autem illa Ephrata fuerit uxor Caleb, omnes tenent, sed quod eadem fuerit soror Moysis, multi contradicunt, ut habet Nicol. de Lyra super 1 Paral. 2., ubi in textu manifeste habetur, Ephrata fuisse uxorem Caleb. S. Jeronymus tenet, quod Ephrata fuerit soror Moysi. Unde dicit in Epistola ad Principiam virginem: Maria soror Moysis victorias Domini canit, et Bethlehem nostram atque Ephratam stirpe nominis sui signat in posteros. Multis ergo annis dicta fuit haec civitas benedicta Ephrata, usque post famem ortam in diebus Elimelech, post quam tanta fuit ibi abundantia, quod nominata fuit Bethlehem, i. e. domus panis. De ista fame et abundantia sequenti habetur Ruth per totum. Beth enim in Hebraeo dicitur domus, et lechem panis. Inde Bethlechem domus panis. Ubi notandum, quod nomina civitatum et villarum terrae sanctae ut in plurimum incipiunt a Beth, quam syllabam sequitur alia, significans aliquam loci proprietatem. Sicut hic Bethlechem domus panis, propter abundantiam

frumenti, quae ibi post magnam et diutinam famem fuit. Et Bethphage dicitur domus maxillae, quia fuit villa sacerdotum, et in ea nutriebantur pecora sacrificanda, de quibus cedebant maxillae in portionem sacerdotum. Et ab isto facto accepit nomen Bethphage domus maxillae, domus pecorum, quorum maxillae erant sacerdotum. Sic Bethania dicitur domus obedientiae, quia ita quidam rex Jerusalem castellum hoc aedificavit, ut esset sub obedientia curiae regis et civitati Jerusalem et monti Syon. Ita Bethsames domus solis dicitur, propter templum, quod in ea erat, in quo sol colebatur. Beth El domus Dei dicebatur, quia ibi vidit Jacob secreta coelestia, et dixit: hic non est aliud, nisi domus Dei, ut habetur Genes. 28. Sic Bethagla dicitur domus planctus, quia ibi filii planxerunt Jacob, patrem suum mortuum, ut habetur Genes. ult. etc. ... ... Et de multis aliis nominibus villarum a Beth incipientibus, quarum interpretationem habes in Jeronymo de interpretatione nominum hebraicorum. Similis modus denominandi castella, oppida et civitates est in Alemania, nisi quod in Teutonico syllaba illa, quae domum significat, in dictione postponitur, in Hebraeo anteponitur. Dicimus enim Offenhusen teutonice, latine domus aperta, ebraice Bethboforum. Dicimus etiam Schafhusen teutonice, domus ovis latine, Bethanania hebraice. Sic Ochsenhusen, domus bovis, Betschor. Sic Gaishusen, domus caprae, Bethess. Sic quaedam villa prope Ulmam dicitur Dreckshusen, domus stercoris, Bethsevell. Et si hodie Teutonici essent possessores terrae santae, tunc recte nominaretur Bethlehem Brothusen, Bethphage Baggahusen, Bethsames Sonnahusen, Bethagla Flanhusen, Bethsaida (**177 A**) Fruchthusen, Bethaven Abgothusen, Bethhara Berghusen. Bethaben Steinhusen. Bethrama Hochhusen. Et ita de multis aliis est.

Bethlehem ergo civitas nobilis et habitatio nobilium ex antiquo fuit, unde forte antequam diceretur Ephrata et Bethlehem dici potuisset Bethtonforon, i. e. domus nobilium. Quamvis ex Scriptura non habeatur authentica. Et quamvis fuerit nobilium civitas, numquam tamen fuit magna, quia loci dispositio non admittit. Sita est ea super jugum montis, non multum lati superius sed longi; et est in cornu montis vel

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

supercilio, ita, quod aquilone et oriente et austro vallibus circumdatur, et recurvatur contra occidentem versus Jerusalem, et ab eadem parte habuit fossata, muros et turres, sicut hodie etiam patet. Circuivi oppidum, et curiosius ejus perspexi situm. Hodie vero villa est satis populosa, et nec de muris, nec de fossatis curant, et major pars habitantium ibi sunt Christiani orientales, confoederati Sarracenis et etiam Arabibus, nutriunt se de rure. Nam fertilissima est gleba per circuitum, frumento, vino et oleo abundans et pascuis. In divisione terrae XII tribubus Israel cecidit in sortem tribus Judae, et in partem nobilissimae familiae ejus tribus Phares.

Hanc civitatem Bethlehem laudabilem ostendit beatus Jeronymus multis scriptis. Speciatim in epistola ad Marcellam sic dicit: Quo sermone diversorium Mariae, qua voce tibi speluncam Salvatoris exponam? Et certe praesepe, in quo infantulus vagiit, silentio magis quam infirmo sermone honorandum est, ubi satis late porticus, deaurata laquearia. E Bethlehem ecce in hoc parvo terrae foramine coelorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus et adoratus a pastoribus et Magis. Et puto, sanctior locus est rupe tarpeja, quae de coelo saepius fulminata ostenditur Deo displicere. Est quidem ibi sancta ecclesia et populus fidelis, et urbs populosa, sed ambitio potius [?], magnam urbem videri et videretur laudare et detrahere. In Christi autem villa tuta rusticitas est, extra psalmos silentium est, quocumque te verteris, stivam tenens alleluja decantat, sudans messor psalmis se advocat, et curva falce attondens vites vinitor aliqua davidica canit. Haec sunt in hac provincia carmina, haec, ut vulgo dicitur, amatoriae cantiones. Haec Jeronymus. In tanto pretio fuit Bethlehem sanctae Paulae, ut eam Romae praeferret, et auro tracto fulgentia informis luti vilitate mutavit, ut inquit Jeronymus in epistola in vitam et obitum S. Paulae. De laudibus Bethlehem composuit ille Sophronius vir eruditissimus ornatum librum, ut Jeronymus de viris illustribus refert. Qui etiam omnia Jeronymi opera de Hebraeo in Latinum translata transtulit de Latino in Graecum. Beatus Bernh. in sermone ad milites templi plurimum commendat Bethlehem nativitatis Domini locum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De loco nativitatis Christi, qualis fuerit et sit hodie.

Nativitatis dominicae locus non erat in oppido, sed adhaerebat civitatis muro in declivio ad partem aquilonarem oppidi, sicut hodie patet. De hoc dulcissimo loco delectat me loqui, sicut et delectatus fui in eo morari, et volo dicere, qualis locus ille fuerit

I. Ante Christi adventum tempore judicum, prophetarum, et regum Judae.

II. In nativitate Christi, quo Maria Christum in ea genuit, qualis fuerit.

III. Post nativ. Christi, quo Judaeorum malitia etiam in ipsum locum desaeviit.

IV. Tempore Helenae, quae locum gloria et honore plurimum illustravit.

V. Tempore S. Jeronymi, qui sanctitate et miraculis ibi claruit.

VI. Tempore perversorum et malorum Christianorum, qui loca profanaverunt.

VII. Tempore Sarracenorum, qui ipsum paene in nihilum redegerunt, et in hodiernum statum miserum deduxerunt.

Quantum ad primum, qualis locus nativitatis Christi fuerit ante adventum Domini, sciendum, quod Salmon, filius Naasson, accepit in uxorem Raab, meretricem de Jericho, et erat ille Salmon unus de praecipuis principibus populi Israel, quando transito Jordane expugnabant terram. Hic cum Raab uxore possedit Bethlehem, et erat domus castelli. Aedificavit autem ad murum sibi grandem habitationem, ita, quod non erat sua habitatio moenibus oppidi inclusa, sed per se firmata, sicut etiam in partibus nostris domini civitatum habent seclusas habitationes ad murum harentes. Porro ipsa habitatio fuit fundata super petras, et ibi erat petra cava (B) habens specum aptum ad ponendum in eum res, quae calorem sustinere non possunt, sicut cellarium, et quando erant magni calores, dormiebant in eo homines, et puerperae in eo pariebant, unde Raab genuit in eo Boas, qui post mortem patris sui factus fuit judex totius populi Israel et dominus in Bethlehem, et

accepit Ruth, Moabitidem, quae in specu illo genuit Obed, cujus uxor genuit in eo Jesse, et uxor Jesse genuit in specu illo David regem. Postquam autem David factus fuerat rex, transtulit pecudes et domum patris sui in domum, quam aedificavit in Jerusalem in monte Syon, et dimisit vacuam domum nativitatis suae. Sed quia ibi natus fuit et rex inunctus, dicebatur Bethlehem civitas David, sed et mons Syon, in quo regnavit, dicebatur civitas David, et utrumque saepe habetur in Scriptura. Facta autem ista translatione domus David minor erat respectu ad domum in Bethlehem, unde valvis et portis destructis et ruptis antiquitate, facta fuit domus communis mercatorum, in qua vendebantur panes et panni et fructus, et ante domum erat platea, ad quam de civitate confluebant homines ad colloquium et juvenes ad choreas, et ita multis annis stetit haec domus quasi publica patega vel locus pategarum, quae stabant sub testudinibus, et fuit diversorium, hospitium nocturnum alienorum. Et iste est status primus ejus sacri loci nativitatis. Secundus status illius loci talis fuit. Quia enim pro conservatione loci in suis structuris nulla erat cura, tandem et ipsae testudines ruptae ceciderunt, et muri desolati corruerunt, et nec pategae aluerant, nec mercimonia; remanserunt tamen ibi ruinosi muri, super quos vile et defectuosum aedificium erat, et tugurium, et specus antedictus erat in fine vel in capite tugurii, et erat tugurium hoc diversorium, ad quod pauperes divertebant, et bestias suas ibi ligabant, et bigas ibi ponebant, et alia, quae non poterant in civitate locari. Et ita stabat locus ille usque ad tempora Joseph, sponsi Mariae Virginis. Qui quum ad edictum Caesaris Augusti de Nazareth venisset in Bethlehem cum Maria Virgine praegnante, invenit civitatem repletam populo, et omnia hospitia praeoccupata, et non inveniens, ubi ipse maneret, exivit, et in diversorium hoc divertit, in quo stabant bestiae et ruralium instrumenta, et ibi locum aptavit. Cum autem hora pariendi adesset, intravit beatissima Virgo Maria specum, in quo ultimo primus David fuit natus, et in eo secundum David, Jesum Christum, edidit, modo dicto fol. 169 B., et in illo loco ad tempus habitavit. Quid autem sit diversorium vide fol. 195. A.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tertius status illius sanctissimi loci talis fuit. Nato Domino et post in Aegyptum fugato, ad necem innocentum puerorum processit Herodes, et cum magna furia diversorium scrutatus est, quaerens in eo puerum Jesum, quia audiverat, ibi illam puerperam deguisse, cui Magi munera obtulerant, Et non invento in (**178 A**) eo puero diversorium destruxit, et muros, qui remanserant, dissipavit, nec voluit, ut ibi amplius esset diversorium. Et ita locus desertus mansit usque post Domini ascensionem. Beata autem Virgo Maria locum visitare incepit cum suis sodalibus, ut dictum est fol. **173 B.** Et ex consequenti caeteri fideles accedebant et locum sanctum honorabant. Post beatae autem Virginis assumtionem, cum fideles locum venerarentur, commoti sunt super hoc Judaei, et ipsum locum et ad eum accedentes excommunicaverunt, denuntiantes, locum esse immundum et maledictum, et omnem ingredientem esse contaminatum, et punitioni obnoxium, et obturaverunt lapidibus vias, quibus ad locum erat ingressus. Et mansit locus sic conclusus usque ad tempora Titi et Vespasiani, qui expugnantes Judaeam et Jerusalem destruentes ipsos Judaeos per orbem disperserunt, post quorum dispersionem Christiani terram sanctam inhabitare coeperunt, et locum dominicae nativitatis mundaverunt et visitaverunt usque ad tempora Heliae Adriani imperatoris, qui idolis sancta loca abominabilia Christianis redidit. Nam in loco mortis Christi super rupem Calvariae posuit statuam Veneris, et in specum sepulturae Christi collocavit imaginem Jovis, et specum nativitatis Domini ad planctum Adonidis ordinavit, ita, ut in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit et Virgo castissima puerum fovit, jam Veneris impudicissimae amasius Adonis plangebatur, ut habet Hieronymus in epistola ad Paulinum de institutione monachorum. De Adonidis planctu vide etiam Ezech. VIII. X. 14 et part. II. fol. 140 A et plenius fol. 179 A. Et ita locus sacer factus fuit Christianis extraneus, imo exosus propter idololatriam.

Quartus status illius loci sancti talis fuit. Sub cultura turpi idolorum mansit locus ille ultra trecentos annos, post quos suscitat Deus spiritum sanctae mulieris, Helenae, Teutonicae, quae imperatrix facta et christianissima effecta,

Jerosolymam petiit, et loca sancta quaesivit, et crucem cum aliis insigniis nostrae redemtionis invenit, et locis mundatis idolisque abjectis de Jerusalem ad Bethlehem properavit, et locum dulcissimae nativitatis Domini mundavit, et spurcitias idolorum de specu sancto eliminavit, et omnia ibi reperta submovit, et praesepe Domini integrum sub ruinis invenit, in quo reperit lapidem, quem capiti pueri beata Virgo supposuerat, et foenum, et panniculos, et caligulas Joseph, et camisiam longam, in qua pepererat juxta mulierum orientalium morem, quae habent camisias longas et latas, dum sunt impraegnatae, sicut albae sacerdotum, et pedissequae dominarum defluentia portant. Si vero sunt pauperes, quod non habent pedissequas, procingunt se, et sursum dependentia trahunt. Talem camisiam etiam habuit beata Virgo Maria, quam in loco illo cum aliis rebus dereliquit propter festinantiam fugae, et divino nutu per multa annorum curricula fuerunt incorrupta conservata usque ad tempora S. Helenae, quae ea reperit.

Purgato ergo loco ecclesiam mirae pulchritudinis desuper aedificavit, et convocatis optimis artificibus in ligno et lapide (B) intentionem suam esse dixit, in hoc loco fieri pretiosissimam ecclesiam, ita tamen, quod rupes illa, sub qua natus est Salvator mundi, integra maneret. Artifices itaque locum aptaverunt pro grandi ecclesia erigenda, et non nisi electam materiam lignorum et lapidum disposuerunt, tabulas marmoreas candidas et politas, et columnas pretiosissimas, et ligna cedrina et cypressina. Ad haec et alia dedit comparanda S. foemina, aurum et argentum sine defectu praefectis operis, et alia metalla obtulit sine mensura. Cunctos autem parietes et totum pavimentum vestivit marmore candido et vario, et superiorem partem parietum depingi fecit opere musaico. Et ita facta fuit ecclesia ingens et inclita, oblonga, ordinatissima, ita, quod specus nativitatis Domini mansit directe sub choro incorrupta, subtus sanctuarium. Est autem ecclesia ista aedificata more ecclesiarum romanarum. Habet enim primo ab occidente porticum testudinatum ante fores ecclesiae, et post ingressum navem magnam, latam et longam, et postea in oriente chorum, ad quem de navi est ascensus per aliquos gradus, et de choro est ascensus in sanctuarium, et in presbyterium. Et de

sanctuario est ascensus per gradus ad summum altare. Ad utrumque latus chori sunt capellae, et in utroque latere navis sunt absides. Et sub choro est crypta nativitatis Domini quasi ad longitudinem chori. Et sub summo altari est petra cava, in qua natus est Christus. Ad illam cryptam sunt duo ostia, primum ad latus dextrum, de capella circumcisionis Domini; secundum de capella sinistri lateris, et est descensus in cryptam per gradus sedecim. Tectum habet plumbo factum, nec est testudinata, sicut nec ecclesiae principales in Roma sunt testudinatae, et habet chorum rotundum, plenum fenestris, et transitum ab extra supra fenestras. Et navis ab utraque parte habet fenestras plurimas, et est ecclesia lucida et clara. Et haec est generalis ecclesiae illius dispositio. In speciali ecclesia illa habet in longitudine passus XXXVII, in latitudine vero XVIII. Et habet quatuor ordines pretiosarum columnarum, quae magnae sunt et altae, et quaelibet per se est de uno integro et indiviso lapide, oleo politae, quod homo potest in eis vultum suum cernere, sicut in speculo. Ita etiam in tabulis marmoreiis politis, quibus sunt parietes vestiti, quae ita mundae sunt, quod homo in eis potest videre omnia, quae sunt in ecclesia, clarius quam in bono speculo. Quilibet ordo columnarum habet XII columnas, et quaelibet columna passus VII distat ab altera, et in toto sunt columnae pretiosissimae LXX secundum structurae indigentiam. Super capitella columnarum sunt trabes positi de lignis imputribilibus, a quibus consurgit murus sursum usque ad tectum ab utraque parte, et murus ille a columnis usque ad fenestras est non de pictura, sed de lasura, et opere musaico mirabili orte ornatus ab utraque parte, sicut ecclesia S. Marci Venetiis, cum figuris novi testamenti et concordantiis figurarum veteris Testamenti, et tota ecclesia in omnibus parietibus vel est marmore candido polito tecta vel opere musaico decorata. Super omnia autem specus nativitatis subtus chorum est pretiosissimis pavimentis et tabulaturis ornatus et picturis (**179 A**). Et in his omnibus sancta foemina nullis expensis pepercit, sed liberalissime contribuit. Propter hoc Judaei derisive nominabant S. foeminam stabulariam, eo, quod supra vile stabulum tam pretiosum erexit aedificium. Cumque sancta foemina opus consummasset,

inde praesepe ligneum, quod Joseph fabricasse dicitur, et panniculos, et caligulas Joseph, camisiam longam beatae Virginis [sumsit], et duxit in Constantinopolim, non ut Bethlehem spoliaret, sed ut etiam alia loca cum bethlehemiticis reliquiis honoranda redderet. Posuit autem praefatas reliquias Constantinopoli in ecclesiam S. Sophiae, quae ibi manserunt usque ad tempora Caroli Magni. Hic Carolus civitatem sanctam Jerusalem et patriarcham ejus Zachariam liberavit de potestate Sarracenorum, et Christianis orientalibus pacem reddidit. Qui dum cum exercitu suo in Constantinopolin rediisset, petivit in refusionem laborum suorum praesepe cum foeno, panno, et caligulas et camisiam beatae Virginis. Et ea omnia obtinuit, et Romam duxit; foenum autem ad ecclesiam beatae Mariae majoris posuit, praesepe vero ad sanctum sanctorum in ecclesia lateranensi collocavit; camisiam autem et caligulas Joseph ac pannos, quibus involutus fuerat puer Jesus, in Alemanniam bassam transtulit eaque Aquisgrani in ecclesiam beatae Virginis, quam aedificaverat, posuit. Usque in hodiernum diem monstrantur ibi semper in VII anno. Haec ego ibidem vidi anno 1467.

Quintus status loci nativitatis Christi talis fuit. Post illa praedicta tempora conversus fuit ad Christum totus oriens, et loca sancta ab universis mundi nationibus visitabantur, et quique devoti et Sancti venditis omnibus, quae habebant, cum pretio ad terram sanctam veniebant, et in ea comparata mansione vitam hic finire cupiebant. Inter haec venit beatus Jeronymus de Roma, et in Bethlehem manere elegit circa praesepe Domini. Quem secuta fuit Paula, sanctissima vidua, et plures alii. Sicut patet fol. 6 A. et fol. 8 A. Post illa aurea tempora crescentibus delictis Christianorum iterum Sarraceni terram sanctam ceperunt tempore Benedicti octavi, sub quo schisma magnum in ecclesia fuit ortum, et multa mala facta, et tenuerunt Sarraceni loca illa sancta annis multis sub tributo. Deinde iterum Christiani per mundum gemebant pro locis sanctis, et adunatus fuit totus occidens, et ingressi per mare et terram in multitudine gravi recuperaverunt terram sanctam multis laboribus, et regem in Jerusalem fecerunt, et reaedificaverunt ecclesias et monasteria, instituentes episcopos

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et praelatos in augmentum divini cultus, et in brevi tempore gentes per circuitum subnervaverunt. Itaque nemo digitum contra eos movit. Nam interea civitates et castella munierunt Christiani et praecipue Jerusalem et Bethlehem muris et turribus obfirmaverunt contra infideles. In illis temporibus fuit Bethlehem sancta populosa, inclyta et dives, et de universis finibus Christianorum afferebant munera in ea, et ditissimi mercatores ibi residebant. Unde hodie ante ecclesias sunt testudines, sub quibus fuerunt pategae mercatorum, et tam populus quam clerus in immensum (B) profecerunt tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Cum magnis autem turmis cottidie confluebant peregrini de toto mundo, non solum ut loca sacra cernerent et indulgentias acciperent, sed ut virtutum exempla viderent, et vitae emendationem reportarent. Praecipue tamen ad festa principalia nativitatis Domini et resurrectionis tanta multitudo de extremis mundi partibus confluxit, ut terra eos vix capere posset, propter divinorum officiorum devotissimam peractionem.

Festum quippe natalis Domini tali ordine solebant peragere. In vigilia natalis Domini venit in Bethlehem de Jerusalem patriarcha Hierosolymitanus, cum suis episcopis, abbatibus et clericis ac monachis. Quem concomitabatur rex Jerusalem cum suis principibus, comitibus, militibus, praefectis, nobilibus, et hos omnes sequebatur innumera multitudo peregrinorum, quos ducebant magistri et praefecti hospitalium, et communis vulgus, senes et juvenes, illo die in Bethlehem festinabant. Media autem nocte pulsatis campanis omnis plebs ad ecclesiam nativitatis Christi convenit ad divinum Officium, et oratis matutinis episcopus Bethlehemiticus cum suis ministris sacris induti processit in specum dominicae nativitatis et Missam in loco nativitatis cantavit: Dominus dixit ad me etc. Hoc Officio finito cum accensis facibus, candelis, lucernis et luminibus universi processionaliter de ecclesia exierunt, et in vallem descenderunt ad ecclesiam Gloria in excelsis, et ibi Officium: Lux fulgebit cum magno gaudio peregerunt, quod aliquis de magnis pastoribus et praelatis cantavit. Post hoc officium reascenderunt, et reliquas horas canonicas cantaverunt, quo tempore patriarcha hierosolymitanus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

se induit sacris, et summum officium in choro perfecit: Puer natus est etc. cum spectabili solennitate. Habebant autem stellam auream grandem, quam in choro detecto submittebant quidam in medium, et stabant juvenes superius, et gloria in excelsis cantabant, et stellam continue ab oriente in occidentem movebant. Sic etiam in die circumcisionis fiebat magna solennitas in Bethlehem. Et similiter in die regum omnis populus ibi convenit cum suis muneribus. In octavis epiphaniae celebrabant festum baptismi in ecclesia S. Johannis Baptistae super Jordanem, et ad hoc totus populus et clerus descendit ud Jordanem. In die annunciationis convenerunt in Nazareth. In die parasceves et paschae in dominico sepulchro. In die coenae in monte Syon, et in die pentecostes. In die ascensionis Domini in monte Oliveti. In die assumtionis beate Mariae Virginis in valle Josaphat. Et totum studium populi fuit, ut cum devota solemnitate divinum cultum peragerent. Manente autem ista sinceritate et devotione ad loca sancta stabant in magno honore et decore, (**180 A**) et populus christianus in pace et quiete. O! si quis tunc vidisset ecclesiam Bethlehemitanam cum suis ornatibus, utique obstupuisset a majestate ejus.

Sextus status loci nativitatis Domini fideli catholico moestitiam affert. Pro ejus declaratione cogor, heu fratres humani, commotis prae dolore visceribus, stilum vertere, et amaritudinis calicem vobis propinare compellor, quem ipse moesto suscepi animo doloris acerbitate repletum. Nam, dum Christiani Deo in terra sancta servirent, in pace loca sancta possidebant, et omnes gentes ei serviebant. Sed Dei servitio posttergato contrarium evenit. Erat autem anno Domini 1186 tempore Urbani tertii papae rex in Jerusalem, dictus Guido, infortunatus et negligens, et inter eum et principes orta est contentio et seditio, ita, quod nobiles terrae erant contentiosi et invidi, sacerdotes vero et clerici facti fuerunt avari et superbi, et communes populi incontinentes et mali. Quapropter consurrexerunt adversus eos Sarraceni et usque ad exterminium eos persecuti sunt.

Porro in ecclesia Bethlehemitana commisit quidam Christianus facinus, quo facto omnis fortitudo et vis resistendi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Christianis ablata est, et foeminis facti sunt debiliores. Horribili siquidem refertur infamia, quomodo quidam Christianus septa ecclesiae Bethlehemitanae gloriosissimae Virginis Mariae, quae castitatis mater, pudoris aula, munditiae vas, constituit lupanar in genitricis Dei opprobrium. Abominor quidem casum referre, sed loci ipsius flenda propter hoc desolatio et miseranda despectio non sinit me silere. Fuit namque in illis diebus quidam Christianus, qui amore polluto quandam Sarracenam adamavit, et eam instanter cottidie ad consensum suum sollicitavit, et ipsa constanter restitit et fugit. Quadam die dum eam importunius molestaret, objecit ei mulier nomen Christi et christianae religionis munditiam, quam ille parvipendit, et crimen non esse adeo grave sicut fama dixit. Porro foemina illa probitatem Christianorum in multis notaverat, et mirabatur de sua sollicitatione, et ducta curiositate experiri voluit, si quaedam virtus esset in illo Christiano et timor Dei, et quadam vice dixit ei: ecce, tua importunitate victa sum et tibi consentio, sed non succumbam tibi, nisi in ecclesia S. Mariae in Bethlehem. Hanc conditionem libenter acceptavit, et hora constituta convenerunt in ecclesia, solus cum sola. Cumque mulier videret, quod de ecclesia sibi cura non esset, ut in ea contineret sibi, dixit, hic tibi non parebo, eamus in specum nativitatis Dei tui, ibi est obscurum et secretum; qui statim cum muliere descendit, et posuit se mulier super praesepe Domini, sedens; quam cum ille infestaret, surrexit mulier, et sessum accepit super lapidem in loco sanctissimae nativitatis Domini et Christiano dixit: ecce Christiane, hic Deus tuus de Virgine natus est, si potes hic mecum cubare, (B) accede huc. Ille vero desperatus et execratus intrepide accessit nihil de loco curans. Quod cernens mulier facinus abhorruit, et Christianum illum indignata a se rejecit; vade, inquit, scelestissime Christiane, et scias, nefas hoc nequaquam impunitum transire. Et hoc dicto aufugit mulier, et primo Bethlehem ingressa cum clamoribus et fletu sibi facta cunctis recitavit, Christianis improperans et Sarracenos ad ulciscendum animans et inducens. Et ex hoc facta fuit mulier illa quasi prophetissa inter Sarracenos, praedicens eis, nullam esse amplius virtutem in Christianis, et

quod sine metu aggrederentur et ejicerent de finibus. Quo audito zelo Dei Sarraceni accensi consurrexerunt adversus Christianos, et saevire in eos inceperunt, eosque expugnaverunt et in brevi tempore cunctos Latinos de finibus eliminaverunt. Fuerat enim, qui praedictum nefas perpetraverat, unus de potentibus et magnis Christianorum. O, si temporibus Jeronymi tantum facinus factum fuisset, quantum lamentum et fletum hausisset! Nam suo tempore erat quidam diaconus, nomine Sabinianus, et quaedam virgo, Susanna dicta, quae phylocapti literas sibi invicem vel in specu nativitatis Domini, vel in ecclesia pastorum reposuerant. Quas reperiens B. Jeronymus, quantum fletum et lamentum desuper habuerit, qui scire voluerit, legat objurgationis epistolam in Sabinianum, et vix continebit, quin cum plangenti lachrimetur. Sic ergo terra sancta in manus venit infidelium et inimicorum crucis Christi, et iam retinent usque ad hanc diem, et iam habuerunt eam ducentis LXXXVII annis. Et ita patet, quod sicut in Bethlehem incepit nostra salvatio, ita ibidem incepit nostra exterminatio.

De moderno statu Bethlehemitanae ecclesiae.

Septimus status loci nativitatis Christi est ille, sub quo ego F. F. F. locum vidi. Cum ergo, ut dictum est, Sarraceni triumphum contra Christianos obtinuissent, eosque de terra ejecissent, irruerunt primo in Jerusalem in ecclesiam sancti sepulchri, ut eam everterent. Sed Suriani, i. e. Christiani de Syria, magna summa auri data Soldano eam redemerunt. Post hoc venit Soldanus in Bethlehem, et munitionem fortissimam ibi factam destruxit, et murum civitatis dissipavit, et convertit se ad ecclesiam nativitatis Domini, et primum monasterium, quod ecclesiae adhaerebat, quod erat magnum et solenne valde, destruxit, et muros ac turres dejecit, quod Christiani magnis laboribus et expensis fecerant, et miserabilem cumulum ruinarum per circuitum ecclesiae dereliquit. Porro destructis munitionibus aggressus est ecclesiam, ut eam decalvaret et destrueret. Et ingressi primo altaria destruxerunt et deinde imagines sculptas confregerunt. Soldanus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autem, cum vidisset tabulas marmoreas, quibus parietes et pavimenta erant decorata, et columnas pretiosissimas, praecepit omnia deponi, ut ea abduceret ad locum sibi placitum. Mira res, et fidelibus praedicandum prodigium! Artificibus cum instrumentis accedentibus, et parietem juxta ostium, quo est ingressus in specum Domini, tangentibus cum ferramentis, astante et vidente Soldano, prosiliit de integro pariete et sano, quem nec acus videbatur penetrare, serpens mirae magnitudinis, et capite reflexo ad parietem tabulae primae marmoreae ore morsum dedit, et ignea lingua ipsam tabulam divisit, (**181 A**) a qua ad secundam tabulam accessit repentina serptione, et deinde ad tertiam et ad quartam, et ita consequenter per unum latus processit, et omnes tabulas divisit, et in aliud latus capellae trium regum saltavit, et in politissimo pariete, in quo nec aranea figere pedem potest, cucurrit, et XL tabulas per medium divisit, et disparuit. Hoc miraculo viso obstupuit Soldanus et omnes sui, et mutato proposito a destructione cessaverunt et recesserunt. Porro transitus serpentis per tabulas manet usque ad hodiernum diem, ac si aliquis candens ferrum lapidibus adhibuisset fortiter et ipsi lapides combustibiles fuissent, sicut lignum. Hoc vestigium miraculi libentissime vidi et saepe curiosissime perspexi mecum mirans.

Post hoc, anno 1341, venerunt Sarraceni, missi a Soldano, ut tollerent columnas illas pretiosas. Sed cum manus apponerent, in tantum perterriti sunt quadam horribili visione, quod membris dissolutis nihil agere poterant, et cum timore fugerunt, nec manus amplius apponere praesumserunt. Post decursum annorum iterum quidam Soldanus praecepit, non quidem ecclesiam destrui, sed ut tabulas pavimenti tollerent, quae sunt in specu nativitatis Domini. Sunt enim tabulae pavimenti praesepis Domini valde pretiosae, magnae et latae, non omnino candidae, sed cum candore medius color decorativus est admixtus, sicut sunt pelles vehinae [?]. Cumque descendissent cum instrumentis, ut tabulas levarent, quodcumque instrumentis tetigerunt vel manibus, rumpebatur in minutissimas particulas, sicut lignum putridum, et si levassent, nihil eis utile fuisset. Hoc cum vidissent, dimiserunt tabulas,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in locis suis, et fugerunt. Tabulas illas mensus sum, et habet quaelibet VII pedes in latum et XII in longum, et politae [sunt] ut speculum.

Non sunt multi anni elapsi, quod quidam juvenes Sarraceni, qui manus sacrilegas his sacris lapidibus apponere praesumserunt, fuerunt puniti. Est enim apud Sarracenos opinio, quod sub lapide nativitatis Domini et sub praesepio, sint reconditi thesauri inaestimabiles, sed non sint reperibiles nec visibiles. Quidam autem juvenes curiosi et cupidi nocte per fenestram, quae est supra altare circumcisionis Domini, in ecclesiam scanderunt, et ingressi specum sanctissimam tabulas juxta locum nativitatis et juxta praesepe levaverunt, et quidquid levaverunt, in manibus eorum comminutum fuit, et dum fodere inciperent, tantus timor et tremor eos accepit, quod relictis instrumentis per fenestram, per quam intraverant, ceciderunt, et e patria migraverunt, nec aliquis experiri poterat, quo fures illi venerint. Dicitur pro certo, et est indubitatum apud illos, qui juxta locum morantur, quod nullus Sarracenus per se suis manibus potest aliquid de illa ecclesia tollere. Et si aliquis Sarracenus praesumit manum apponere (B) ad auferendum, non evadet punitionem aliquam, quin castigetur. Istis tamen non obstantibus multae tabulae politae sunt parietibus detractae per fures christianos. Nam orientales Christiani fures miseri tollunt talia, et Sarracenis vendunt, unde nonnumquam Sarraceni pretio christianos fures conducunt, ut eis tabulas concupiscibiles furentur. Et nulli dubium sit, si Sarraceni possent illa lapidum ornamenta tollere, dudum omnia essent sublata. Sed Deus pro aliquali nostra consolatione et pro sua gloria loca illa custodit, et tamen in contemtum venire permittit pro nostra culpa. In mea prima peregrinatione tectum ecclesiae, quod gravissimum est, quia plumbeum, minabatur ruinam supra chorum, et non aliter sustentabatur, nisi trabibus longis a pavimento chori sursum porrectis, quibus innitebatur. Unde pro tunc optavi, quod Deus suscitaret regem Joas, de quo habetur 4 Reg. 12., quod sacerdotes cogebat ad reparandum sarta tecta templi Domini, et saepe magnam tristitiam habui, timens ecclesiae illius irrecuperabilem ruinam. Si enim ruisset, numquam sublevata

fuisset. Sic enim Sarraceni in mandatis habent per Machometum in Alcorano, quod Christianis non permittant, nec aedificare novas ecclesias, nec antiquas renovare, et ita Soldanus multis annis Christianis indulgere noluit, ut illius ecclesiae sarta tecta repararent. Tandem autem victus multis precibus fratrum Minorum montis Syon relaxavit rigorem et reparationem sarti tecti concessit. Procuraverunt ergo fratres, quod omnia ligna necessaria pro illa reparatione fuerunt Venetiis per artifices, qui mensuras ecclesiae acceperant, parata, et in galeis per mare usque ad Joppen ducta et de Joppe in camelis usque Bethlehem delata, et ita totum tectum ecclesiae renovatum est per artifices Venetos, et omnia defectuosa tam in ligno, quam in plumbo refecta sunt magnis laboribus et sumtibus. Tulerunt enim inde antiqua ligna, quae erant cedrina et cypressina de monte Libano, et nova ligna pina de montibus nostris supposuerunt. Siquidem Salomon in aedificium templi in Jerusalem accepit ligna cedrina de Libano, quae sibi rex Tyri misit per mare in ratibus usque in Joppen, et de Joppe ipse ea duxit in Jerusalem, ut habetur 2 Paral. 2. et Jesa. III. Sic etiam disposuit S. Helena ligna cedrina sibi mitti a monte Libano in mari per rates in Joppen, et inde tolli et in Bethlehem transduci. Et hoc facile fuit, et in paucis diebus potuit expediri. Sed nunc difficillimum est, quod Christiani de Libano ligna tollant, quia pagani nunc illas terras possident, et si tollere sinerent, tamen theloniis nimis gravarent et aliis exactionibus, ideo facilius de alpibus nostris ducunt ligna ad terram sanctam pro reparatione ecclesiarum (**182 A**) Christi, quam de montibus conterminis terrae sanctae. Credo tamen, quod etiam in Libano amplius non sint ligna cedrina, sicut in monte Syon defecerunt ligna cypressina, de quibus dixit Salomon Sap. 24: quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Syon. Ex illius ecclesiae reparatione tota ecclesia mundior facta est, nam antea tectum erat repletum columbis et passeribus, et nidis diversarum avium, et stercorizabant desuper, et pretiosum pavimentum deturpabant. Sed ex quo reparatum est, venerunt martrices [martes], et ibi currentes nullam avem relinquunt, et tectum ab omnibus immunditiis praeservant.

Aliquando solus nocte in illa ecclesia mansi et tantum cursum martricum in tecto audivi, quod territus fui putans esse delusionem aliquam, quousque veritatem percepi. Non autem solum indulsit dominus rex Egypti Soldanus Catube reparationem illius ecclesiae, sed etiam in ruinis templi sancti sepulchri multa permisit contra legem sui Machometi reerigi. Reputo enim modernum Soldanum, quasi alterum Cyrum regem, qui, quamvis esset gentilis, concessit tamen Judaeis, ut in Jerusalem templum Domini, quod Nahuchodonosor destruxerat, reaedificarent, quod tamen erat contra ritum suorum idolorum. De hoc Cyro, rege Persarum, habetur Esdrae 1. et Esaiae 46. Nec hoc Cyrus rex ex se ipso fecisse dicitur, sed Deus spiritum ejus suscitavit, ut dicitur 2. Paralip. ultimo et Esdrae 1. Sic profecto ex spiritu Dei concessit Soldanus reaedificare loca sancta, et multo plus concederet, si non accusatores, Christianorum inimici, eum averterent; sicut etiam contigit Esdrae, ut habetur Esaiae V. et per totum librum Nehemiae et Esdrae. Nec putandum est, sicut multi aestimant, quod Soldanus principaliter moveatur amore pecuniae et lucri, quae a peregrinis recipit, ut ecclesias Christianorum renovari permittat, sed Deo inspirante hoc facit principaliter, quamvis ipse inspirationem ignoret. Et nisi Deus id ageret, nequaquam Sarraceni ecclesias stare permitterent, nec peregrinos per terram evagari sic sinerent, etiam data magnae pecuniae summa. Excedit enim odium, quod ad nos gerunt, multum amorem, quem habent ad pecuniam, quam a nobis exspectant, quae satis exilis est. Nec rex Soldanus recipit unum obolum de illa pecunia, sed aliqui officiales tantum, qui tamen de ea non possent ducere vitam voluptuosam. Et ideo Deo gratias agere debemus, ut cor regis Soldani ad nos convertat, et orare pro vita regis Soldani debemus, sicut legimus Judaeos orasse pro vita gentilium regum, Nabuchodonosor, Cyri, Artaxerxis, et Antiochi. Baruch 1. Effectus enim demonstrat, ipsum Soldanum esse fidei nostrae inclinatum; nec dubito, si quis maturus, eloquens, et auctoritativus Christianus ad eum orationem illam converteret, quacum alloquitur venerandus dominus Nicolaus de Cusa cred. lib. 3. c. 17. de cribratione Alcorani, utique in

melius se converteret. Sed orandum est pro eo Christianis, ut patet fol. 249 B.

De ritibus in ecclesia Bethlehemitana degentibus.

Ecclesia illa Bethlehemitana in superiori parte est profanata et execrata, nec habet superius tam in choro quam in navi et capellis aliquam lampadem, sed stat sicut horreum absque manipulis (B) et apotheca absque aromaticis vasis et sicut libraria absque libris, et decidunt de parietibus picturae illae pretiosae, nec est, qui illas renovet. Sumus tamen contenti, quod corpus ecclesiae adhuc subsistit. Porro ipsa ecclesia est divisa Christianis secundum divisionem rituum, sicut dictum est de ecclesia Golgathana fol. 133. A. et de ecclesia beatae Virginis fol. 144 B. Chorum habent Graeci; specum autem nativitatis Domini habent Latini; altare, ubi tres reges obtulerunt, habent Armeni. Nihil in illa ecclesia est consecratum nec lampadibus illustratum, nisi specus nativitatis Domini. In hoc specu hoc modo divinum Officium celebravi, quotiens in Bethlehem fui: primo persolvi horas canonicas juxta ordinarium breviarium nostrum, quibus solutis incepi dicere horas secundario de nativitate Domini, et tres Missas, quae dicuntur in die natalis Domini successivis tribus diebus. In specu dixi primam una die in media nocte: Dominus dixit ad me etc. Secunda die: Lux fulgebit in aurora etc. Tertiam vero sequenti die: In clara luce puer natus est. Tantum enim tempus contulit mihi Deus in illo loco manere, quod haec, quae dixi sic valui perficere. Utinam Deo gratum!

De recessu peregrinorum a Bethlehem ingressuque eorum in Jerusalem.

Expeditis autem nobis in Bethlehem asinos ascendimus et de Bethlehem exivimus. Cumque ad latus oppidi venissemus, ecce mulier defuncta efferebatur, et omnes Sarraceni, viri et foeminae, prosequebantur cum mirabili et horribili clamore et ululatu, et tenebant manus super capita clausas

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et complicatas. Quos ut nostri ductores viderunt, rem intelligebant, et nos cum clamoribus et minis repente de via repellebant, ne plangentes et nos in unum convenire contingeret; eramus enim signati crucis signo, et si nos cum crucibus ad eos venissemus, diabolus intolerabile disturbium concitasset, sine dubio enim contra nos insurrexissent, et lapidibus nos a se repulissent ad complacendum defunctae. Putant enim, quod mortui eorum sint nobis maxime inimici, et quod ambulatio nostra per terram sanctam sit eis in alia vita poenalis. Libenter enim sustinerent nos secum commorari, sed dicunt, quod eorum defuncti non possint nos pati. Itaque ingressi sumus in Jerusalem ad quiescendum, ut dixi fol. 176. B.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

